AUSONII POPMAE FRISII

DE DIFFERENTIIS VERBORUM

LIBRI QUATUOR

Auctiores, & emendatiores.

CUM ADDITAMENTIS, ET NOTIS

JO. FRIDERICI HEKELII.

ITEM


DE USU ANTIQUAE LOCUTIONIS


LIBRI DUO.

EDITIO NOVISSIMA,

Quâ quid praestitum sit, EPISTOLA *ad Lectorem docet.*







NEAPOLI, Ex Typographia Felicis Mosca 1719.
Superiorum facultate.
Sumptibus BERNARDINI GESSARI.

[redacted]

ILLUSTRISS. ; AC REVERENDISS. DOMINO

D. NICOLAO
PIGNATELLI

Minervinianae Ecclesiae Praesuli emeritissimo



BERNARDINUS GESSARI S. P. D.



AUSONIUM POPMAM Tibi, *VIR ILLUSTRISS.*, cum notis, ac additamentis JO: FRIDERICI HEKELII recens recusum, eâ, quâ par est reverentiâ, offero munusculum etsi tenue, at nihilominus, ut spero, non injucundum, quod jam diù tibi offerre desideravi non aliâ sanè de causâ, quàm vulgatâ omnigenae eruditionis tuae famâ, amoeniorum praecipuè literarum, quas à teneris penè unguiculis quanti aestimaveris, tàm omnibus notum est, quàm tibi gloriosum. Quis enim ignorat solertiam illã, quâ adhuc puer aureos Latinorum Scriptorum libros evolvebas, ut purissimos sermonis flores copiosè colligeres, & eorum suavitate animum compleres tuum? Cui compertum non est Herculeum robur, quô Philosophicam palaestram Athleta adeò indefessus trivisti, ut ante decimum aetatis annum rude donatus eam retuleris palmam, quam nemo unquam nisi nocturnô,

diuturnôque complurium lustrorum labore est assequutus? Ex hoc profectò tempore, cùm Neapolitani universim Cives tuorum progressuum admiratione tenebantur, in spem procul dubiô venerunt, te Patriae ornamentum, & aeternum decus futurum. Romam deinde profectus es ad JACOBUM patruum, cujus nomen tàm illustre tunc erat, quàm ejus opera per totum literarium Orbem vulgata; Hic namque decem Canonicarum Consultationum volumina in lucem edidit, atque illa duo, in quibus res omnes ad Sanctum Officium pertinentes enucleavit, praeter alia, quae eruditè scripsit, & sapientissimi quique summo cum plausu receperunt. Romae itaque cûm esses, ad studiorum metam non currere, sed propemodum evolare visus es. Tibi enim nondum adolescenti universae Theologiae arcana, utriusque juris prudentiam, Mathesin, Historiarum tum sacrarum, tum profanarum scientiam, & Linguae Hebraicae, Graecaeque peritiam, atque ea omnia adipisci contigit, ad quae perrarum admittitur Tyrocinium. Equidem fateor, nimis de te magnificè loqui, & tuum adeò facilem in disciplinis omnibus progressum plus aequô extollere, quibusdam videri possem, nisi Romana Curia, te pro rostris tonante, cum ne vix quidem ex Ephebis discesseras, obstupuisset. Testatum satis est, tot praestantissimos, praeclarissimosque viros, quot in Curia illa versantur, orationem melle dulciorem ex ore tuo fluentem, & selectioris eruditionis favos affatim degustasse, ita, ut in dubium nemo revocaret, quin vultu Astyanax, eloquiô Nestor esses existimandus. At quemadmodum sapientiae tuae splendor statim enituit, annum agens quartũ supra vigesimum, à SS. CLEMENTE XI. Fiscali Sacrae Visitationis Apostolicae munere decoratus es, & bienniô post ad Canonicam Collegiatae Ecclesiae SS. Celsi, & Juliani dignitatem evectus. Interea Patronus, ac Defensor populo Romano datus, cum de reformandis Romani Cleri Statutis ageretur; nec non à Sacra Rituum Congregatione electus, ut in causa Urbis, &

Orbis

Orbis inſcripta calamum arriperes, frequentioreſque controverſias inter Parochos, & Archiconfraternitates dirimeres. Longior profectò eſſem, ſi reliqua munera ſigillatim proſequerer, & caetera vel à Sacrâ Concilii Congregatione, vel ab ipſo Pontifice Maximo impoſita tibi onera, honoris causâ recenſerem. Id unum non prætercam, Epiſcopatûs nimirùm, quod ſubire tantopere neglexiſti, non ſine ſingulari modeſtiae laude, quâ ad ſublimes dignitatum gradus aſcendere renuiſti; quâ in re praememoratum patruum tuum JACOBUM PIGNATELLI imitari voluiſti, qui ſepties Epiſcopalem tiaram, & poſtremò illam Eccleſiae Gravinenſis, poſt quàm examinatus, & plenis calculis jam fuerat approbatus, recuſavit. Verùm tibi niſi ad duos menſes facultas abnuendi non fuit; his enim exactis vel invitus, vel penè coactus Minervinienſis Eccleſiae curam ſuſcipere debuiſti. Quapropter, cùm ad conſuetum examen revocatus eſſes, & Sacrorum Canonum dogmata interrogantibus, quantâ polles eloquentiâ, reſponderes, adeò Purpuratorum Patrum, reliquorumque Praeſulum animos aureis quaſi catenulis devinxiſti, ut omnes unô ore ſe nihil unquam ſimile audiviſſe dicerent. Eôdem quoque praeconiô ipſe Summus Eccleſiae Catholicae Paſtor in Sacri Conciſtorii aula non modo te coram laudavit, & ſeorſim familiaribus, optimatibuſque commendavit, ſed poſthac Bullarum ſumptus ſpeciali praerogativâ remiſit, ac etiam (quod neque à ſaeculo auditum eſt) non exiguam pecuniae ſummam, quam ſeorsùm jam Secretariae Brevium perſolveras, reſtitui mandavit. In propatulo ſunt, quae loquor, nec ullâ caligine involuta. Quamquam verò inſit Tibi quicquid lectiſſimis Viris conferre Natura, aut Fortuna poteſt, vivida erectaque indoles, mira ingenii morumque felicitas, Prudentia, Pietas, animi Moderatio, Continentia, Facundia, Patriae amor, dignitati forma conveniens; majus tamen aliquid Natalium nobilitas, & longâ illuſtrium majorum ſerie ducta generis Claritudo contulit.

Etenim

Etenim Ex eâ PIGNATELLORUM Familia ducis originem, quae Cryptariis in Tarentino solo inclyta fuit, quaeque faecundo veluti è stipite per tot secula plurimos, praestantissimosque viros germinavit, qui tantum sibi decus pepererunt, ut famam immortalem ad posteros suos transmiserint. E quorum numerô (quando omnem proferre multitudinem, annorum opus, integrique voluminis, non verò paucarum horarum, & unius Epistolae foret) satis sit FABIUM proferre, qui primus à Sacris PHILIPPO II. Hispaniarum Monarchae fuit, & deinde Monopolitanus Episcopus Creatus anno 1561. FABRICII Marchionis Cerchiarii, & VICTORIAE CICINELLI filius, ut in quarto indice Tridentinae Synodus Abbas Justinianus testatur. Hic veluti deprehensa, & penè obstupescens mens mea subsistit. Deest, deest mihi non tam Voluntatis, quàm Virium subsidium; Ideoque contractis prudenter velis, angustioribus terminis orationis cursum circumscribere compellor. Sed illud tantummodò superest spatium, quô te deprecari possim, ut benignô vultu, ac eâ comitate, quae animo tuo indita à natura est, meum munusculum excipias. Vale, decus Patriae, Civiumque tuorum Ocelle, & praecipuo Urbis nostrae ornamento diutissimè Vive. Neapoli A. D. XVI. Kal. Novembr. MDCCXIX.

TYPOGRAPHUS

Lectori Benevolo, & Candido S.



Legantissimos AUSONII POPMAE de Latinorum Verborum Differentiis, *deque* Usu Latinae Locutionis *libellos, satis anxius expectasti, per taesus fortasse nostri proeli, ut existimabas, desidiam. Sed eâ, quâ praestas, Comitate & veniam dabis, & moram boni consules, & non mediocri nostrates inter Typographos mihi laudi vertes, cùm eos evolvens, quantò labore, quantâque diligentiâ, & industriâ corrigendos curaverim agnosces. Lipsianam enim, & Dresdensem editionem, cui recudendae sedulam dedi operam, incredibile est, quàm plurimis scatentem erroribus inveni, qui quidem in Amstelodamensem, aliasque impressiones jam ante irrepserant. Nec eruditissimus JO: FRIDERICUS HEKELIUS, qui suis additamentis, ac notis opus illustravit, atque auxit, quamquam ad illud studiosè emendandum appulerit animum, Typographicam oscitantiam cavere potuit. Attamen ego, ut tutiùs legas, & faciliùs latinitatis fructum colligas, qui in*

toto

toto hoc opere uberrimus planè est, Viro humaniorum literarum perito totam demandavi provinciam; Hic verò non nulla mutavit, alia subtexuit, complura castigavit, & ferè omnes Latinorum Scriptorum auctoritates, Poetarum maximè, non modò diligenter notavit, sed ad perfectiorum exemplarium amussim revocavit, duplicemque indicem copiosissimum, alterum Vocum, alterum Auctorum tum Veterum, tum Recentium, quibus totum opus illustratur, utrumque affabrè elaboratum, Coronidis locô adjecit. Tuis ita commodis servire duxi: Hinc in eam spem adducor, te meam hanc qualemcumque curam, non dedignaturum. Vale.

Reimprimatur, Neapoli die 22. mensis Februarii 1719. & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

ARGENTO REG. & PRAES.

Pescarinus.

AU-



AUSONII POPMAE
DE DIFFERENTIIS VERBORUM
LIBER PRIMUS,
ADDITAMENTIS HEKELIANIS ILLUSTRATUS.

* 
Vel *Ab* & *De* ita differunt, ut *A* notet *causam efficientem*, *cujus vi res est*, vel *id*, *unde quid venit*, ut: *ab uno Deo sunt omnia*; *De* verò *materiam circa quam*, vel *motum ab una re ad aliam*, v. g. primùm *cogita* de *Pietate*, dein de *Honestate*.

Abdicare dicitur *l.6. pr. C. de Patriâ Pot. pr. Inst. de E. L.* Pater *filium*, quem se vivô repellit à bonis, & quasi extra familiam ejicit, (*a*) *Exhaeredare* est eum, qui alioquin haeres futurus esset post mortem testatoris, ab haereditate excludere, (*b*) Hinc *Abdicatio*, (*c*) est liberorum abalienatio, quae Patri olim permittebatur ex causâ apud judices probatâ, ut, si filius paternae voluntati repugnâsset, si malitiosè aut nequiter egisset; *Exhaeredatio* est suorum haeredum ab haereditate, & succedendi jure exclusio. Svetonius in Augustô: *Agrippam brevi ob ingenium stolidum ac ferox abdicavit*, *seposuitque Surrentum*.

(*a*) vel *qui privat omni jure filii*. Sic Magistratu se *abdicat* vir emeritus quoque, *abdicatione* videl. *honesta*. *Abdicare* enim *proprie* est *rem jure amovere*.

(*b*) vel *tantùm submovere ab haereditate*. Itaque quisquis *abdicatus* est, idem est *exhaeredatus*, sed non contra.

(c) quae *Adoptioni* opponitur & transfertur quoque ad alia.

Abigeus, (d) est, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis, vel stabulis subtrahit, (e) & quodammodo depraedatur: (f) *Fur* est, qui clam rem alienam surripit: illi gravius peccant, & puniuntur; hic leviùs. Ulpianus de Officiô Proconsulis lib. 8. l. 1. D. de Abig. l. 9. §. 4. D. Locati. Abigei *propriè hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, & quodammodò depraedantur, & abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes.* Claudius de Poenis Paganorum, l. 16. D. de Poenis: *Quantitas discernit furem ab abigeô. Nam qui unum suem surripuerit*, ut fur coërcebitur, *qui gregem*, ut Abigeus.

(d) vel *Abactor*. (e) (*abducit*)

(f) Crimen *Abigeatus* dicitur. *Plagiarius*, qui aliena mancipia, seu liberos, abducit: crimen *Plagium* dicitur. *Peculator*, qui de *Principis*, aut *Populi* aerario suffuratur: Crimen *Peculatus* est. *Sacrilegus*, qui sacra, sive de sacro loco tollit aliena: crimen *Sacrilegium*. *Praedo*, qui vi rapit. *Latro*, olim *Miles mercenarius*, qui in belli speciem ferrò grassatur. *Pirata* conductus ab Archipirata facit idem in mari.

Abjurare est rem creditam perjuriô negare. *Ejurare* est juramentô renunciare, vel rejicere. (g) *Plaut. Curculione*: (h) *Quî abjurant, si quid creditum est. Idem: ejuravit militiam*. Sic *ejurare Judicem* solebant, qui Judicem ut sibi iniquum rejiciebant, & *ejurare bonam copiam* dicebantur, qui solvendo non erant, cùm jurejurandô palàm affirmabant, sibi copiam & facultatem dissolvendi aeris alieni minimè suppetere; atque ita liberantur à nexu, & servitute Creditorum. Cicero in Philipp. XII. *Me iniquum ejurabat, & de me querebantur*. Idem ad Paetum: *quòd mihi bonam copiam Ejures, nihil est*. Varro l. 6. de Ling. Lat. *Liber, qui suas operas in servitute pro pecuniâ, quam debeat, dat, dum solveret, Nexus vocatur, ut ab aere Obaeratus. Hoc C. Poetilio Visolo rogante sublatum ne fieret, & omnes, qui bonam copiam ejurarent, ne essent Nexi, dissoluti.* (i)

(g) s. *quod facere nolis, jurando negare*. (h) *Act. IV. Sc. 2. v. 10.*

(i) Sed *Perjurare*, s. *pejerare*, est *falso* jurare; *dejurare* autem, s. *dejerare* est *valdè* jurare. Vid. *Plaut. in Menaech. Act. V. Sc. 2. v. 63.*

(*) *Abo-*

(*) *Abominari* idem est, ac, ut malum omen, aliquid detestari & aversari, veluti quum dicimus: *Si quid tibi acciderit humanitus, quod Deus prohibeat.* Omen enim est futurae rei signum, & sumitur imprimis ex eo, cum verbum praeter intentionem excidit, eventum post secum trahens. *Detestari* vero est ex secrando aliquid iniquum esse testari, & usurpatur potissimum de *factis*; cum contra illud de *verbis*. *Hoc* videtur *majus* esse; *illud* autem *minus*.

Aborsus dicendus est, qui fit in primis mensibus, cùm conceptui exordium est factum. *Abortus* prope tempus pariendi. Tunc n. moritur, quod nascitur. *Non. Marcell.* Addi potest *Paulus* 7. *Sent. tit.* 9. §. 6. *l.* 2. & *ibi Goth. C. de posth. Her.*

Abrogare, est legem perlatam prorsùs (k) tollere. *Derogare* est aliquid (l) deminuere de vi & effectu legis. *Obrogare* est aliam legem ferre, prioris legis infirmandae causâ. *Antiquare* est legem promulgatam rejicere, non accipere *l.* 102. *D. de verb. sign.* Cicero l. 3. de Rep. *Huic legi nec obrogari fas est, neque derogare ex hâc aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Idem l. 3. ad Atticum: *Abrogare, Derogare, Obrogare sine fraude suâ non liceat.* Livius l. 22. *Itaque plebiscitum, quô oneratus magis, quàm honoratus sum, primus antiquo, abrogoque.* *Abrogat*, qui alii aufert. *Arrogat* aliquid sibi, etiamsi non meruit, (m) Corn. Front. *Exrogat*, qui ex lege veteri aliquid eximit per legem novam.

(k) *consensu publico.* (l) *rogatae legi detrahere*, vel (m) *vel rogando plus sibi, quàm decet, sumit.*

Absolvere est (n) rem ad exitum quoquô modô perducere; *Perficere* autem est (o) finem rei imponere, nihil ut desit, quod plus est; sicut *Perfectum* plus est, quam *Absolutum.* Cicero l. 2. de naturâ Deorum: *In omni naturâ necesse est absolvi aliquid, aut perfici.* Ulpianus lib. 7. ad legem Juliam, & Papiam; l. 139. D. de Verb. Sign. *Perfecisse aedificium is videtur, qui ita consummavit, ut jam in usu esse possit.* (p)

(n) *negotium peragere*, f. (o) *faciendo absolvere*, f.
(p) Sic *Perfectus Artifex perficit suum opus ad perfectionem usque; Iners autem relinquit omnia imperfecta, aut semiperfecta.*

Abspulsus est ab aliquô pulsus. *Repulsus* retrò pulsus. *Corn. Front.*

 Ab-

Abstinere est inhibere manûs & animum à rebus alienis. *Continere*, (q) est temperare à cupiditatibus, & illecebris voluptatum. Unde *Abstinentia* est virtus, quâ (r) ab alienô abstinemus. (s) *Continentia* est, (t) quae cupiditates refrenat, ac rationis imperio subjicit. *Haec* in virô temperante est; *Illa* in innocente. (u) Cicero lib. 1. ad Q. Fratrem: *Esse abstinentem, continere omneis cupiditates praeclarum est.* Sallust. in Catilinâ: *Cum strenuô Virtute, cum modestô Pudore, cum innocente Abstinentiâ certabat.* *Abstinere* ab haereditate dicitur suus. *Repudiare* extraneus. *Pass. tit. J. de Her. qual. & diff.*

(q) *Quod* propriè *idem est, ac conjectum tenere.*

(r) *temperamus ab alienis*, f. (s) *cui opponitur* rapacitas.

(t) *qua ratio temperat affectui, praesertim circa voluptates corporis, vel* propriè *circa libidinem, quam* Graeci *vocant* Ἐγκράτειαν, f.

(u) *Sed* Temperantia *genus est ad omnium affectuum moderationem pertinens.*

(*) *Abundat*, non quod *superfluum* est, sed quod est *copiosum*, & *cumulatum*: *Redundat* autem, quod est superfluum, seu *supervacaneum.*

Accedo tibi, eadem tecum sentio. *Accedo* te, est ad te venio. *Fl. Sosip.* (x)

(x) *Accedere* est proximum fieri. *Aspirare* in eam partem, qua quid quaesitum est, vultum & oculos, ac spiritum oris advertere. Itaque *Aspirare plus* est & ἐμφατικώτερον, quam *Accedere*, & *minus*, quàm *Pervenire*, cum dicitur: *Ad apicem Philosophiae* Aspirare *potius, quam* Pervenire *mediocribus ingeniis conceditur.*

Accensus est minister publicus, civeis ad Concionem acciens, i. e. vocans; *Praeco* autem vocans ad Comitia. Alex. ab Alex. Lib. 1. *Gen. Dier. c. 27.*

Acceptilatio est omnimoda liberatio, licèt pecunia soluta non sit. *Apocha* non aliàs, quàm si pecunia soluta sit: *l. 19. de Acceptil.* (y) *Solutio* est naturalis datio; *Acceptilatio* civilis. *Gothofr. & Vult. ad l. 5. de Acceptil.*

(y) *Ideoque haec est Schedula, qua Creditor testatur, sibi satisfactum esse à Debitore. Quanquam* Acceptilatio *pro ipsa acceptae satisfactionis testificatione nonnunquam etiam sumitur.*

Accerso, & *Arcesso* quidam, inter quos *Agraetius*, putant hoc differre, quòd *Accersere* sit vocare; *Arcessere* autem accusare, in quô magnoperè falluntur. Nam *Arcessere* duplicem significationem habet, fitque ab *Arcio*,

quod

quod veteres dixerunt pro *Accio*, vel *Adcio*, ut in aliis quoque multis vocibus *Ar* pro *Ad* usurpârunt, Autore *Priscianô*. Hinc *Sallustius*, amantissimus Antiquitatis, *Arcesso* dicit in utrâque significatione, ut in Catilinâ pro *vocare*, vel *vocatum ire*; *Praeterea Gabinium* arcessit; *&* in Jugurthâ *pro* accusare. *Quos pecuniae captae* arcessebant. Quô modô, & in aliorum Authorum libris veteribus ferè semper scribitur. Alii inter quos *Papirianus Grammaticus*, volunt, *Arcessere* esse *submovere*, & *repellere*, à quibus (z) dissentit Velius Longius: *In eô quod est* Arcesso, & Accerso, (inquiens) *putaverunt quidam Differentiam esse*, ut Accerso *sit Voce, tractum ab acciendô*, Arcesso *submoveo, ab arcendo tractum: Sed erraverunt*. Arcesso *enim pro eô, quod est arceo, nusquam positum est*.

(z) *meritò nobiscum.*

Accessus est aditio, sive appropinquatio; *Accessio* verò est adjectio, & incrementum, (aa) *Decessio* significat deminutionem, & detractionem. Cicero L.1. de Naturâ Deorum: *Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognoscitur*. Idem L.3. de Offic. *Eorum neque accessione vitam meliorem fieri, neque decessione pejorem*. Sic Jurisconsulti *l*.34. *pro*. *D*. *de contrah*. *Empt*. *l*.13. §.3. *D*. *acqu*. *Poss*. *l*.43. *D*. *de Solut*. §.26.34. *Inst*. *de Rer*. *Divis*. *Personas*, aut *Res*, quae aliis *adjungũtur*, & *accedunt*, vocant *Accessiones*, (bb) eôque verbô in obligationibus, & emtionibus crebrò utuntur, & Medici *incrementa morborum* nominant *Accessiones*. Seneca ad Lucilium: *Aegra corpora minima interdum mergit* Accessio. Plinius Lib.25. *Id dandum quidam non nisi in* Accessione *censent, alii in* Remissione. (cc)

(aa) sivè *augmentum*. Undè *Accessionem adjungere* est *incrementum addere*. E contrario v. (bb) sivè *Accessorium*.

(cc) *Maris a. Accessus*, & *Recessus* dicitur, quum *ad nos affluit*, & *refluit*.

Accidit id, quod fortuito atque ex improviso, (dd) evenit. *Contingit* id, quod comitatur, subsequiturque quasi praecedentium causarum eventum. Seneca ad Lucilium: *Scies plura mala* contingere *nobis, quàm* acci-

cidere. *Quoties enim felicitatis causa, & initium fuit, quod calamitas vocabatur? Quoties magnâ gratulatione excepta res gradum sibi struxit in praeceps, & aliquem jam eminentem allevavit etiamnùm tanquam ibi adhuc sitaret, undè tutò caderet.* Frequenter tamen haec verba idem significant, ut in illâ vulgari Formulâ, quâ mors denotatur: si *quid acciderit*, vel, *si quid humanitùs contigerit*. Svetonius in Augustô: *Julius filiam neptemque si quid his accidisset, vetuit sepulchro suo inferri.* Scaevola Digest. 20. l. 30. D. de Alim. Leg. *Sive in provinciâ, sive in viâ aliquid mihi humanitùs acciderit*. Ibidem: *Si quid ei humanitùs contingerit, do, lego, darique eis volo. Accidere* aliquid *adversi*, *Contingere* aliquid *pulchri* dicitur. *Fl. Clarus. Evenire* utrumque. *Agraet.*

(dd) *vel praeter spem.*

Accipimus ab aliô, quod datur, (ee) *Sumimus* ipsi, quod antè positum est. Sallust. in Jugurthâ: *Epistolam super caput temerè positam sumit*. Cic. Or. 2. in Verrem: *quod mihi abs te datur, id accipio*. Idem in Lentulô: *quod dat, accipimus. Accipere*, generaliter de *Accipiente* dicitur. *Acceptare*, de *frequenter Accipiente. l.* 10. §. 3. ff. *de Ann. Legat.* (*ff*)

(ee) s. *rem datam capiendo tollimus.*

(*ff*) Sic *sumimus alimoniam*, ut *consumamus*. *Sumimus pecuniam*, ut *insumamus in necessarios sumtus*, prout *leges sumtuariae* permittunt.

(*) *Accolae* sunt, qui juxta *montem, flumen, lacum* aut *mare* habitant; ut *Accolae Tauri, Rheni*, &c. *Incolae*, qui in *urbe*, aut *pago alieno* habitant. Graecis dicti πάροικοι. Indigenae, qui illic habitant, *ubi nati sunt*, quos *Graeci* vocant Αὐτόχθονας. *Advenae*, qui *aliundè quopiam* commigrarunt *ad aliam gentem*. Sed *Inquilinus* est, qui in *alieno privato habitat*, praecipuè *conducto*. *Incolae* enim & *Accolae* recipiunt *Inquilinos*, quos volunt.

Accumbere aliud est, quàm *Sedere*. Nam qui *accumbit*, neque stat, neque ambulat; sed medium quiddam facit, *l.* 124. *de verb. sign.* Viri coenabant *accumbentes*, mulieres *sedentes*. Turpis enim visus est in muliere *accubitus*. *Coel. Rhodig. lib.* 14. *Antiq. Lect. c.* 58. (*gg*)

(*gg*) *Antiquiores* autem non *accubuisse*; sed potiùs *sedentes prandisse*

atque

atque *coenasse*. Athenaeus Lib. 8. *Deipnosoph*. p. 363. num. F. *Edition. Dalechamp.* probatissimus testis est. Et hoc exindè imprimis factum esse conjicimus, quoniam sibi persuadebant, *Deos ipsos in ejusmodi conviviis praesentes esse*, ideoque festivitates illas κοσμίως καὶ σωφρόνως, hoc est, *decorè temperanterque* celebrandas autumabant. Quapropter ad Ebrietatem usque etiam non bibebant, sed, libatione prius peracta, tantum quisque bibebat, quantum illi suadebat animus, ac deindè singuli domum abibant. Leg. *Jo. Gvil. Stukii* Lib. 1. *Antiqu. Conv.* c. 33. fol. 125. fac. b. Edition. secundae. Quomodo a. *Accumbere, Recumbere*, & *Discumbere* differant, vid. denuò *Stukii* lib. 2. c. 34. fol. 268. fac. a. Sunt, quos inter *Acron* praeprimis, qui dicunt, *Accumbere* esse *Deorum*, *Discumbere virorum*; *Ferarum* autem *Recumbere*. Quam *Differentiam* omninò *vanam* atque *ridiculariam* esse Classicorum Scriptorum auctoritas, contrariis exemplis de quovis passim adductis, jampridem comprobavit. Nos putamus, hoc tantum interesse inter duo illa priora: *Accumbere*, & *Discumbere*, ut videlicet *Hoc*, de *loco honoratiore*, vel *Superioribus*; *Illud* autem de *minus honoratiore*, vel *inferioribus Convivis* optumè dicatur, sicuti colligere est ex *Jac. Cruquii* Enarrationib. ad *Horat.* lib. 2. Sat. 8. v. 20. p. 505. col. 1. & *Fulvii Ursini* Appendice ad *Petri Ciacconii Toletani* librum de *Triclinio* in Officina *Sanct-Andreana* Anno 1590. in form. 8. v. exc. p. 124. De ipso autem *Discumbendi modo* videantur ipse *Horatius* loc. cit. *Ciacconius* p. 24. seq. atque *Justus Lipsius* in tractatu peculiari, qui de *Ritu Conviviorum apud Romanos* est inscriptus, & septem aliis ad cognoscendam Historiam Romanam apprimè utilibus Tractatibus insertus, p. 118. seq. Edition Francof. *Recumbere* autem idem esse, *ac toto corpore, composito scilicet, ut facilius quis somnum possit capere suavissimum*, *jacere* alibi quondam ostendimus.

Accusare est aliquem criminis in judiciô reum facere, (*hh*) *Incusare* autem est *factum*, seu mores alterius privatim reprehendere, vel de illatâ injuriâ quaerelas deferre: *l. 1. D. de Accusat.* Caesar lib. 1. de Bellô Gallicô; *Omnium ordinum adhibitis ad id consilium centurionibus vehementer eos incusavit.* Livius L. 45. *Graecorum vana promissa incusare. Sed haec, cùm tralatitiè usurpantur, tùm ferè confunduntur.* Sallust. in Jugurthâ: *ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxêre, naturae infirmitas accusatur.* Tacitus: *Intemperiem coeli incusantes.* (*ii*)

(*hh*) f. facti causam alicui tribuere.

(*ii*) Caeterum quod, *Servio* Autore, major *Accuset* minorem, minor *Incuset* majorem, non est perpetuò verum. Interdum *alterum* pro *altero* ponitur, nisi quòd in judiciis forensibus nemo dicatur *Incusari*. *Accusatio* inimicorum est, *Incusamus*, & amicos. *Utrumque* refertur ad *Rem* & *Personam*, ut: Incusat *tuum silentium*, Incusas *me, quod nihil scribam.* Accusat *tuam contumaciam*, Accusat *te* de *contumacia.*

 (*) Acer-

(*) *Acerbum* est, quod fit in *Personam*. *Iniquum* quod in *Legem*.

(*) *Acervus* rerum minutarum est, ut *frumenti*, & *leguminum*, aut *pomorum*, aut *nummorum*. Virgil. Lib. 8. Æn. v. 562. *Acervum scutorum* dicit. *Strues* est lignorum. *Strages* cadaverum simul jacentium. Ideòque dicitur *Stratorum in bello multitudo*. *Sarcina* utensilium simul compositorum. *Fascis* item rerum simul colligatarum ad gestandum. *Onus* est quicquid onerat portantem, vel quod portatu grave est. Dicuntur & *plaustrorum*, & *navium Onera*. Vnde Cornelius Fronto *Onus* vehiculorum, & *majus* esse; *Sarcinam* autem hominum dicit. *Congeries* generale nomen est. *Cumulus* est ingens vis rerum compositarum. *Thesaurus* propriè rerum sepositarum ad custodiam. *Mundus* est composita vis earum rerum, quibus ad ornatum utuntur foeminae.

(*) *Acini* densiùs nascuntur; *Baccae* autem rariùs. Sic *Grana Uvae, Hederae, Sambuci, Mali Punici*, & *similium* dicuntur *Acini*; cum contrà *Fructus Lauri, Olivae, Myrti, Juniperi*, ac *similium Baccae*.

Acta erant res minores, quae in urbe fiebant, & in scripta (kk) redigebantur, ut *Acta senatûs*, in quibus perscriptum erat, quicquid in *Senatu* diceretur ageretur-que, & *Acta Populi*, quae & *publica*, & *urbana*, & κατ' ἐξοχὴν *Acta* appellantur, in quibus singulis diebus notabantur res Populi, ut *Comitia, Judicia publica*, *Matrimonia, Divortia*, & alia plura. *Gesta* sunt res majores, quae *domi*, & *militiae* geruntur, ut *Gesta Alexandri*, *Gesta Popul. Rom.* ut quidem *Valla* tradit; cum tamen *Gesta* hâc significatione *Latinum* non sit, sed *Res Gestae*. Cicero ad Plancum: *Sed quando acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus ad te scriberem*; & ad Trebonium: *quod nisi res urbanas, actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem*. (ll) *Actum*, & *Gestũ* ita distinguit Antistius Labeo, ut *Actum* sit, quicquid agitur aut *Re*, ut *numeratione pecuniae*; aut *Verbis*, ut *stipulatione*; *Gestum* autem significet *Rem* sine *Verbis* gestam. Quam subtilem Differentiam improbat *Ulpianus*, & *Gestum* latissimè accipit pro *omni contractu*, sive *re*, sive *verbis* quid actum sit, ut in Edictô Praetoris: *quod cum minore, quàm 25. annis, natu gestum esse dicetur*, Gestum *interpretatur qualiter qualiter actum, sive cõtractus sit, sive quid aliud contingit*. §. 2. de *verb. sign.* (mm)

(kk) (*addamus*, & *Codicillos atque Testamenta*)

(ll) Interdum tamen *Actus* pro *Gestis* legimus.

(mm) Alias *Actum est*, de *rebus deploratis* dicitur: ut *Actum est de* Re-

Republica, vel *de litteris*. *Graeci* dicunt πραγματα. *Agere* enim interdum ad *fortunam*, & *conditionem* pertinet. Vt: *Quid agitur*, i. e. *quomodo vales? Quid agunt tui? Graecis* dicuntur εὐπραγεῖν, *quorum res cedunt prospere.*

Actarii, inquit Velius Longus, appellantur *Scriptores actorum*. *Actuarii* sunt hi, qui actum agunt: *l.7. D. de Minor.* Quae Differentia, meô quidem judiciô, inepta est. Nam *Actuarii* dicuntur, qui acta per notas scribebant, excipiebantque orationes Oratorum. Svetonius in Caesare: *Augustus existimat magis ab Actuariis exceptam malè subsequentibus verba dicentis, quàm ab ipsô editam.* Seneca ad Lucilium: *non quidem haec, quae alienis verbis commendatur, & Actuarii vice fungitur*. Eos autem, qui actum agunt, administrant, aut gerunt (nam haec promiscuè *Jurisconsulti* efferunt,) non *Actuarios, sed Actores* dici constat, ex *Pliniô, Tacitô*, & aliis.

Actione reos pulsamus in *judiciô personali*; *Accusatione* in *judiciô criminali*; *Petitione* in reali; *Persecutione* in extraordinariâ petitione: *l.*28. de Obl. & Act. Godd. *l.*19. *ad l.*178.

Actor est, *(nn)* qui rem gerit, & exsequitur. *Autor*, qui aliquid primus, & praecipuus instituit. *Ille* operâ, *hic* consiliô curat. Cicero pro Sextiô: *Cato dux, & Author, & actor rerum illarum fuit*. Cornelius Nepos in Vitâ Attici: *Hunc enim in omni procuratione Reip. actorem authoremque habebant.* Sallust. in Catilinâ. *Tametsi haud quaquam par gloriâ sequatur scriptore, & authorem rerum.* Ubi *Author rerum* est quasi origo, & principium, à quô materia scribendi, ut *Author nobilitatis*, *salutis*. Tacitus lib. 3. Historiar. dûm voluit imitari *Sallustium*, minùs *latinè* dixit, *Authorem rerum* pro *Scriptore*: *Non apud* Autores rerum, (inquiens) *non diurna actorum scripta reperio*. Ibidem: *C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus autor.*

(nn) Qui aliquid agit, f.

Actor est, (*l.5. §.3. D. de Doli mali Except.*) qui rationes domesticas, & accepta expensaque peculiariter administrat,

strat, licèt publicus quoque sit, & aliarum rerum actum gerat, qui interdùm exprimitur, ut *Actor bonorum*, *Actor praediorum*, *& fundorum* in libris juris, *Actor summarum* in Svetonii Domitianô *Procurator* est, qui omnia negotia forensia pariter, & domestica procurat, cujus potestas latissimè patet. Plinius L.3. Epistol. *Sub eôdem* Procuratore, *ac penè iisdem* Actoribus *habere*, & lib.7. *Agrum ex meis longè pluris* Actori publico *mancipavi*. Idem in Panegyricô: *dicitur* Actori *atque etiam* Procuratori *tuo*, *in jus veni*, *sequere ad tribunal*. Salvianus lib.4. de Providentiâ divinâ; *pavent quippe* Actores, *pavent* Procuratores.

(*) *Actus Fabulae*, s. *Comoediae*, est *pars Fabulae*, s. *Comoediae*. (De *numero* autem *Actuum Comoediae* loquitur *Horatius* in *Arte Poetica* v. 189. seq. hunc in modum:

Neve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quae posci vult, & spectata reponi.)

Actio autem *Comoediae* est *ipsa per gestus repraesentatio*. Quanquam & *Oratoris Actio* dicitur *pronunciatio cum gestu ac vocis moderatione*. Vndè Histriones fabularum *Actores* dicuntur, non *Gestores*. Et qui Consulis personam gerit, *Consulem agere* dicitur, & qui Scurram imitatur, *Scurram* quoque *agere*.

Actus est, ubi vehiculum, vel jumentum agere armentaque trajicere licet, non etiam trahere lignum, aut lapidem; *Iter* verò est, quôquis pedes, vel eques, commeare potest, praetereà sellâ, aut lecticâ vehi, non item jumentum ducere, vel vehiculum. Sed *Via* appellatur, quâ jus est eundi, agendi, trahendi quoque, & ferendi erectam hastam, si modò fructus non laedantur. Itaque *Actus* continet *Iter*, *Via utrumque*: l.1. D. de servitut. Rust. Praet. Et *Actus* quidem in latitudine habet pedes quatuor. *Iter* pedes duos, aut tres. Via in porrectô octo pedes, in anfractô, id est, flexu, sedecim ex lege *XII. Tabul.* Ulpianus Instit. 2. Iter *est jus eundi*, *abulandi hominis*, *non etiam jumentum agendi*, *vel vehiculum*. Actus *est jus agendi vel jumentum*, *vel vehiculum*. *Itaque qui* Iter *habet*, Actum *non habet*. *Qui* Actum *habet*, Iter *habet*, *eôque uti potest*, *& sine jumentô*. Via *est jus eundi*, *& agendi*, *& ambulandi*. *Nam* Iter, *&* Actum *in se* Via continet.

Ad,

Ad, (oo) denotat motum ad locum. *Apud*, factum in locô. *Fl. Sosip.* (pp) Et *hoc*, post verba *motûs* non adhibetur, *illud*, verba *motûs* vel antecedit, vel subsequitur, ut: *Ad te eo*. *Transeo ad forum*. Lucilius Satyrar.9.

Sic & apud te longè aliud est, neque idem valet ad te.
Intrò nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

Interdum tamen *Ad* sumitur pro *Apud*. Cicero lib.7. ad Atticum: *Fuit ad me sanè diu*. Livius l.10. *Furiarumque ac formidinis plena omnia ad hosteis essent*. Idem l.34. *Qui ad Regem remansit*, & Lib.53. *Eorum nomina ad se ederentur*. Virgilius (qq)

Prima quòd ad Trojam pro caris gesserat Argis.

Et contrà *Apud* pro *Ad*. Modestinus Pandectarum 2. l.27. D. de statu liber. *Cùm apud eum, cui dare jussus est dominium quoque servi, pervenit*. Venulejus de Officiô Proconsulis, 6. l.11. D. de Offic. Proc. *Rejicere legatus apud Proconsulem debet.*

(oo) Aliàs *rem*, & *ex circumstantiis personam* nonnunquam, immò & *Causam* cùm *impulsivam*, tùm *finalem*, porrò *Modum*, *Numerum* ac *Tempus*, *futurum* imprimis, designans.

(pp) vel Ad est *Nota termini, quo quid tendit*; *Apud* verò est *proximitatis Nota*.

(qq) *Lib.1. Æneid. v.24.*

Ad annum significat post annum finitum, & expletum. *In annum* est in tempus unius anni, Plaut. in rudente: (rr) *Comissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim*. Cicero lib.12. ad Atticum: *Nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos*. Varro Papiapapae: *De eâ questum ad annum veniam ad Norum Magistratum*. Julianus ad Ursejum Ferocem 2.l.18. D. de Manu Test. *Sed multò majus hoc ad annum liber esto*, vel ita potest accipi, *Post annum, quàm moriar, liber esto*. Livius Lib.37. in annum *unum vovebant, dieque incertâ faciebant*. Ibidem *Magistratibus* in annum *creatis*.

(rr) *Act.V. Sc. ult. v.66.*

Ad diem est, quod in diem ita collatum est, ut die finiatur. *Ex die* est, quod ex die incipit. Cato de Re Rustic. *Locus vinis ad Kal. Octobris primas dabitur*. Ibidem:

Dies

Dies argento ex Kal. Novembribus . Paulus ad Edictum 24. *Nam vel* ex die *incipit obligatio* , *aut confertur in diem* . Ex die *veluti Kal. Martiis dare spondes* ? *Cujus haec natura est, ut ante diem non exigatur.* Ad diem *autem usque ad Kalendas dare spondes* . Sed haec duo interdum confunduntur, & idem significant, quod *suâ die*, vel *certâ, & praefinitâ die* . Livius lib. 33. *Neque stipendium, neque frumentum* ad diem *dari* . Scaevola Digestor. 7. l. 10. ff. de Rescind. Vend. *Si* ad diem *pecuniam non solvisset, res inemta fieret. Ibidem: Si* ex die *pecunia omnis soluta non esset* , *& venditor ea praedia venisse nollet, inemta essent.*

Addicitur pignus, quando pro ratâ debiti pignus addicitur. *Adjudicatur* , quando non ita perpenditur quantitas debiti . *Datur in solutum* non sine consensu victoris. *Zas. ad l. 15. §. 6. 7. 8. ff. de re Jud.* (*ff*)

(*ff*) Sic *Addicit venditor rem licitatori* , quam illius esse jubet, dicens, *tuum esto*: Isque jam ex *Licitatore* fit *Emtor*. Id potissimum fit in auctione. Venditor interdum *addicit* rem minus pretium offerenti, si videatur emtor magis idoneus. Sed *in diem addici* dicitur, quod ita venditur, ut non statim fiat tuum, sed ad diem praescriptum. Ita *admensum vinum* dicitur, quod *mensura* traditum est; & *adnumeratum* quod *numero* traditur.

Adfinitas juxta l. 4. D. de Grad. & Affin. est diversarum cognationum per nuptias sponsaliavae copulatio, & *Adfines* sunt viri, & uxoris Cognati, dicti ab eô, quòd duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, ut *Cognati Uxoris* sunt *Adfines Viri*, & *Viri Cognati Uxoris Adfines*, quorum nomina ferè haec sunt; *Socer*, *Socrus*, *Gener*, *Nurus*, *Noverca*, *Vitricus*, *Privigna*, & alii ulteriores ; *Cognatio* autem est naturalis per foeminas conjunctio, & *Cognati* sunt, qui per foeminas conjunguntur, ut *Frater ex eadem matre tantùm natus*, *Avunculus* , *caeterique* . *Propinquitas* est commune vinculum, quod jure sanguinis contingit, & *Propinqui* dicuntur, inter quos aliqua sanguinis conjunctio est. Itaque proximus gradus est *Cognatio*, deinde *Adfinitas*, tùm *Pro-*

pin-

pinquitas. Cic. Or.4. in Verrem: *Quò quisque te maximè cognatione, adfinitate, necessitudine aliqua attingebat*. Idem pro Planciô: *Cum illô maximis vinculis, & propinquitatis, & adfinitatis conjunctus*. Sallust. in Jugurthâ: *Cognationem, adfinitatem, praetereà foetus intervenisse*. Ibidem: *Vos mihi Cognatorum, vos in locum Adfinium ducerem*. Massurius Sabinus Juris Civilis 3. *In judiciis apud majores ita observatum est, primum tutelae, deindè hospiti, deindè clienti, tùm* Cognato, *posteà* Adfini.

(*) *Adbuc*, & *Hactenus* aequè *continuationem* significant, sed hoc differunt ex mente *Manutii*, quòd *Hactenùs* de *re* semper usurpetur; *Adbuc* v. de *tempore*. Non rectè itaque dicitur *de litteris Adbuc*; sed *de litteris Hactenùs*. Sed *Autor ad Herennium*, & *Petr. Ramus* hoc discrimen rarenter observarunt.

Adire, & *cernere haereditatem* hoc differunt, quòd *Adire* est suscipere, & occupare haereditatem; *Cernere* v. est constituere, & quasi decernere se haeredem esse velle. Nam haeres intra certum tempus, à testatore praefinitum, testibus praesentibus, primùm *Cernebat* haereditatem, deindè *Adibat*. Ita *Cretio* prior est *Aditione*. Varro lib.5. de linguâ lat. *in testamentô* Cernito, *id est, facito, ut videant te esse haeredem. Itaque in cretione adhibere jubent testes*. Plinius Epist.10. *Julius Largus rogavit testamento, ut haereditatem suam* Adirem, Cerneremque; Ulpianus in Institutionib. Cretio *est certorum dierum spatium, quod datur instituto haeredi ad deliberandum, utrum expediat ei* adire *haereditatem, nec ne, velut Titius haeres esto* cernitoque *in diebus centum proximis, quibus scieris poterisque: nì ita* creveris, *exhaeres esto*.

Adjutor dicitur in re bonâ; *Impulsor* in malâ. *Adjutor* à non irascente; *Impulsor* à criminante atque iratô dicitur. *Donat. ad Ter.* (*tt*)

(*tt*) Alioquin *Adjutor* usurpatur, quandò *quis par* est *alicui*, vel *hoc*, vel *illo superior*, *potentior* ac *doctior*. Sic *Tartari* non possunt dici *Turcarum* Adjutores, quia *Turca* neque *parem agnoscit*, neque *superiorem*, sed possunt dici potiùs *copiae auxiliatrices*.

(*) *Admonitio* est docentis, quid faciendum sit; *Monitio* verò est extimulantis, sed sine acerbitate. Vndè *Admonere* est docere; *Admonita* verò *tradere* est Praecepta tradere.

(*) *Ad-*

(*) *Admolimur*, quod adjungimus. *Amolimur*, quod removemus.

Adolescens vocatur, qui annos *Pueritiae* reliquit. *Juvenis* autem, qui *Adolescentis* excessit *Aetatem*, quoad incipiat inter *Seniores* numerari, ut tradit *Marcellus Jurisconsultus*. Cui adstipulatur *Varro*, qui *quinque gradûs Aetatis* aequabiliter putat esse divisos, unumquemque scilicet, praeter extremum, in annos *quindecim*, & primô gradu usque ad annum *quintum decimum* PUEROS dictos, quòd sint *puri*, id est, impuberes: secundô ad *tricesimum* annum ADOLESCENTES, ab *alescendô* sic nominatos. In tertiô gradu, qui erant usque *quinque*, & *quadraginta* annos, JUVENES appellatos, eò quòd *Rempubl. in re militari possent juvare*. In quartô autem ad usque *sexagesimum* annum SENIORES esse vocitatos, quòd tunc primum *senescere corpus incipiat*. Indè usque finem vitae uniuscujusque quintum gradum factum, in quô qui essent, SENES appellatos, quòd eâ Aetate *corpus seniô laboraret*. Sed *Oratores*, & *Historici* promiscuè nominant *Adolescentes*, & *Juvenes* intra annum *vicesimum*, & *quadragesimum*, ut Sallust. in Catilinâ *Caesarem* Adolescentem *vocat, qui jam Pontifex maximus creatus erat annô aetatis* 36. Rursus Cicero de Senectute *Catonem* Adolescentem, *cùm* annos *natus plus minùs* 24. *militaret sub Fabiô V. Cos.* & de claris Oratoribus *Crassum* annos *natum* unum & viginti, *cum Carbonem accusaret admodùm* Adolescentem. Idem L. 2. Epistolar. *Curionem* Adolescentem triginta annis *majorem*; *eundem ad Atticum Juvenem*, cùm ageret annum 24. Nunc autem aliter *Adolescentis* nomen usurpatur, nimirum de *ea Aetate*, quae annô incipit 13. definit 20. ex quô *Juvenis* appellatur.

Adolescere, (*uu*) augmenti est. *Inolescere* coagmenti. *Exolescere*, (xx) vanescentis. *Agraetius*. (*yy*)

(*uu*) quod idem, ac *crescendo ad staturam venire*.

(*xx*) h. e. *adultam Aetatem superare*.

(*yy*) Sic Ado*lescentes adolescunt* à prima *Adolescentia* in *adultam* usque *Aetatem*: deinde *abolescunt* rursum, donec *exolescant*, & *obsolescant*, h. e. *exoleti* fiant, & *obsoleti*.

Ado-

Adoptio est actus legitimus, per quem *Filius* à *Patris naturalis* Familiâ in *adoptivi* Familiam transferebatur; *Arrogatio* verò est, cùm aliquis *Patrem* non habens, in potestatem sese *adoptivi Patris* tradebat. *Illa* apud *Praetorem*, vel *Proconsulem*, vel *quemlibet alium Magistratum*, *apud quem legis actio esset*, fiebat, *Parente naturali* Filium ternâ mancipatione cedente. Haec olim, rogatione latâ, apud *Populum in forô*, posteà apud *Principem* fiebat, *ipso* dumtaxat, qui adrogabatur, *autore*, ut Cicero in Oratione pro Domô, & Gellius lib.5. (*) *Noct. Attic.* c.19. referunt. Modestinus Regular.2. l.1.& 2. de Adopt. Adoptantur *Filii familias*, Adrogantur, *qui sui juris sunt*. Hanc tamen *Differentiam* non semper observant *Oratores*, & *Historici*, apud quos *Adoptionis* nomen est *generale*, quô continentur *Adrogatio*, & ea, quae *specialiter* dicitur *Adoptio*. Cicero pro Domô: *Quod est Pontificis* jus Adoptionis? *nempè ut is* adoptet, *qui neque procreare jam Liberos possit, & cùm potuerit, sit expertus*. Tacitus Lib.7. Annal. *Si te privatus Lege Curiata apud* Pontifices, *ut moris est*, adoptarem. Svetonius in Augustô: *Tertium nepotem* Agrippa, *simulque privignum Tiberium* adoptavit *in foro, Lege Curiata*. Quibus in locis *Adoptio*, ut *genus* sumitur pro *Adrogatione*.

(*) *Adorare* quanquam ab *orando* dictum est, tamen *adoramus* sine *voce*, veluti *gestu corporis*, quod tribuitur, & *mutis animantibus*. *Adorare* enim *propriè* vi vocis est *manum ad os movere*, & *Adoratio manu ad os relata* audit *salutatio*, quemadmodum ex *J. Lipsii l.2. Elector.* c.6. docuimus in *Supplementis* ad c.3. *Discursus Philologici nostri* de Osculis p.131. seq. *Edition. Chemnic.* Itidem *Supplicare* dicimur, quum à plicandis genibus dictum sit, tamen & *sola voce Supplicare* dicimus; praesertim cùm abjectioribus utimur verbis. Hoc, qui facit, *Supplex* dicitur. *Graecis* Προσεύχεσθαι, qui *adorabundus* aliquid petit. Προσκυνῆσαι, qui *gestu adorat*. Ἱκετεύειν, qui *supplex genibus*, & *manibus* aliquid petit.

Adpromissor est, qui alienae promissioni accedit, à verbô *adpromitto*, quod est insuper, & praeter alium promitto; *Expromissor* verò is dicitur, qui pro eô promittit, qui ipse efficaciter obligatus non est, veluti qui

pro

pro servô, cum quô nulla contrahitur obligatio, promittit. Pomponius ad Sabinum 26. L. 5. D. *de verb. Oblig. Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat* Promissorem, *ut* Adpromissores *quoque ab eô accipiantur*, id est, *qui idem promittant*. Ulpianus ad Edictum XI. l. 7. D. de Dol. *Si nolit* Expromissorem *ipsum manumissum accipere*. Expromissori *planè adversus manumissum dari debebit de dolô, aut si non sit solvendo*, Expromissor *domino dabitur*. Sed haec Differentia, quanquam *juris interpretibus* valdè placuit, mihi tamen non probatur, cùm videam, in *Libris Veterum Jurisconsultorum promiscuè*, & *indifferenter* appellari *Adpromissores*, & *Expromissores*, qui pro aliô quocunque se obligant, ut in *Titulô* de *solutô matrim.* de *Solutionibus*, de *Pignorat. Actione*, de *Condict. Causa data, ad S.C. Vellejanum*, & aliis multis locis.

Adscripti, & *Adscriptivi* multùm differunt. Nam *Adscripti* dicebantur, qui nomina in *colonias* dederant, ut essent *Coloni*. Ad quorum similitudinem posteà dici ceperunt *Adscriptitii*, qui erant *coloniis* adsignati, & ibi culturae causâ perpetuò manebant, atque cum *praediis* mancipabantur alienabanturque. *Adscriptivi* erant, qui supplendis legionibus *mortuorum Militum locô* substituebantur, quos eosdem vocabant *Accensos*, quòd in Legionum censum essent relati. Livius lib. 14. *Coloni* adscripti *in colonia, quam testem integritatis justitiaeque habent.* Paulus respon sor. 11. L. 54. D. Locat. *Servus, qui aestimatus coloniae* adscriptus *est, ad periculum coloniae pertinebit.* Plautus in Menaechm. (zz)

Idem istuc Aliis Adscriptivis *ad legionem fieri solet.* Varro lib. 3. de Vitâ Populi Rom. *qui de* Adscriptivis, *cùm erant attributi Decurionibus, & Centurionibus, qui eorum habent numerum*, Accensi *vocabantur.*

Adsectari differt ab *Appellare*. *Appellat* n. qui sermone Pudicitiam attentat. *Adsectatur*, qui frequenter aliquam tacitus sequitur: *l. 15. §. 22. ff. de injur.*

(zz) *Act. 1. Scen. 3. v. 2.*

(*) *Advenire* dicitur, & qui jam in *propinquo* est, & *advenisse*, qui *jam* adest. *Adventat*, qui *longius* abest in *itinere*. Nec is *advenasse* dicitur quum *perveneris*. Uxor *Advenienti Viro* occurrit ad limen, *adventanti* non occurrit. *Ventitat*, qui *frequenter* venit.

Adventitia bona aliundè, quàm ex re Patris obveniunt: *L.36.pr.f. C.de Inoff.Test. Profectitia* ex re Patris, *§.1. F.per quas Pers.*

(*) *Adversa vulnera* vocantur, quae in *pectore fronteque* sunt accepta, & *laudi* dantur; *Aversa* verò, quae in *tergo*, & *probro* dantur. Vndè *Cicero*: Et adversus, & aversus *impudicus es*, hoc est, *à fronte*, & *à tergo*.

(*) *Adversamur* ei, cui repugnamus, & obsistimus. *Aversamur* eum, quem detestamur. Vndè *adversa Fata* dicuntur, quae nobis obstant. *Aversi Dii*, qui precibus nostris surdi sunt.

Adversus refertur ad *Personam* tantùm. *Contra* ad *Locum*, & *Personam*, ut volunt *Grammatici*; cùm tamen *Adversus* etiam ad *Locum* referatur. Terent. in Phormione: *(a)*

- - - - - ex adversum *ei loco*
Tonstrina (h. e. apta sedes otiosis, & nugivendis)
erat quaedam - - -

Livius Lib.49. Adversus *viam, quà in Capitolium ascenditur*. Sed cum ad *Personam* referuntur, hoc differunt, quòd *Adversus* levius est, quàm *contra*. Nam *Contra* Inimicitias, Dissidia, & nocendi Voluntatem ostendit: *Adversus* etiam cum bona Voluntate est, & *Erga* significat. Cato de Consulatu suô: *Omnia plena hostium, copiae magnae* contra *me sedebant*. Terent. in Andria: *(b)*

Id gratum fuisse adversum *te habeo gratiam.*

Cic. L.1.de Natura Deorum: *Pietas* adversus *Deos*. Idem ad Paetum: *Te* adversus *me omnia audere gratum est*. *Adversum* te, *Adversarius*. *Adversus* te, *Imitator* est. *Agraetius*. *Adversum* semper *Praepositio* est, *(c) Adversus* interdùm *Participium*, ab *Adverto*. *Donat. ad Ter.*

(a) Act.1. Sc.2. v.38. seq. *(b) Act.1. Sc.1. v.15.*
(c) ut Adversum *te habeo gratiam.*

(*) *Advertimus* animum, quum attendimus. *Avertimus*, quum ad alia vertimus.

(*) *Adulamur* serviliter, etiam *gestu*, quod *Canibus* quoque *nobiscum* est commune. *Assentamur* ad gratiam loquentes. Ideoque *Assen-*

tatio non tribuitur *mutis Animantibus*. *Blandimur* quoquo modo, dùm *placere* studemus *magis*, quam *vera dicere* Sunt qui dicunt, *adulantem* omni mentiri tempore. Veritatem verò *Blandientem* posse loqui. Sic etiam *facto blandimur*, veluti qui pinxerat *Venerem deformem*, dicitur *blanditus Minervae*. Dicimur & *Blandiri vitiis nostris*, dùm ea excusamus, aut attenuamus, *Blandiri calamitatibus* dùm eas elevamus. *Palpamur manibus*; dùm *blandimur*. Equis. Et hoc transfertur ad *alia* quoque. Indè *Palpones* dicti *Adulatores*. Et *Palpum obtrudit ille*, qui *blandiendò* fallit.

Adulterium est concubitus illicitus cum *nuptâ Muliere*, sed honestè vivente, quasi ad alterius torum accessus. *Vid. L.6.§.1. D. de Adult.* *Incestus*, (d) est cum Consanguineâ, vel aliâ, quam quis ducere uxorem prohibetur; *Stuprum* (e) verò est cum *Viduâ*, aut *Virgine*. (f) Cicero pro Flaccô: De *Probris*, *Adulteriis* ac *Stupris*. Tacitus Lib. 1. Historiar. *Quoties Pecuniae materia deesset*, Stupris & Adulteriis *exorabatur*. Sed interdum *Stupri* nomen generale est, & de *Adulteriô*, *Incestu*, & *quôcunque Flagitiô* impropriè dicitur. Undè Lex Julia de Adulteriis promiscuè his verbis utitur, sicut alii quoque Autores. Cicer. Orat. 7. in Verrem: *Noctu* Stupri *causâ lectica in urbem introferri solitus est ad Mulierem nuptam uni, propositam omnibus*. Sallust. Lib. 3. Historiar. *Ac statim fugitivi contra praeceptum Ducis rapere ad* Stuprum *Virgines*, *Matronasque*. Livius Lib. 36. *Nec rapi ad* Stuprum *Matres Campanas*, *Virginesque*, & *ingenuos Pueros*.

(d) *quod idem, ac incastus*, (e) *qs.* dicas *Stupor turpis*.
(f) *Quod fit saepissimè cum violentâ Libidine*. Ideoque Deus *Stupratores* lapidari jussit, *Deut. XXII. 24*.

Advocatus est, qui alteri adest in causâ, sive jus suggerit, ut *Jurisconsultus*, sive praesentiâ suâ Adversarii injuriam propulsat, ut *Amicus*, (g) *Patronus* est, qui (h) in Judiciô causas oratione defendit, ut *Orator*, & *Causidicus*. (i) *Advocati* suscipiunt Personas. *Procuratores* Negotia. *Advocati* debent esse Jurisperiti, non item *Procuratores*. *Illi* sunt quasi Tutores. *Hi* qs. Curatores. *Advocato* meo sum Cliens. *Procuratori* Mandator, vel Dominus. *Advocatia* peragitur extra Judicium; *Procuratu-*

ratura verò non nisi in Judiciô. *Illa* est difficilior, *Haec* facilior. Vult. Comm. Inst. ad Pr. Tit. de Act. n. 28. seq. Itaque *Advocati* nomen generalius est & honestius, quàm *Patroni*, quod *Ovidius* (k) festivè expressit:

Munera det Dives, Jus qui profitebitur, adsit,
Facundus causam saepè Clientis agat.

Asconius Pedianus in Divinationem: *Qui defendit alterum in Judiciô, aut* Patronus *dicitur*, *si* Orator *est*, *aut* Advocatus, *si aut* Jus suggerit, *aut* praesentiam suam *commodat* amico. Idem: Vel ut *consulantur*, conveniunt *Advocati*, vel ut *alterutri parti apud* Arbitros *adsint*, vel ut *ipsi Judices* in rem aliquam *capiantur*. Et hoc olim. Posterior autem Aetas *Advocatum* dixit quemcunque *causarum Actorem*. Tacitus de Oratoribus: *Horum temporum* Diserti, Causidici, & Advocati, & Patroni, & *quidvis potiùs*, *quàm* Oratores *vocantur*. Ulpianus de omnibus Tribunalib. 8. L. 1. D. de extr. Cog. Advocatos *accipere debemus omnes omninò*, *qui causis agendis quoquô studiô operantur*. *Advocatur* daturus *Patrocinium*. *Invocatur* praebiturus *Auxilium*. *Exvocatur* praestiturus *Obsequium*. *Agraetius*.

(g) vel breviter: *qui adest periclitanti*, *auxiliaturus*, *si quid opus sit*. Hujus officium *Advocatio* dicitur.
(h) *alicui se beneficiis* Patrem (speciatim *Defensorem*) *praestat*, s. qui.
(i) Vndè *Patrocinari* pro *auxiliari*, & *Patrocinium* pro *auxilio* ponitur.
(k) *Lib. 3. de art. amandi v. 531. sq.*

Aedes, & *Aedificia* separat Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. *Post* Aedem *Saturni* in Aedificiorum *Legibus*, & Livius Lib. 4. *Quae* Aedes Aedificiaque *intra fines regni Antiochi sunt*. Nimirum *Aedes* sunt *sacrae*, & *profanae*, *Aedificia*. (l) tantùm *profana*, atque etiam illa, quae non sunt apta habitationi, ut *Porticus*, *Propugnacula*, & similia. *Aedes* sunt *urbana* Aedificia. *Villae rusticae* *L. 221. de V. S.*

(l) *structurae* quippe *parietibus*, & *tecto propriè constantes.*

Aedes sunt, etiamsi tectô carent, neque habitantur. *Domus* intelligitur omnis habitatio, in quâ Paterfami-

liâs habitat, quae tectô, & parietibus constat. Latior ergò est significatio *Aedium*, quàm *Domûs.* (m)

(m) Quod autem *malè* probatum est in *prioribus Editionibus* ipsius *Popmae*, & *Musculi*, immò & in *ultima illa*, quam *Hieronymus Thomae* non ita pridem *Gissae* jussit imprimi, *Testimonio illo Plautino*, quod ex *Rudent. Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* 25. hunc in modum, sed *falsò*, ibidem extat:

Domum nostram, agrum, Aedes, mancipia.

Nam si *antecedentia verba Textus* aspicimus, *Constructionisque ordinem probè*, ut decet, attendimus, videbimus, non legendum esse *Domum nostram*, &c. Sed *demùm instruam agrum*, &c. Et *hanc lectionem* observarunt quoque, *Veteribus* praeeuntibus, *Camerarius*, *Taubmannus* in *utràque Editione*, *Dousa* Fil. *Pareus*, *Buchnerus*, *Cothenienses*, & *alii*.

Aedes sacra, & *Templum* hoc differunt, quòd Aedes sacra per se *sancta* erat, non *augurata*, ut *Aedis Vestae*; sed postquàm per *auguria* constituebatur, & *sancta*, & *augurata* erat, & *Templum* fiebat; *Templum* verò per se *auguratum* erat, non *sanctum*, ut *Rostra* in forô *auguratô* constituta, nec tamen *Deo* dicata, nominantur *Templa*; Itemque *Curia Hostilia*, *Pompeja*, & *Julia*, ut autor est Varro Lib. 4. Epistolicar. Quaest. Idem Lib. 6. de Linguâ Lat. *Curia Hostilia* Templum *est*, & sanctum *non est*: *sed hoc*, *ut putarent*, Aedem sacram *esse*, Templum, & sanctum *esse*, *quòd in urbe* Româ *pleraeque* Aedes *sacrae sunt* Templa, *eadem sancta*. Praetereà *Templum* etiam profanum est, & *Domum* quamvis hominum, & inferiorum significat. Quae res exemplorum confirmationem non desiderat. (n)

(n) *Aedem* ex *Servii* mente *Num. Sing.* de *Templo* tantùm dicimus, & quidem *ferè semper cum adjectione*, ut in *Aede Jovis*, *Mercurii*, *Minervae*, *Concordiae*, &c. *Plurali* verò *secundum adjectionem*, & *privatam Domum*, & *Templum* significat, ut Aedes *meae*, *Domus mea*, Aedes *Marcelli*, &c. Etiamsi *egregias*, aut *pulchras* Aedes, aut *absolutè* Aedes diximus, *Domum* tantummodò designare solemus. Si verò addimus *aliquid ad Religionem spectans*, ut si in Plùrali etiam dicimus *sacras Aedes*, aut *Nympharum* Aedes, *Templa plura* annotamus. Conf. *Tortelii* Lima Orthogr. fol. 70.

Aedificare est Aedes *struere*, *vel construere*. *Exaedificare* est structuram *in altum*, & *longum producere*. Sallust. in Catilinâ: *Cùm domos atque villas cognoveris in urbium modum* exaedificatas. Arnobius L. 7. *Cur templa*

pla post condita, sibique exaedificata *delubrat.*

Aeger & animô, & *corpore* laborat, (*o*) *Aegrotus verò corpore tantùm*. Sallust. in Catilinâ: *Antonius* pedibus *aeger*. Idem in Jugurthâ: *Animus aeger* avaritiâ *facilè conversus est*. Sed *Aegrotum* pro *Aegrô* dixit Terent. in Heavtontimor. (*p*)

Neque ut animum decuit aegrotum (*q*) *adolescentuli.*

Et in Andriâ: (*r*)

Ipsum animum aegrotum *ad deteriorem partem*
plerumque applicat.

(*o*) s. aegrescit plerumque, & *animo & corpore simul*, & tùm aegrotat *periculosius.*
(*p*) *Act.1. Sc.1. v.48.* (*q*) h. e. *infirmum.*
(*r*) *Act.1. Sc.2. v.22.* juxta *Edition. Haynecc.*

Aegrotationem, & *Aegritudinem* Cicero distinxit Lib.4. Tusculanar. Quaest. his verbis: *Sed propriè, ut* Aegrotatio *in corpore: sic* Aegritudo *in animô nomen habet*. Ibidem: *Praeclarè nostri molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum aegrorum*, Aegritudinem *nominaverunt*. Idem tamen eôdem Librô dixit *Aegrotationes animi*, ut Horatius: (*s*)

- - - - *quô me*
Aegrotare *putes* animi vitiô. - - -

(*s*) Lib.2. Satyr 3. v.306. seq.
(*) *Aemulari* fit cum *tacito quodam animi motu*, & plerumque cum *Invidia*. Ideoque idem est, ac *invidendo imitari*, & quasi *assequi*; etiamsi *Aemulatio* nonnunquam *Virtutis imitatio* est. Sed *Imitari*, quod *propriè* se alteri conformare notat, & vocabulum μέσον, & sumitur *potissimum* in *bonam* partem, sic & *Terentius* in *Prol. Andr.* v. 20. *Aemulari* dicit pro *Imitari* his verbis:

Quorum aemulari *exoptat negligentiam*
Potiùs, quàm istorum obscuram diligentiam.

Aequale est alterius staturae par; *Aquabile* vero, quod aequari potest. *Corn. Front.*

Aequitas, (*t*) est quaedam convenientia, & moderatio rationabilis. *Jus* est decisio, quae fit secundùm Juris (*u*) regulas. (*x*) *Clementia* solius *Principis* est, vel parem potestatem habentis, *Connan. l.1. c.11. n.9.*

(*t*) s. *Aequi ratio*, (*u*) *cùm divini, tùm humani.*



(x) Ideoque idem eit, ac *DEI*, & *rectae Rationis jussum.*

Aerarium est locus, (y) in quô publica Pecunia *Populi* asservatur, ut olim in Aede *Saturni*; *Fiscus* verô *Principis Aerarium* est, ad decorem, & Majestatem ipsius conservandam statutus, à *fiscis* (z) *viminibus*, hoc est Sportis, in quibus pecuniae publicae asportari, & concludi solebant, dictus, uti *Asconius Pedianus* notavit. Tacitus Lib. 2. Annal. *Quantum* Aerario, *quantum* Fisco *pendebant*, *in quinquennium remisit*. Idem Lib. 5. *Bona Sejani ablata* Aerario, *ut in* Fiscum *cogerentur*. Plinius in Panegyrico: *At fortasse non eâdem severitate* Fiscum, *quàm* Aerarium *cohibes*, *immò tantò majore, quantò plus tibi licere de tuô, quàm de publicô credis*. Svet. in Augustô: *Quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in* Aerario, *&* Fiscis, & Vectigaliorum *residuis*. Idem in Claudiô: *Positis ante se cum pecuniâ* Fiscis.

(y) *s. aedificium*, (z) & non *fiscis*, ut in caeteris *Editionibus* legitur.

Aestas est pars anni, (aa) *Aestus* calor temporis. *Aestus* à nimiô calore nomen accipit. (bb) *Aestas* nomen non amittit, etiamsi temperata est. *Corn. Front.*

(aa) *calida nempe, quae cogit pecora* aestivare *sub* aestivis.
(bb) *Et est vel in* aëre, *cum ustus* aër *aestuat*, *vel in* mari, *cum undae* inaestuant, aestuososque *fluctus in sua* aestuaria exaestuant.

Aestimare, inquit *Valla*, est considerare. *Existimare* est judicare. Itaque priùs rem *aestimamus*, deinde qualis sit, *existimamus*. Quae interpretatio (cc) non satis explicat veram, & propriam harum Vocum *Differentiam*. Nam *Aestimare* est, (dd) res comparare, & componere, atque ita expendere, quid parvi, aut magni referat; quid sit probandum, aut improbandum. *Existimare* autem est judicare, benè, vel malè opinari, (ee) *Illud* fit ex rerum collatione. Hoc est opinionis, & judicii, ut *Aestimo te magni*. *Existimo te magnum*. Sallust. in Catilinâ: *Eorum ego vitam mortemque juxta* aestimo. Idem in Jugurthâ; *Utrùm graviùs* aestimet, *nemini occultum est*. Caesar Lib. 3. de Bellô Civili: *Leviuf-*

viuſque tempeſtatis, *quam claſſis periculum* aeſtimave-runt. Interdùm tamen *Exiſtimo* accipitur pro *Aeximo*. Terent. in Phormione: *(ff)*

Id illa univerſum abripiet, *haud* exiſtumans *(gg)*
Quantô labore partum. - - - -

Salluſt. Lib. 3. Hiſtoriar. *Si* Quirites *parùm* exiſtimaretis, *quid inter Jus à Majoribus relictum nobis*, *&* *hoc à* Sullâ *paratum ſervitium intereſſet*. Idem in Jugurthâ: *Nunc vos* exiſtuma[illegible] *facta*, *an dicta pluris ſint*.

(cc) *noſtro quoque* ju[illegible]o.
(dd) & quidem propriè, *pretium rei ſtatuere*, ſeu
(ee) ſ. *diligenter aeſtimando ſtatuere.*
(ff) *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 11. *ſeq.*
(gg) Vid. *Martini Haynecii* notae marginales ad *h. l.*
[*] *Affabilis* eſt, qui *comiter* appellat eos, qui occurrunt. *Graecis* dictus φιλοπροσήγορος, & opponitur homini *moroſo*. Indè *Affabilitas*, quae alloquendi *facilitatem*, ſermonis *comitatem*, ac audiendi *lenitatem* appoſitè ſignificat. Sed *Blandus* eſt, qui *familiarius grata oratione* cum hominibus ſolet agere. Graecis εὐπροσήγορος.
[*] *Affectio*, ſive *Affectus*, Πάθος *Graecorum* nomine veniens, eſt omnis animi incitatio, ſtudium & motus cujus genera ſunt *Ira*, *Miſericordia*, *Amor*, *Odium*, & praecipuè *Metus*, *Spes*, *Dolor*, ac *Gaudium*, & opponitur *Rationi*. Habet a. nomen ſuum ab *afficiendo*, h.e. ejuſmodi *verbo*, quod ad *quamvis* ferè *rem* optimè ſeſe poteſt accommodare. Dicitur enim non ſolùm *honore*, *praemio*, *munere*, *laetitia*, atque *beneficio*; ſed & *moleſtia*, *dolore*, *contumelia*, *injuria*, & *re quavis alia*, quae *animum*, vel *corpus* tangere, movere, concitare atque cruciare poteſt, aliquem *afficere*. Vbi notandum, quòd qui *affectus injuria* eſt, *illius* ſemper *meminerit*; qui autem *beneficio*, *illud* facillimè *obliviſcatur*. Contrà *Affectatio* eſt aemulatio, ſive appetentia rei, Κακοζηλία quod potiſſimùm in *malam partem* ſumitur. à *Graecis* appellata. Hinc *Sermo affectatus* reprachenditur. Et qui *laudem undiquaque affectat*, venatur *illam*, & captat. Sed *affectare quietem*, pro *quietem cupere* minùs *Latinè* dictum eſt.

Affligo eſt opprimo, & proſterno. *(hh)* *Effligo* eſt excîdo, & penitùs deſtruo, in quô major violentia. Plautus in Aſinariâ: *(ii)*

Niſi quidem illa antè occupaſſit te, effliges *ſcio*.

Cicero Lib. 9. ad Atticum: *Filium miſit ad* effligendum *Cn. Pompejum*, *aut certè capiendum.* (kk)

(hh) Vt affligere *Statuam*, *Navem*, *Monumentum*, &c. ap. *Ciceronem* ſaepiùs. Indè *Afflictus*, hoc eſt, proſtratus & jacens, cui *Florens* opponitur. (ii) *Act.*

(ii) *Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* 9.
(kk) Sed *Infligere* est plagam incutere.
[*] *Agè* quum est *adverbium Hortantis*, Numero Singulari jungitur. *Agitè* Pluri. *Agedùm* utrique.

Ager est locus sine Aedificiô, qui culturae, & fructuum causâ habetur, sive *Campus* sit, sive *Vinea*, sive *aliud*. *(ll)* *Fundus (mm)* integra possessio est, *Agrumque* cum *Aedificiô*, & *Villâ* continet. *Possessio* Ager latè patens, cujus plenissimum usum habemus, proprietatem, & dominium non habemus, nec hab[illegible] possumus, ut est *Ager tributarius, stipendiariusque, &* *vectigalis*, item aliis usibus destinatus, qui omnes nec mancipatione abalienari, nec usucapi possunt; *Praedium* verò *generaliter* appellatur tàm *urbana*, quàm *rustica* Possessio. Javolenus Epistolar. 4. L. 115. D. de Verb. Sign. Fundus *est omne, quicquid solô tenetur*. Ager *est species* Fundi, *qui ad usum hominis comparatur*. Possessio *ab* Agrô *Juris proprietate distat*. *Quicquid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc* Possessionem *appellamus*. Possessio *ergò usus est*. Ager *proprietas loci est*. Praedium *utriusque supra scripti generale nomen est*. *Nam &* Ager, *&* Possessio *hujus appellationis species sunt*. Et haec quidem propria, & adstricta est harum Vocum significatio, quam *Juris Autores* subtiliter observarunt; cùm in communi usu loquendi alia quoque sit latior, cujus quoque exempla in *Libris* ipsorum passim occurrunt. Nam *Agri* nomine accipiunt *Aedificium*, & omnia, quae in *Agrô* continentur. *Possessionem* autem vocant rem ipsam, quae possidetur, ut puta *Fundum*, aut *Villam*. *Fundus* etiam modicus locus est, si *Fundi* animo eum habuimus, & plerumque sine *Villâ*, inquit *Ulpianus ad Edictum* 60. *L.* 60. *de Verb. Sign.* Itaque temerè, & sine ratione *Laurentius Valla* hâc in parte *Juriscolsultos* reprehendit, quasi à se ipsis dissentienteis; cùm *Illi* modò *propriam*, & *angustam* horum Verborum *significationem*, modò *tralatitiam*, aut *laxam* respiciant. *Godd. ad. d. L.* 115.

(ll) Seu

(*ll*) Seu *Ager* est pars *Ruris* sive locus in *Rure*, qui colitur sive *compascuus* sit, sive *arvus*, sive *floridus*, sive *consitus*. *Compascuus* habet *gramina*. *Arvus aratro* proscinditur. *Floridus* servatur *apibus*, & *voluptati*. *Consitus* habet *arbores*. Interdùm etiam *Ager* non unum aliquem; sed universum Territorium *Urbi* circumjectum, quod *Graeci* *χῶραν* nuncupant, declarat, & in se complectitur, & *Saltus*, & *Nemora*, & *Flumina*, & *Monteis*. *Rus* est omnis locus in *Agris* extra *Urbem*: *Ruri* enim habitat *Ruricola*, ibique *rurando*, & *rusticando* suis *ruralibus* operis panem quaerit. *Campus* est ampla planities sive in *Urbe*, sive extra *Urbem*. Vndè *Campus Martius* dictus, & *Regio Campestris*, quae *monteis* non habet.

(*mm*) qui *propriè* cujusque rei *imum* est.

Agere, *Facere & Gerere* hoc differunt, quòd *Agere*, & *Corporis*, & *Vocis*, & *Mentis* agitatum comprehendit. *Facere* tantùm refertur ad *Opera*, quae *Corpore* efficimus. (*nn*) *Gerere* est *Muneris*, & *Oneris*. (*oo*) Ita *agit* is, cujus post *actionem* Opus non extat, ut *Actor*, *Saltator*, *Cantor*, *Commentator*. (*pp*) *Facit* is, cujus Opus remanet, ut *Scriptor*, *Statuarius*, *Pictor*, & alii *Mechanici*. *Gerit Dux* & *Magistratus*, aut *Curator*. Terent. in Adelphis: (*qq*)

Hei mihi, *quid* faciam? *quid* agam? - -

Cicero Lib. 3. de Finibus: *Est ejus generis* actio *quoque quaedam*, *& quidem talis*, *ut ratio postulat*, agere *aliquid*, & facere *etiam*. Idem in Lucullô: *Idem in similibus artibus contingit*, *quarum omne opus est in* faciendô *atque* agendô. Livius Lib. 21. *Caetera omnia* ageret faceretque, *ut è Republicâ duceret*. Ulpianus ad Edictum 65. 1. 2. D. de Curat. Bon. *Quaeque per eum eosve*, *qui ita creatus creative essent*, acta, facta, gestaque *sunt*. Varro Lib. 5. de Linguâ Lat. *In eô propter similitudinem*, agendi, *&* faciendi, *&* gerendi *quidam error his*, *qui putant esse unum*. *Potest enim aliquis* facere, *& non* agere: *Ut Poëta* facit (*rr*) *Fabulam*, *& non* agit. *Contrà Actor* agit, *& non* facit. *Et sic à Poëta Fabula* fit, *& non* agitur: *ab Actore a.* agitur, *& non* fit. *Contra Imperator*, *qui dicitur res* Gerere, *in eô neque* agit, *neque* facit, *sed* gerit, *id est*, sustinet. *Translatum ab his*, *qui onera gerunt*, *quòd sustinent*. *Propriô nomine dicitur* Facere *à* Facie, (*ss*) *quòd rei*, *quam facit*, *imponit* Faciem, *ut* Fictor, *cùm dicit*

Fin-

Fingo, Figuram *imponit, cùm dicit* Informo, Formam: *sic cùm dicit* Facio, Faciem *imponit, à quâ facilè discernitur, ut dici possit, aliud esse* vestimentum, *aliud* vas. *Sic item quae fiunt apud* Fabros, Fictores, *item apud* alios *alia. Qui quid administrat, cujus* Opus *non extat, quod sub sensum veniat, ab* Agitatu, *ut dixi, magis* agere, *quàm* facere, *putatur. Sed quod his magis* promiscuè, *quàm* diligenter, *consuetudo est usa, translatitiis utimur verbis. Nam & quidem* Facere verba *dicimus, & qui aliquid* agit, *non esse inficientem.*

(*nn*) Ideoque *propriè* idem est, ac *opus quoddam producere*. Aliquando, & pro *consentire* ponitur. *His* enim *loquendi modis* utebantur rectè *Antiqui*: *Mecum s. Tecum* faciam, hoc est, *mecum*, i. *tecum* consentiam.

(*oo*) *Gerulus gerit* Onus, si non sit *ingestabile*. *Geraria* infantem tàm placida *gestatione*, quàm potest. *Gestoria* nàvis *gestat* Merces, quas divendere *gestiunt* Mercatores.

(*pp*) Sic *agit* Histrio *Fabulam*, alius *agit Demeam*, alius *Thaidem*, alius *Pamphilum*, alius *Aeschinem*. *Agit Consulem*, qui fungitur *officio Consulis*. *Agit Judicem*, *Amicum*, *Patrem*. *Agit Personam suam*, qui *sui* similis est. *Agit causam* Orator. *Nihil agit*. qui *frustrà* laborat. *Aliud agit*, qui *non* est attentus ad *id*, quod *agitur*. *Hoc age* dicimus *ei*, quem jubemus *esse attentum*. Agaso *agit Asinum*, qui *ducit*. Subulcus *agit Porcos*. *Aguntur Pecora*, *ducuntur Homines*. *Agit animam*, qui *morti* proximus est. *Agit*, qui movet, & *afficit*. *Agere*, ex mente *Donati*, est aliquid *necessarium* facere. *Agitare voluptarium*.

(*qq*) *Act*. 5. *Scen*. 3. *v*. 3.

(*rr*) Ideoque *Poëta*, vi vocis originariae, idem est, ac *Factor*, sicuti docuimus in *Libello* nostro de Poëtar. Corona *Historico-Philologico* c. 1. §. 2. p. 5. *edition. Cygn.*

(*ss*) Huic sententiae omninò est contrarius *Christian. Becmanus*, qui in *Originib. L. L.* p. 443. *Edition. Hanov.* quartae *Faciem* à *Facere*, obscurae quippe Originis *Verbo*, sicuti *Speciem* ab antiquo *Specere*, descendere affirmat.

Agere apud populum, est *concionem* habere ad *Populum* sine ullâ rogatione. *Agere cum Populô*, est vocare *Populum* ad *Consilium*, aut *Comitia*, rogareque, ut *suffragiis suis* quid jubeat, aut vetet. *Illud* omnibus aequè diebus fieri licuit, & non à *Magistratu tantùm*, sed *etiam* à *privatô Senatore*, Concionem ei Magistratu dante: Hoc comitiali duntaxat die à *solô Magistratu*. (*tt*) Messala Lib. 1. de Auspiciis: *Si* Concionem habere *volunt*, *uti ne cum* Populô agant. Festus Pompejus: *Forum est*, *in*

in quô Judicia fieri, cùm Populô agi, Conciones haberi *solent.*

(*tt*) Conf. *Gellii* lib. 13. *Noct. Atticar.* c. 14. & *Pauli Manutii* lib. de *Veter. Dier.* ratione, qui cum *ejusd. Antiquitatib. Romanis* ap. *Joan. Le-Preux.* A. CHR. M. D. XCV. in duodecimo exc. est, p. 425.

Aggredimur de longinquô, *Adorimur* ex insidiis, & è proximô. *Donat. ad Ter.*

Agilem (*uu*) Actio facit, *Strenuum* (*xx*) Virtus, *Fortem* (*yy*) Animus, *Robustum* (*zz*) Corpus. *Corn. Fronto.*

(*uu*) h. e. *celeriter se agentem.*

(*xx*) Unde *viros nobileis* decet imprimis *Strenuitas.*

(*yy*) *Fortis*, dum *fortiter* agit, ipso *Fortitudinis* exercitio *orescit*, ut alios quoque *fortificare* valeat.

(*zz*) vel *multi* roboris *hominem.*

Agnati sunt, qui (vid. *Pr. Inst.* de *Legit. Agnat. Tut.*) per *virilis Sexûs* (*a*) *Personas* cognatione junguntur, & *ejusdem nominis* sunt, quasi *Familiae* adnati, velut *Frater eodem Patre natus*, *Filius*, *Neposvè ex eô*, item *Patruus*, *Patrui Filius*, qui *Frater patruelis* dicitur, & *Nepos ex eô*. *Cognati* sunt, qui per *Foeminas* conjunguntur, quasi *simul* nati, vel *commune* nascendi *initium* habentes. *Gentiles* dicuntur, qui inter se ejusdem, & *generis*, & *nominis* sunt, ab *ingenuis* oriundi, quorum nec *Pater*, nec *Avus* servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti; licet interdùm *Gentiles* dicantur, qui *simili* tantùm *nomine* appellantur. Quô sensu Plinius dixit de Servis: *Singuli Marcipores*, *Luciporesvè Dominorum Gentiles*, & Cicero Lib. 1. Tusculan. Qu. *Servium Tullium Regem* vocat *Gentilem suum*, *cùm ejusdem* nominis *esset*, *non* generis. Praetereà *Agnatorum* nomen *generale* est, quô *Cognati*, & *Gentiles* continentur. Nam, qui est *Agnatus*, idem & *Cognatus*, & *Gentilis* est. Non utique autem, qui *Cognatus*, & *Gentilis*, idem & *Agnatus* est. Verbi gratiâ: Patris *Frater*, id est, *Patruus*, idem *Agnatus*, idem *Cognatus*, idem *Gentilis*, quia non *sanguinis* duntaxat, sed etiam *generis gentisque* ratione civili mecum numeratur. At Matris *Frater*, id est, *Avunculus*, *Cognatus* est, *Agnatus* non est, quia mihi *sanguine*

tan-

tantùm conjungitur, non etiam *genere*, propterea quòd *Mater* non ducit, & propagat *genus*, sed exit ab *ea domô*, in *qua* nata est, & in *Mariti* familiam transit. Cicero Lib. 2. de Inventione: *Lex est, si Paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque ejus* Agnatorum Gentiliumque *esto*. Ibid. *Si furiosus est*, Agnatorum Gentiliumque *in eo pecuniaque ejus potestas esto*. Varro Lib. 7. de Linguâ Lat. *Ut in hominibus quaedam sunt* Cognationes, *&* Gentilitates: *sic in verbis. Ut enim ab* Aemiliô *homines orti* Aemilii ac Gentiles: *sic ab* Aemilii *nomine declinatae voces in* Gentilitate *nominantur*.

(*a*) Non levis itaque error est in nonnullis *Grammaticae Schmidianae* Exemplaribus, quando *Versus ille tritissimus*.
Agnati Patris: *Cognati* Matris *habentur*:
p. 492. inverso ordine legitur, nisi velimus statuere, *varios & diversos* esse *inter se*, *Cognationem* quod concernit, *Cognatos* & *Agnatos*, uti mox patebit.

Agnoscere est recognoscere Propinquos, Amicos, aliasque res, quas *antè* novimus. *Cognoscere* est noscere eos, qui *priùs* incogniti erant. (*b*) Pacuvius:

In turba Oresti *cognita*, agnita *est soror*.

Svetonius in Augustô: *Illatum deindè* Augusti *Testamentum non admissis Signatoribus, nisi Senatorii Ordinis: caeteris extra Curiam signa* agnoscentibus *recitavit per Libertum*. Sed *haec Differentia* non semper observatur, ut Sallust. in Catilinâ: *Cum priùs omnes signa sua* cognovissent. Livius Lib. 25. *Potestas Dominis res suas* cognoscendi *facta*.

(*b*) Itaque *Agnoscere* plus est, quam *Cognoscere*. Illud *specialius*, hoc *generalius* est. Sic *Agnitio* DEI *plus* est, quàm *Cognitio* DEI. Haec *plurium*. Illa *pauciorum*. Pater *agnoscit* filium, cum eum ad *se* adscilcit, & pro *suo* habet. Quae *liberorum Agnitio* JCtis est τῶν παίδων Ἀνάληψις. Hinc intelligitur, quid sit: *Agnoscere aliquem discipulum suum*: *Agnoscere erratum suum*, est confiteri, &c.

[*] *Ala* est brachium *Avis* alatum, cujus ope *Ales* volat, omneque *alatum* animal. *Penna Avium* vestis, qua etiam volant. *Pluma* mollior, & minor penna *Talaria* sunt *alae* talorum *Mercurii*. Propriè autem sunt *calceamenta*, quae ad *talos* ligantur.

Album minùs est, quàm *Candidum*. Nam *Album* propius est *pallido*, & contrarium *atro*; ast *Candidum* in-

intensâ luce perfusum est, & opponitur *nigro*. Illud *naturâ*, hoc *curâ* fit. *Corn. Front.* Hinc *Alba Toga* erat communis *Civium Romanorum* vestis, quâ *diebus festis & solemnibus* (c) induebantur. *Candida* verò *eorum*, qui *honores* petebant, in quam intendendae albedinis causâ *cretam* addebant. Quò allusit Persius; (d)

- - - - *Quem ducit hiantem.*
Cretata *ambitio.* - - - -

Quanquam *haec duo* interdùm confundantur, ut cùm Cato dixit: *In* Italiâ *atras capras lac* album *habere.* Varro in Andabatis: Candidum *lacte è papillâ cùm fluit.*

(c) Leg. *Alexandr.* ab *Alex.* Lib 5. *Gen. Dier.* c. 18. Indè rectè *Horatius* Lib. II. *Serm. Sat.* 2. v. 60. seq.
- - - *Nataleis aliosvè dierum*
Festos albatus *celebret* - - (sc. *Avidienus.*)
Conf. *Christophori Landini* Commentar. in praed: *Horat.* loc. p. 969. *Edition. Fabricianae*, & *Jacob. Cruquii* Enarrat. ad *Horat.* Lib. 1. *Sat.* 2. v. 16. p. 322. col. b.

(d) *Satyr.* 5. *v.* 176. *seq.*

Alere est vitam sustentare rebus ad victum cultumque corporis maximè necessariis, ut *cibô, vestitu, habitatione, &c.* (e) *Educare* (f) est à teneris ad maturam aetatem educere, & hoc ampliùs liberaliter habere, & instituere. *L.* 7. *D. de Alim. Legat.* Nam qui *alit*, tantùm praestat *alimenta*; qui autem *educat*, non modò *corpori necessaria* suppeditat, sed etiam adhibet *disciplinam*, & *institutionem*. Attius in Andromedâ;

Alui, educavi, *id facite, gratum ut fiet Seni.*

Plautus in Menaechmis: (g)

Nam illic homo homines non alit; *verùm* educat *Recreatque.*

Varro Lib. 2. de Re Rust. *Hosce item ut equulos, &* educant, & alunt. *Non. Marcell.*

(e) Seu est parvos nutrire, ut crescant. Nam cùm bonus *Altor* diligenti *alitura* aliquid *alit*, res ista alibi *alimento* benè culta benè *alescit*, atque si quid divulsum est, *coalescit*. Ideoque transfertur quoque saepissimè ad *incorporea*. Sic *puerile studium laudibus* alitur i.e. *augescit.* it *Memoriam ingeniumque assidua Exercitatio* alit.

(f) Pro quò *Terentius* in *Eunuch.* Act. 1. Sc. 2. v. 37. & *Virgilius* Lib. 6.

Lib. 6. *Aeneid.* verf. 765. *Educere* dicunt.

(g) *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 22.

Ali eſt nutriri; *Paſci* autem eſt ſaginari. Varro Lib. 3. de Re Ruſt. *Quae in villa circumvè eam* ali *ac* paſci *poſſunt*. Idem in Gerontodidaſcalicô: *Ubi graves* paſcantur, & alantur *Pavonum greges.* (h) *Non. Marcell,*

(h) Sic *Altilia* dicuntur *Animantia*, quae *incluſa* aluntur, ſive *Aves* in corte, aut aviario, ſive *Quadrupedia* in roborariò, ſive *Piſces* in vivario.

(*) *Aliquantum*, id eſt, paulum, vel nonnihil, ad *Modum* refertur. *Aliquot*, ſive *Aliquam-multi*, ad *Numerum*. *Aliquantiſper* ad *Tempus*, ſed cum ſignificatione *Brevitatis*, quemadmodùm & *Tantiſper*. Ut Tantiſper *heic mane*, *dum huc recurro*. Interdùm uſurpatur pro *non diutius*, ut Tantiſper *te meum dico*, *dùm quod te dignum eſt*. *Pauliſper* idem ad *Tempus* pertinet, ut: *Paulùm admodam rei* pauliſper *auſculta.* Errant itaque, qui *pauliſper* uſurpant pro *parum* ſive *paulum*.

(*) *Aliquis*, & *Quiſpiam* ferè *idem* ſignificant. *Quidam* pro *certo non nominato* ponitur. Interdùm & *Quiſpiam*. *Ullus* ferè *interrogativè*, aut *negativè*, aut *ſubjunctivè*, ponitur. *Non eſt* ulli *fidus*. *Vocat me* ullus? *Si quaeret me* ullus, *dicito*, *me eſſe domi.* Eodem ferè modò uſurpatur *Quiſpiam*.

(*) *Alius* de *pluribus* dicitur. *Alter* de *duobus*. Alius *eſurit*, alius *ebrius eſt*: alios *alia delectant*. *E duobus filiis* alter *duxit uxorem*, alter *in bello periit*. Alter *alterum ſublevat*. *Alius* interdùm ſonat *diverſum*. Alia *res eſt*. Alius *es multò*, *quàm ſoles*. *Alter ſimilitudinem*, Ut Alter *Tullius* i.e. *Tullio* ſimillimus. *Alter* interim *ſecundus* dicitur. Ut *Tu nunc* alter *eris ab* illò. *Praeteriit dies unus*, alter *tertius*. Per *Adverbium*: *Vocatus ſemel*, iterum, *ac tertiò non comparuit*.

(*) *Allevare* propr. eſt *levius* aliquid *facere*, ſ. *reddere*, deindè in *altum tollere*. *Elevare* eſt *ſursùm tollere*, immò & idem, ac *extenuare* atque *deminuere*.

Alloquium eſt ſermo, qui levandi ac minuendi alieni doloris causâ habetur: ſicut *Alloqui* interdum eſt *conſolari*. *Colloquium* eſt confabulatio quaelibet. Varro Lib. 5. de Ling. Lat. Colloquium, *cum conveniunt in unum locum* loquendi *cauſa*. *Hinc* adlocutum *mulieres ire ajunt*, *cùm eunt ad aliquem locutum* conſolandi *causâ*. Horatius in Epodis: (i)

Illic omne malum vino, cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

Catullus Epigrammat. (*) XXXIX. (k) v. 4. ſeq.

Quem tu, quod minimum facillimumque eſt,
Qua ſolatus eſt allocutione?

Tacitus Lib. 4. Annal. *Vix Propinquorum* alloquia *tolera-*

rari, *&c. Firmatos* alloquiô *adolescentulos*.

(i) *Od.* 13. *v.* 17. *seq.*

(k) Et quidem secundum *Horatii Tuscanellae*, *Florentini*, Editionem Hanoviensem. Editio enim *Plantiniano-Antverpiensis* facit *Epigr. XXXVI. Josephi Scaligeri* a. XXXV. ubi & hi *versus alio ordine* positi sunt.

(*) *Alluviones* sunt vel *Fluminum* vel *Maris*, vel *Pluviae*, aut *Demersiones*, aut *Translationes* locorum; *Eluviones* verò Fossae *pluvia* factae.

Altare est, quod à *terra* erectum atque exaltatum est: *Ara* verò, quae in *terrâ* statuitur. Unde & Mensae in aedibus sacris, atque etiam privatis *Ararum* vicem obtinebant. *Illud* superis Diis *tantùm* consecratum erat. *Haec tàm* superis *quàm* inferis. Virgil. Eclog. V. (*l*)

- - - *En quatuor* Aras.

Ecce duas tibi Daphni, duoque Altaria *Phoebo*!

Plinius L. 16. *Ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his* Altaria Araeque *debeant*. Plinius in Panegyrico: *Qui ipsi inter* Aras, *&* Altaria. Arnobius L. 6. *Non* Altaria *fabricamus*, *non* Aras. Idem Lib. 7. Arae *istae, quas dicitis*, Altaria*que haec pulchra*. Quanquam *Altare* numerô multitudinis interdùm significat *eminentia Ararum*, ut Virgil. Lib. 2. Aeneid. (*m*)

- - - *natae nequicquam* Altaria *circum*.

Tacitus Lib. 16. Annal. Altaria, *&* Aram *complexa*. *Aliquandò Libamina* Aris *imposita*. Sic iterum Virgil. Lib. 2. Aeneid. (*n*)

- - - *paterisque* Altaria *libant*.

Ara dicta ab *ariditate*, quia in iis adoletur *ignis* (o) *Altaria* ab *alendô*, quia *igni* adduntur alimenta. *Servius*.

(*l*) v. 65. seq. (*m*) v. 515. (*n*) v. 174.

(o) Est enim *focus sacer sacrificiis ustulandis* destinatus.

Altitudo est incrementum *Corporis*. *Alimentum* incrementum *Infantis*. *Alimonia* derivativum ab *alendo*, quasi particula *Animi*. *Corn. Front.*

(*) *Altor* sumitur *semper activè*, & notat illum, qui *alit*; A*lumnus* verò ex mente *Vallae* Lib. 6. *Elegantiar.* c. 1. *tantummodo passivè*, idemque est, ac qui *nutritur*. Verùm, quod praedicta vox *activè* quoque, h. e. pro eo, qui *nutrit*, accipiatur, omissis jam *Virgilii*, *Taciti* ac *Plinii* testimoniis, *Varro* hoc modo testatur: *Et ecce* (inquiens) *de improviso ad nos accedit cana Veritas, Atticae Philosophiae* alumna. *Ex Veri-*

tate

tate namque Philosophia, & non ex Philosophia Veritas est nata. *Huic in activa significatione* respondet *Graecorum* τροφός. In *passiva* τρόφιμος. Quanquam *hoc vocabulum* apud *Dioscoridem, Theophrastum & alios activè* etiam sumitur.

Alvus propriè Virorum est. (p) *Uterus* Mulierum. (q) *Venter* utriusque. (r) *Agraetius.*

(p) Aliàs dicitur *venter animalis.*
(q) Est enim *locus, quo* foetus conceptus *continetur.*
(r) *Propriae* autem est *corporis* regio ima, *alimentorum* receptaculum.

A Manu est is, qui *Amanuensis* aliter dicitur, cujus scilicet *operâ,* & *manu* ad *scribendum* utimur. *Ad Manum,* qui praestò adest ad *imperata facienda.* (s) *Cicero Lib. 3. de Oratore: Quem servum sibi ille habuit* ad Manum. Svetonius in Augustô, *Thallo* à Manu, *quòd pro Epistola* proditâ *denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Sic *A Pedibus* servus dicitur, qui negotia Domini *pedibus* exsequitur. *Ad Pedes* olim erat, qui stabat *retrò* Dominum accumbentem, & coenanti administrabat. Nam *Lecti tricliniares* in mediô Coenationum sternebantur, ut spatium, quantum satis esset ministrantibus, relinqueretur. *Cicero Lib. 7. ad Atticum: Pollucem servum* à Pedibus *meum* Romam *misi.* Seneca *Lib.* 3. de Beneficiis: *Servus, qui coenanti* ad pedes *steterat.* Martialis *Lib. 7.* (t)

Mistô lagenam replet ad pedes *vinô.*

Idem (u) tamen dixit:

Omnia cùm retrò pueris obsonia mittas, (x)
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Et *Plinius Lib.* 30. A pedibus *stanti interrogantique.* Sed ibi *à Pedibus* significat *locum,* non *ministerium,* ut *à tergô, à fronte.*

(s) Quòd a. *Differentia* haec omninò *vana,* ac *irrita* sit, testatur *Claud. Salmasius,* eminentioris Literaturae eximiè peritus Vir, in *Notis, & Animadv.* ad *Prooem.* Commentar. *Simplicii* in *Epicteti* Enchiridion p. 8. his verbis: *Falsi sunt viri doctissimi, quibus hactenus persuasum fuit,* Discrimen *esse inter* Servos ad Manum, & Amanuenseis, *s.* à Manu, *quasi hi tantùm sic vocati essent, quorum opera Dominus in excipiendo, quae dictaret, & scribendo uteretur. Nam* à Manu Servus, & ad Manum *idem. Ut* à Veste, & ad Vestem, *immò multa alia.* Servi *enim* Amanuenses, *quos etiam* Προχείρους Graecè *dictos licet*

cet bariolari, erant in ministerio quotidiano, *& Dominis* semper praestò *esse debebant, qui propterea, &* ad Manum Servi *dicebantur, & continebantur illorum appellatione* Muliones, Vestitores, Oblonatores, Vestiarii, Cellarii, Cubicularii, Arcarii, Coqui, Placentarii, Tonsores, Pistores, Lecticarii, *& alii omnes hujusmodi. Attamen Scribae videntur quibusdam* κατ' ἐξοχὴν Amanuenses *dicti, quia praeter caeteros urbani ministerii Famulos maximè illi* ad Manum. Rusticani *enim* ministerii Servos *Dominis suis* non semper ad Manum *praestò fuisse, docet nos* Paulus L.3. *Sent.* Tit.7. *Servis, inquit,* amanuensibus *legatis omnes, qui ex conversatione urbana, & in ministerio fuerint, debebuntur, nisi ex his aliqui perpetuò ad* opus rusticum *transferantur.* Addit mox: *dubitatum esse, an* Venatores servi, *vel* Aucupes *inter* urbana ministeria *continerentur. Quod idem est, ac si dixisset, inter* Amanuenseis.

(*t*) *Epigr.* XIX. v.19. (*u*) Lib. III. *Epigr.* 23.

(*x*) Editiones *Plantiniano-Antverpiensis* & *Ea*, quae cum *Parodiis Sacris Joan. Burmeisteri* cura *Goslariae* Anno CHR. M. DC. XII. in *duodecimo* prodiit, pro *Mittas*: rectiùs legunt *Tradas.*

Ambitio cupiditas gloriae, vel magnarum rerum desiderium. *Ambitus* est crimen affectati honoris. (*y*) *Hic* actu & opere perficitur, (*z*) *Ille* est in animô, velut *causa*, & *origo Ambitûs*. Nam qui honores *plùs nimiò* appetunt, hi *largitionibus, blanditiis, aliisque malis artibus* Populi suffragia captant, ex quô committitur *Ambitus*, cui reprimendo latae complures Leges *Baebia, Calphurnia, Pompeja, Tullia, Julia*; (*aa*) etiamsi *Ambitio* frequenter quoque sumitur pro *Favore*, & *Gratiâ*. Indeque fit *Ambitiosus*, ut *ambitiosus Judex*, & *ambitiosa Sententia*, quae *gratis, vel acceptâ mercede*, in alicujus favorem à *Judice* fertur. Cicero Lib. 13. Epist. *Quod solent facere, qui religiosè, & sine* ambitione *contendunt.* Svetonius in Domitianô: Ambitiosas *Centumvirorum sententias rescidit.* Ulpianus de Officiô Curatoris Reip. L.4. D. de Decr. ab Ord. fac. Ambitiosa *decreta Decurionum rescindi debere, sive aliquem debitorem demiserint, sive largiti sint.*

(*y*) Seu est captatio *honorum*, aut *dignitatum*, quam Ecclesiastici *Simoniam* vocant in rebus sacris. Corripit *penultimam*, licet nonnulli Grammatistae aliter garriant. Ita enim *Juvenalis* Sat. 8. v. 134.

Quòd si praecipitem rapit ambitus *atque libido.*

Sic *Ambitus* est etiam captatio quaedam *Favoris, atque Misericordiae.* Mendici enim ostentantes foeditatem vulnerum utuntur *ambitu* miseriae suae.

(*z*) i. in petitione versatur.

 (*aa*) Conf.

(aa) Conf. *Pauli Manutii* Lib.1. *Antiquit.Romanar.* qui est de *Legibus Romanis*, p.216. seqq.

Ambo (bb) de iis dicitur, qui *unô tempore*, aut *simul*, quid faciunt, ut *Cicero*, *& Antonius* ambo *Consules fuerunt*, *qui consulatum unà gesserunt*. *Uterque* (cc) de iis, qui *diversô tempore*, & *separatim*, ut *Cato* & *Cicero* uterque *fuit Orator*, qui diversis aetatibus *vixerunt*. Sic in Senatusconsultis addi solebat; *Consules alter ambovè*. Cicero in Philippicâ 8. *Uti C. Pansa, A. Hirtius Coss.* alter ambovè, *si eis videatur*. *Fl. Sosipater.*

(bb) sunt duo, vel *duae conjunctim*, ideòque.
(cc) *hunc*, & *illum* designans quippe.

Ambulare est spatiis factis in eadem vestigia saepius reflectere, idque ad *voluptatem*, vel *sanitatem*. (dd) *Ire* est porrò, & ulterius pergere, & ferè ob *negotia persequenda*. *Incedere* est ingredi *compositò*, vel cum *gravitate*, *& pompâ*. Ulpianus Institut.7. Iter *est jus eundi* ambulandi *hominis*. Seneca ad Lucilium: *Tenerô, ac molli passu suspendimus gradum*, *nec* ambulamus, *sed* incedimus. Sallust. in Jugurthâ: Incedunt *per ora vestra magnificè*. Idem in Catilinâ: *Cohortes paulatim* incedere *jubet*. *Ambulare* incipiunt infantes; *Inambulant* aetate pleni. *Corn. Fronto.*

(dd) Interdùm *spatiari*, vel *deambulare*, significat. Interdùm *longioris itineris* est, & idem est, quod *ire*, vel *iter facere*. Indè *Ambulatio*, quae interdùm pro *loco*, in *quo* ambulamus, interdùm pro ipsa Ambulationis *actione* ponitur.

Amens est, qui omni sensu, & ratione caret, (ee) ut *furiosus*, *fatuus & attonitus*. *Demens* appellatur, qui non est integrâ mente, & sanâ; retinet tamen communem vitae cultum, ut est *rudis*, & *vanus*. Afranius in Vopiscô: Amentes, *quibus animi non sunt integri*, *surdè audiunt*. Sallust. de Republ. ordinandâ: *In somniis excitus*, *furibundus*, *atque* amens *alienata mente feraris*. Livius Lib.42. Amentes *repentinô terrore regios fecisset*. Sed nonnunquam confunduntur. Cicero Lib.3. Tusculan. Qu. *Nec minùs illud acutè, quod animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt* Amentiam, *eandemque*

De-

Dementiam. Quintilianus in Declamat. Dementiâ *est ablatus rerum omnium intellectus.*

Amicitia, ut *Amor*, plus est, quàm *Benevolentia*. *Illa* est amantis (ff) *Haec* diligentis. (gg) Cicero ad Atticum: *Nihil est, quod studiô, & benevolentiâ, vel* amore *potiùs, effici non possit*. Idem ad Titium: *Officio tamen functum benevolentissimi atque amicissimi*. Et in Oratione pro Oppiô: O amorem *mirum*, ò benevolentiam *singularem!*

(ee) vel qui à *Mente* motus est,
(ff) & inter eos, qui se norunt. *Hieronym. Cingulatorinus* Par.2. *Elegantiar.* Litt.b.3.fac.b.Edition. *Lips.*
(gg) Svetonius in *Tiberio* cap.LI. *Amicitias*, & *Familiaritates* pro *Amicis* usurpavit. Ita enim scribit: *Testamentum quoque ejus pro irrito babuit, omneisque* amicitias, *&* familiaritates, *etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit.*

Amicus, (hh) qui *sincerè* & *constanter* alterum amat. *Amator* est, qui *temporarium* alteri officium, aut obsequium, praestat. Vel *Amicus* animi est. *Amator* corporis, (ii) autore *Donatô*. Cicero Orat.5. in Verrem: *Tuus antiquissimus non solùm* Amicus, *verùm etiam* Amator. Lucilius Lib.29. Satyrar.

Favitorem me tibi, Amicum, Amatorem *putes*. Plautus in Truculentô: (kk)

- - - *Sed longè aliter est* Amicus, *atque* Amator. Terent. in Andriâ: (ll)

Amicum, amatorem virum - - -

Amator, fingere potest. Amans *verè* amat. *Donatus.* (mm)

(hh) per derivationem quasi *animi custos*. Dictus 2. propriè *Amicus* ab *amo*, id est, *catena charitatis*. Undè & semper in *bonam partem* sumitur, & non solùm ad *Personam*, sed etiam ad *res* refertur, & est
(ii) ideoque, & turpitudinis, quia *amore libidinis torquetur*. Vid. *Isidor. Hispal.* Lib.10. *Origin.* col.235. Edition. *Vulcaniano-Basileens.*
(kk) *Act.1. Sc.2. v.70.* (ll) *Act.4. Sc.3. v.3.*
(mm) *Amasius* est pronus ad libidinem; *Amabilis* v. amore dignus.

Amittere (nn) levius est, & minus, quàm *Perdere*. Nam *Amittimus* quoque vitiô alienô. *Perdimus* duntaxat nostrô. Et *Amittimus* etiam id, quod *recuperare* possumus. *Perdimus* id, quod *omninò periit*. Undè *Perditus*

Homo, qui à rectâ ratione ita alienatus est, ut ad eam redire jam *non posse* videatur; & *Perditae Res* convulsae & prostratae sunt; (oo) itemque *Deperditum*, quod in rerum Naturâ esse desiit, autore *Cajo* JCto. Confunduntur tamen frequenter, ut Cicero ad Sulpitium; *Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, & magnis rebus gestis*, amisit, *& L. Paulus, qui duos septem diebus, & vester Gallus, & M. Cato, qui summô ingeniô, summâ virtute filium* perdidit. Idem Lib.5. ad Atticum: *Ille cohortem primam totam* perdidit; quod ipsum Coelius ad Ciceronem dixit: *Bibulus in Amanô nescio quid cohorticularum* amisit. Ulpian. ad Edictum 3. L.9. D. de Verb.Sign. *Verbô* Periisse, *& scissum, & fractum contineri, & vi raptum*. Idem L.56. L.4. D. de Vi Bon. rapt. Amissa *autem dicuntur ea, quae corrupta alicui relinquuntur*, scissa *fortè, vel* fracta.

(nn) quando pro *Dimittere* ponitur, eleganter dicimus *Amittere è Manibus*, vel *de Manibus*, vel *Amittere absolutè*. Aliàs *Amittere* est nolentium, *Dimittere* volentium.

(oo) *Perdere* enim, nonnunquam pro *affligere* atque *evertere* sumitur. Nam qui *perdit*, partim *scienter* corrumpit, partim *inscienter* amittit.

Amo, & *Diligo* hoc differunt, quòd *Amo* majorem vim, atque affectionem denotet, *(pp)* quàm *Diligo*. Sicut apud Graecos plus est Φιλεῖν, quàm Ἀγαπᾶν. *(qq)* Terent. in Eunuchô: *(rr)*

Non pol, quò quenquam plus amem, *aut plus* diligam. Cicero Lib.9. Epistolar. *Tantum tamen accessit, ut nunc demùm* amare *videar, anteà* dilexisse. Idem ad Brutum: *Me aut* amabis, *aut quô contentus sum*, diliges. Praetereà *Diligimus* ex *Virtute*; *Amamus* verò interdùm *Utilitatis*, aut *Voluptatis* causâ. Idem de Laeliô: *Ego admiratione quâdam Virtutis ejus, ille vicissim opinione fortassè nonnullâ, quam de meis moribus habebat, me* dilexit.

(pp) seu longè amplius, atque efficacius sit.

(qq) Στέργειν autem *utraque hac voce* est ἐμφατικώτερον. Notat enim *naturali quadam Charitate complecti*, qualis est *Amor*, atque *Affectus Parentum* erga *Liberos*, *Liberorum* vicissim erga *Parentes*, & *sanguine*

guine junctos, Graecis Στοργὴ dictus. Sed quomodò *Dii* (addamus, & *Deae*) *Amare* nos dicantur, leg. *Gasp.Schoppi, Franci*, Lib.2. *Suspectar. Lection.* Epist.17. p.144. Edition. *Norib.* ubi inter alia, *Venus nos Amare* dicitur, *quando venustatem nobis, & potentiam in* amore *largitur*. Sic *Amamus nos invicem*, *amamus nos mutuò*, *amamus nos pariter*, *amamus inter nos*, idem significant; sed in *postremo* non geminabitur *Accusativus*, ut: *Amamus* nos *internos*; sed *Amamus inter nos*. *Adamare* est *amatoriè* amare, s. amare *incipere*, & multò *minus*, quàm *Deamare*, quod idem est, ac valdè amare: v. g. Si quem sincero amore *adamasti*, constanter *deama*, *amantemque* te *redama*, sicut solet *Amasius Amasiam*. Sic à Latinis *Amplecti*, & *Amplexari* pro *valdè amare* ponuntur.

Amoliri dicuntur ea, quae cum *magnâ difficultate*, & *molimine* submoventur, (*ss*) & tolluntur è mediô. *Discedere* dicitur, qui *facilè* abit è mediô. *Donatus.*

[*ss*] s. magno labore amoventur.

Amor & honestus, (*tt*) & turpis est. (*uu*) *Charitas* tantùm honesta. (*xx*) *Ille* omnibus etiam brutis convenit, & saepè conciliatur *Voluptatis*, aut *Utilitatis* gratiâ. Haec hominum, (*) ac DEI duntaxat est, & ex *solâ Virtute* proficiscitur. Vel, *Amor* re, & factis declaratur. *Charitas* animo inhaeret. Cicero in Laelio: *Ita contracta res est, & adducta in angustum, ut omnis* Charitas *aut inter duos, aut inter paucos jungeretur*. Gellius Lib. 12. (*) c.5. *Natura*, inquit, *omnium rerum, quae nos genuit, induit nobis, inolevitque in ipsis statim principiis, quibus nati sumus*, Amorem *nostri*, & Charitatem. Trebonius Ciceroni: *Et* Charitate, & Amore *tuum officium praestaturos.*

(*tt*) Et sic debetur *Fratribus*, *Conjugibus*, *Liberis*, atque *Familiaribus*.

(*uu*) *Gasp.Barthius*, gloriosum Aevi nostri Specimen, Lib.39. *Adversarior.* c.6.col.1764.ex *Grammaticis quadripartitam* Amoris *Differentiam* observavit. quandò videl. illum *honestum*, *pium*, *crudelem*, atque *obscoenum* esse dicit, hoc quidem modo, ut *Honestus* Conjugibus, *Pius* Famulis debeatur; *Crudelis* verò contra Naturam, atque *Obscoenus* tantummodò Meretricum sit.

(*xx*) & DEO, *Patriae*, atque *Parentibus* prae caeteris exhibenda est.

Ampliatio erat, quoties *Judices* pronunciabant rem sibi non liquere, & amplius cognoscendum esse. Quô factô *secunda Actio* iterum instituebatur, quôcunque die

Judex volebat. Sed is solus causam perorabat, in cujus oratione obscuritas fuisset. *Comperendinatio* autem erat, cùm litigatores, primâ actione perfectâ, etiamsi *Judices* non judicâssent, in diem tertium, sive perendinum secundum, rejiciebant, & tùm uterque iterùm causam dicebat; priùs tamen *Defensor*, quàm *Accusator* audiebatur. Itaque in *Comperendinatione* potuit esse *Ampliatio*; in *Ampliatione* a. haudquaquam *Comperendinatio*. (yy) Cicero pro Caecinnâ: *Cùm ejus consilii Judex non esset, & in eô consiliô cùm causam non audisset, & potestas esset* Ampliandi, *dixisse sibi liquere*. Idem in Verrem: *Adimo* comperendinatum, *quod habet in se lex molestissimum, bis ut causa dicatur*.

(yy) Sic *Comperendinati rei* possunt dici in causis criminalibus, quos curia dimissos fide sua esse voluit, id est, quos suae ipsorum custodiae commisit, ut aut *urbem justi carceris loco* habeant, aut *primatem aliquam domum*, ut fit interdùm ex *Personarum* dignitate, & genere *Causarum*. Haec *Stephanus Doletus* Part. 1. Epit. *Commentar. L.L.* p. 91. Edition. *Basileens.*

Anadema est corona *vulgaris*, quae *venustatis*, aut *luxuriae* causâ, capiti imponitur. (*a*) *Latini* vocant *Redimiculum*. (*b*) *Diadema* (*c*) est corona propria *Regum*, (*d*) Majestatis, & Imperii insigne. Lucret. Lib. 4. (*) v. 1127.

Et benè parta Patrum fiunt Anademata *Mitrae*.

Paulus ad Sabinum 11. *Ornamentorum esse constat, quibus uti Mulieres venustatis, & ornatûs causâ coeperunt, neque referre, si quaedam eorum alium quoque usum praebeant, sicut* Mitrae, & Anademata.

(*a*) Ἀνάδημα a. *Cornelio Jansenio* Part. 4. *Commentar.* in *Concord. Evang.* c. 122. p. 90. col. 1. n. A. & B. dicitur *Donum*, quod *Diis* dicatum suspenditur, in parietibus *Templi*. Quam sententiam etiam amplexus est *Carolus Paschalius* Lib. 4. *Coronar.* c. 12. p. 243. *Edition. Paris.* ita brevissimis scribens: Ἀνάδημα nihil aliud est, quàm *Corona*, quae *Diis* appendebatur, ut *reliqua donaria*.

(*b*) Et quidem *eo significatu, quo redimire* saepe est *coronare*. Ita enim *Martianus Capella* Lib. 9. de *Nupt. Philol. & Mercur. Distich. IV.* col. 199. Edition. *Bonaventurae Vulcanii*:

Ipsa

Ipsa etiam fulcris Redimicula *nectere sveta*
Flora decens trina est anxia cum Charite.

(c) *Diadematum* olim *duo* fuisse *genera* idem *Paschalius* Lib.9. c.1. p.567. auctor est. Quaedam enim erant *Regiorum Capitum perpetua gestamina.* Alterum genus fuit *illarum Coronarum*, quae *Regium* quoque *Caput evinciebant*, sed in *solemni Pompa, insigni Die*, *Re illustri*, *Loco celeberrimo*, atque *conspectissimo*. Dicitur autem παρά τό Διαδεῖν, à *nectendo, ligando*, sive *obligando*, ac si dicas Κεφαλοδέσμιον, *Vinculum capitis*, sive Κρήδεμνον τό τήν κεφαλήν δεσμοῦν *Corona*, vel *Vitta*, *caput vinciens*. Hoc ipsum signarunt nostri nomine *Vinculi*. Ita enim *Seneca* in *Troade* Act.2. Sc.2. v.70. seqq.

Ego esse quicquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen? Et falso *comam*
Vinclo *decentem?* - - -

Ubi *falsum Vinclum* vocat non *falsò* ita nominatum, quasi *nullo vinculo* coërceri, aut cohiberi possit omnimoda illa regia potestas. Non ergò, inquit, ut videtur, *Vinclum* est, sed imitamentum *Vinculi*.

(d) Ideòque *Hesychio* in ipsa τοῦ Διαδήματος voce, Στέμμα Βασιλέως, Κεφαλῶν κόσμος, ἤγουν στέφανος ἢ Βασιλέως σύμβολον audit. Conf. *Barthii* Animadv. ad *Vers. XCIII. M. Aurel. Olympj Nemesiani* Cynegetic. p.260.

Anguis (e) est, qui in *aquis* degit. *Serpens*, qui in *terrâ* (f) serpit. (g) *Coluber*, qui in *umbris nemorum* delitescit. (h) *Draco*, qui in *templis* occultatur. (i) Virgil. (k)

- - - - *Immensis orbibus* Angues
Incumbunt pelago, *pariterque ad* littora *tendunt*.

Idem: (l)

Corpora natorum Serpens *amplexus uterque*
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.

Idem. (m)

Qualis ubi in lucem Coluber *mala gramina pastus.*

Idem: (n)

At gemini lapsu Delubra ad summa Dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem.

Sed haec plerumque confunduntur apud *Historicos*, & *Poëtas* maximè.

(e) *Anguis* ex mente *Isidori* Lib.12. *Origin.* c.4. col.286. est omnium *Serpentium* genus, quod plicari, & contorqueri potest. Et indè *Anguis*, quòd *angulosus*, & *nunquam* sit *rectus*. Semper enim *Virgilio* Lib.2. *Georg.* v.154. ingeniosè canente,

Squammeus in spiram tractu se colligit Anguis.

(f) occultis accessibus, & non apertis passibus, repit, s.

(g) Illa autem, quae quatuor pedibus nituntur, sicut Lacerti, & *Stelliones*, non *Serpentes*, sed *Reptilia* sunt, quia *ventre*, & *pectore* repant.

(h) s. *umbras nemorum* incolit; Ideoque dictus videtur, quasi Columber.

(i) Et est *Serpentis immane genus*, à quo nec *Elephas* tutus est sui magnitudine corporis. Nam circa semitas delitescens, per quas *Elephanti* gradiuntur, crura eorum nodis illigat, ac suffocatos perimit. Gignitur a. in *Aethiopia*, & *India* in ipso incendio jugis aestus. Haec *Isidorus* loc. cit. col. 291.

(k) Lib. 2. *Aeneid.* v. 204. seq. (l) *ibid.* v. 214. seq.
(m) *ibid.* v. 471. (n) *ibid.* v. 225.

Animalia sunt, quae *sensu* moventur, ut *Homines*, & *Bruta*. *Animantia* sunt etiam ea, quae *vivunt*, & *vigent*, ut *Arbores*, *Herbae*, *Sata*. Varro Lib. 6. de Linguâ Lat. *Proxima* Animalibus *sunt ea*, *quae* vivere *dicuntur*, *neque habere* animam, *ut* Virgulti. Seneca ad Lucilium: *Ergò* Animantia *superiorem tenebunt locum, quia &* Animalia *in hac formâ sunt, &* Sata. *Animantia facit* Animus; *Animalia habent* Animam. *Corn. Front.*

Animus est ratio, quô sapimus, & intelligimus. (o) *Anima est* (p) spiritus, quâ vivimus, sentimus, & movemur. (q) Attius in Epigon.

Sapimus animô, *fruimur* animâ; *sine* animô anima
est debilis.

Lucretius Lib. 3. (*) v. 160.

Esse Animam *cum* animô *conjunctam*. - - -

Et mox ibid. (*) v. 167. seq.

- - - - *Nonne fatendum*,
Corporea natura Animum *constare*, Animamque? Seneca ad Lucilium: *Difficile est*, *inquit*, Animum *perducere ad contemtum* Animae. Cicero tamen, & Seneca saepè dicunt *Animi immortales*, *& immortalitas Animorum*. *Animus* est qualitas viventis. *Anima* causa vitae. *Corn. Front.*

(o) sive est vis *Animae*, qua suas actiones regit. Ideoque pro *Consilio*, vel *Deliberatione*, apud *Ciceronem* ponitur saepissimè.

(p) vis viventis, seu (q) ANIMA *animat* omne animal, ut *animaleis* functiones obire, & se *animatum* ostendere queat. ANIMVS v. verè *animat*, efficitque *animosum* hominem; alius tamen superat alium *animositate*.

Animus, & *Mens* saepè conjunguntur: & tùm *Animus* est spiritus, quô erigimur, & movemur; (r) *Mens* v. est ratio, quâ animus regitur. Caesar Lib. 1. de Bellô Gallicô: *Ut non mediocriter omnium Menteîs*, Animosque *perturbaret.* Virgil. Lib. 6. Aeneid. (*) v. 11. seq.

- - - - *Magnam cui* Mentem, animumque
Delius *inspirat Vates* - - -

Gellius Lib. 2. (s) *Tanquam quôdam secessu* Mentis, *atque* Animi *factô à corpore.* Idem Ibid. (t) *In* Mentes, Animosque *hominum cum audiendi quâdam illecebrâ induit*. Et Lib. 15. (u) *Neque* Mentem, Animum*que ejus consistere*. Interdùm tamen eadem sunt, ut *Mens animi*, pro *Animô*. Plautus in Cistellariâ: (x)

- - - - - *Ita nubilam* (y) Mentem
Animi *habeo.* - - - -

Catullus Epigrammat. (*) LXVI. v. 4.

Mens animi *tantis fluctuat ipsa malis.*

(r) Nonnunquam & eleganter usurpatur pro *affectibus aliquem torquentibus*, v. g. *Metu*, *Timore*, *Audacia*, &c. Exempla vid. in *Animadv. Barthianis* ad *Claudiani* Vers. LXXVII. *Panegyr.* in IV. Cons. *Honorii* p. 99. *Edition. Prioris.* Porrò *Mens* interdùm est, quae excogitat, & comminiscitur; *Animus* v. qui cupit, & appetit. *Terent.* in Andr. *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 137.

Mala Mens, *malus* Animus. - - - -

An verò *Animus*, & *Mens* ab *Anima* distent, nequaquam indoctè disserit doctissimus *Salmasius* in *Not.* & *Animadv.* ad Commentar. *Simpl.* in Enchirid. *Epicteti* p. 284.

(s) cap. 1. (t) cap. 29. (u) c. 2. (x) Act. 2. Sc. 1. v. 5.

(y) Iniquè ergò legitur in *caeteris* POPMAE *Editionibus* NVLLAM, & imprimis in *ultima ista*, quae *Thomae* cura prodiit; NVLLVM, pro NVBILAM.

Annales libri sunt, (z) qui res gestas *plurium annorum*, servatô cujusque Anni ordine, *breviter* exponunt. (aa) *Historiae* sunt, quae praeter rerum gestarum *Narrationem*, etiam *causas*, *Eventusque* earundem, & *Hominum*, *Locorum*, *Temporum* luculentam Descriptionem continent, ut auctor est Gellius Lib. 5. (bb) Cicero Lib. 2. de Oratore: *Erat enim* Historia *nihil aliud*, *nisi* Annalium *confectio.* Juvenalis (*) Satyr. 2. v. 102. seq.

Res memoranda novis Annalibus, *atque recenti*
Historiâ: - - - -

Li-

Livius tamen Lib. 52. *Historiam* suam vocat *Annaleis.*

(z) qui *annuatim* gesta in se continent, s.
(aa) ne. quod factum est *anno*, & *antè*, in oblivionem veniat.
(bb) c. 18. *Josephus Scaliger* in *Castigationib.* ad *Catulli* Epigr. 1. v. 6. p. 5. *Edition. Commelinian.* minimè ineptè dicit, quòd *Historiarum*, s. *Chronicorum* scriptio, omne *omnium Gentium* Aevum; *Annales* a. tantùm *unius Nationis* Gesta in se complectantur.

Annuere est (cc) *nutu* aliquid (dd) affirmare. Undè & pro *concedere* usurpatur, sicut *Abnuere*, & *Abnutare* pro *negare*. Innuere est *occultis signis*, aut *verbis*, sensa mentis aperire, (ee) sive *affirmandô*, sive *negandô*. Catullus de Sene tremulô: (ff)

Omnia omnibus annuit.

(cc) *capitis signo* obsecundare, s.
(dd) (np. *hoc*, vel *illud*, *quod petitur*, *quàm lubentissimè dare velle*)
(ee) seu *nutu voluntatem indicare.*
(ff) *Epigrammat. LXII. v.* 163.

Annunciare est rem *bonam* nunciare. *Obnunciare* est rem *malam* nunciare. Undè *Augures* dicebantur *Obnunciare*, cùm aliquid *mali ominis laevumque* vidissent (gg) post *Comitia*, & *Magistratûs*, quò *Comitia* impedirent, antè *obnunciabant* in campum Martium, se de Coelô servare. Nam *Obnunciatione* fiebat *dies nefastus*, & *Comitialis* esse desinebat. Cicero Lib. 1. ad Atticum: *Nisi Milo in campum* obnunciasset. Svetonius in Caesare: *Per edicta* obnunciare. Terent. in Adelphis: (hh) *Primus porrò* obnunciô.

(gg) *Augures*, quum *Avium volatum* observarent, *Meridiem* spectabant, & tùm ad *sinistram* habebant *Orientem*, quem versùs *volanteis Aveis* faciebant ratum. Audimus tamen *dextra* Omina in *bonis* poni à *Pythagoricis*, sicuti *laeva* pro *malis*. Conf. *Petr. Gvalt. Chabotii* Praelectiones ad *Vers. XIX.* Sat. 1. Lib. 2. *Horat.* p. 130. col. 1. *Edition. Grasseriano-Basileensis*. Ait ii sunt vanissimi, qui *Lutatii* ductu ex *Statii* Lib. 3. *Thebaid.* v. 665. seq. (ubi verba ita sonant:

- - - Ventisque, *aut* Alite *visa*
Bellorum proferre diem - - -)

probare annituntur, *Augures* à *Ventorum flatu futura solere cognoscere.* Nam ap. praedict. *Poëtam* v. 665. non VENTIS; sed VENIS, h. e. *Fibris*, seu *Extis*, quae *Augures* oportebat studiosè quoque inspicere, propriè est legendum, quemadmodum ex MSct. *Exemplari quodam* diligenter observavit *Barthius* Par. 1. *Animadv.* in specie ad h. l. p. 857. & ante eum, sine *ope Libri* tamen, Vir in hoc studiorum genere prae caeteris clarus, ac eminens, *Jo. Meursius*, Lib. 3. *Animadv. Miscell.* cap. 14. Aliàs de *Auguribus*, eorumque *Dignitate*, atque *Officiis* vid.

Alex.

Alex. ab *Alexandr.* Lib.5. *G.D.* c.19. *Polyd.Virgil.* Lib.1. de *Rer. Inv.* c.24. *Casp. Peuceri* Commentar. de *praecipuis Divination. Generib.* fol.229. seqq. *Edition.Servestanae* Jo: Rosini Lib.3. *Antiq. Roman.* c.8. & in eund. *Thom. Dempsteri* Additiones p.145. seq. *Edition.Colon.novae*, *Wolf. Lazii* Lib.3. Comment. *Reip. Rom.* c.12. p.404. Edition. *Oporiniano-Basil.* ut & *Jo. Schildii* Commentar. in c.12. *Caligul.* Svetonii p.430. col.b.

(bb) Act.4. Sc.2. v.8.

(*) *Annuus Proventus* est reditus, qui fit singulis annis; *Census* v. est bonorum aestimatio, & patrimonium, dictus à *Censoribus*, qui & de *Moribus Urbis* judicabant, & *Censum* peragebant. De quibus leg. *Paul. Manutii* Lib.2. *Antiqu. Romanar.* qui est de *Senatu Romano* c.3. p.316. seq. *Andr. Dominici Flocci* L.2. de *Potest. Rom.* (qui Liber, ut & caeteri, *L. Foenestellae* olim *falsò* est adscriptus) c.17. p.276. seqq. *Edition. Francof.* nec-non *Jo. Conr. Dieterici* Antiqu. *Romae Veteris-Novae* c.17. p.48.

Anquirere, & *Inquirere* sunt verba *Forensia*, quae hoc differunt, quod *Anquirere* est *accusare*, & *postulare*; *Inquirere* autem est *investigare crimina*. Nam cùm in *Jus* ventum erat, si *Reus* negâsset crimen, petebat *Accusator* à *Magistratu* tempus inquirendorum criminum, & producendorum Testium. Undè *Anquisitio* est *Accusatio*, *Inquisitio* est *Investigatio* criminum. Livius L. 36. *Cùm* Tribunus *his pecuniae* anquisîsset, *tertiò capitis se* anquirere *diceret*. *(ii)* Varro Lib.5. de Linguâ Lat. *Commentarium indicat vetus* Anquisitionis. Plin. in Ep. *Inducti in Senatum* Inquisitionem *postulaverunt*, *tùm* Varenus *petiit*, *ut sibi quoque defensionis causa evocare* Testeis *liceret*. Asconius in Orationem pro M. Scaurô: *Pacuvii Accusatores in Scaurum* Inquisitionem *in Sardiniam*, *itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt*. Sed *utrumque Verbum* ad *alia* etiam transfertur, & *Anquirere* est cum *cura* & *studiô* quid quaerere, quasi *Am*, id est, *circumquaque* quaerere. *Inquirere* est *intùs* quaerere. Cicero Lib.5. Tusculanar. Qu. *Studiosè ab his siderum magnitudines*, & *intervalla* anquirebantur. Idem in Laeliô: *Semper alioqui* anquirendi *sunt*. Livius Lib.1. *Ne semper armis opes* anquirere.

(ii) Erat autem *Anquisitionis Formula* his verbis consignata: *Quandò igitur haec, & illa, quae dixi, fecisti, ob eas res ego* Mulctam *tibi hanc dico, vel* Pecuniam *hanc, sive* Perduellionem *tibi judico*, vid. *Rosin.* Lib. 9. A. R. c.29.

Anteà significat Tempus *praecedens.* (*kk*) *Suprà* Rem *antecedentem*; ut Anteà *ad te scripsi, quod alio tempore.* Suprà *scripsi, quod in eadem Epistola.* Cujus rei Exempla adjungerem, nisi essent infinita, & omnibus nota.

(*kk*) Ideòque idem est, ac quasi *ante ea tempora.*

(*) *Ante hac*, vel *ante hoc tempus*, ad tempus *Loquentis* refertur, v. g. si quis velit dicere: *Tantum hodiè didici, quantum* ante hàc *nunquam*. *Posthàc* v. idem est, ac post *Hoc* tempus; ut, *Cave* posthàc *bis de rebus quicquam ex te audiam.*

Antiquum est, quod *Patrum* memoriam excessit, quasi *Antè Aevum*. (*ll*) *Vetus* est, quod *jam* habet *Aetatem.* (*mm*) Potest a. *eadem Res* esse *Antiqua*, quia à *Majoribus* accepta, & *Vetus*, quòd à *nobis*, *vel ab aliis nostra aetate* olim usurpata sit. Plautus in Persâ: (*nn*)

Veterem, *atque* antiquum *quaestum meum alimoniae*
Servo, atque obtineo, - - - -

Idem in Milite Glor. (*oo*)

Quin tu isthanc Orationem hinc veterem, *atque* antiquam *amoves.*

Idem in Mostellariâ: (*pp*)

Scelus, inquam, factum est j*amdiu* antiquum, *&* vetus.

Sic *antiquum* Jus dicitur *Jus Gentium*, quòd unà cum *humano genere* à *Natura* exstitit. *Vetus Vinum*, quod *ante annum* conditum fuit. Ulpianus ad Sabinum 23. L. 11. D. de Trit. Vinô: Vetus *accipitur*, *quod non est novum, id est*, & *anni prioris* Vinum *appellatione veteris continebitur*. Cui consentit Varro Lib. 1. de Re Rust. *Si* vetus *bibere velis, quod non sit, antequam accesserit annus, anniculum promitto*. Interdum tamen ista duo confunduntur apud *Auctores*, quorum locos heic adscribere inutilis esset diligentiae. *Vetus* est, quod *multorum annorum* sentit utilitatem. Ita *Vinum* melius est, quò *vetustius*. *Corn. Fronto.*

(*ll*) Nonnunquam etiam pro *charo* eleganter ponitur. Undè *Antiquum habere*, vel *Antiquum esse alicui*, idem est, ac *charum habere*, vel *charum esse alicui*. His enim duobus loquendi modis utebantur *Antiqui*, cum quid sibi maximè curae esse designabant. Sic *Antiquior* pro *chariore*, *meliore*, ac *potiore* ap. *Ciceron.* extat. Hinc *Antiquitas*, quae tàm pro ipsa *vetustate*, quàm *Veterum Moribus* TROPICE usurpatur, & verbum *Antiquare*, quod idem est, ac *infirmare*, vel *abrogare*, &

ma-

maximè de *Legibus*, *Rogationibus*, & aliis *istiusmodi Rebus* dicitur. Sed *Antiquarii* dicuntur propriè homines, qui *Voces priscas*, etiam *diu desitas*, sed *nondum exoletas*, CVRIOSE *consectantur*, quales olim fuere praeprimis Caspar *Barthius*, Philippus *Beroaldus*, Jo: Henr. *Boeclerus*, Jo: Andr. *Bosius*, Barnabas *Brissonius*, Augustus *Buchnerus*, Guilielm. *Budaeus*, Joach. *Camerarius*. Isaacus *Casaubonus*, Joan. *Caselius*, uterque Janus *Dousa*, Des. *Erasmus* Roterodamus, Marq. *Freherus*, Nicod. *Frischlinus*, Obertus *Gifanius*, Rudolf. *Goclenius*, Hugo *Grotius*, Janus *Gruterus*, Daniel *Heinsius*, Hadrianus *Junius*, Justus *Lipsius*, Aldus, & Paulus *Manutii*, Paul. *Merula*, Joan. *Meursius*, Jacob. *Monavius*, M. Anton. *Muretus*, Fridericus *Rappoltus*. Conr. *Rittershusius*, Jo: *Rutgersius*, Christoph. Adam, *Rupertus*, Claudius *Salmasius*, Josephus Justus atque Josephus *Scaligeri*, Casp. *Schoppius*, Petrus *Scriverius*, Fridericus *Sylburgius*, Fridericus *Taubmannus*, Adrian. *Turnebus*, Laurentius *Valla*, uterque *Vossius*, Bonav. *Vulcanius* atque Joan. *Weizius*, & nostro tempore Christoph. *Arnoldus* Frid. Bened. *Carpzovius*, Herm. *Conringius*, Georg. *Crauserus*, Christian. *Daumius*, Joach. *Fellerus*, Christian. *Funcius*, Christ. Frid. *Franckensteinius*, Joh. Georg. *Graevius*, Marqu. *Gudius*, Nicol. *Heinsius*, Frid. *Hildebrandus*, G. Matth. *Koenigius*, Henr. *Meibomius*, Jo. Seb. *Mitternacht*, Jo: Chr. *Rumetschius* Sam. *Schmidius* Jacobus *Thomasius*, Casp. *Zieglerus*, ut *& pauci alii*.

(mm) s. quod *multae* est *Aetatis*.
(nn) *Act.1. Sc.2. v.1. seq.* (oo) *Act.3. Sc.1. v. 166.*
(pp) *Act.2. Sc.2. v.45.*

(*) *Apparare* ex mente *Vallae* magis ad *Pompam*, & *Ostentationem*, quam ad *Necessitatem* spectat. Dicitur enim *Apparatus Convivii*, *Nuptiarum*, *Funeris*, ac *Belli*. *Praeparare* est parare ea, quae sunt *necessaria ad quippiam agendum*. Sic *Miles* praeparat *Arma*, *Orator Argumenta*, *Scholasticus scripturus*, *Calamum*, & *Membranam*. Dicitur & *apparare Fugam*, & *adornare Fugam*, s. *Migrationem*.

Apparet, qui videtur, (qq) *Paret*, qui obsequitur. *Agraetius*.

(qq) s. adest, ut videatur, sive in conspectu est, ac speciem prae se fert.

Appetere est cum affectu, & cupiditate. (rr) Undè *Appetitus* est, qui hominem hûc, & illûc rapit. *Expetere* est (ſſ) cum ratione, prout *Locus*, aut *Res*, aut *Tempus* postulant. (tt) *Illud*, ad *inhonesta*, & *mala*; *Hoc*, ad *bona*, & *honesta* pertinet. Cicero Lib.1. de Officiis: *Nihil hominem, nisi quod* honestum, decorumque *sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere*. Quamvis interdùm dicimus, *Appetere bona*. Idem Lib.4. Tusculanar. Qu. *Ut bona Naturae appetimus: sic à malis declinamus*. Contrà *Expetere mala*. Idem Lib.1. de Officiis: Expetuntur *divi-*

vitiae cùm ad usûs vitae necessarios, tùm ad perfruendas voluptates. Plautus in Asinariâ: (uu)

Ultrò amas, ultro expetessis - - -

(rr) Ideoque idem est, ac *avidè cupere*.
(ss) vehementer petere, & fit
(tt) *Nam cui domi non suppetit, quod* expetit, *is aliundè petat, quod sibi competit*.
(uu) Act.3. Scen.1. v.23.

Aptum est, quod ad aliquid accommodatum est sive à Naturâ, sive ab Arte, & Disciplinâ. (xx) *Idoneum* est, quod à *Natura* convenit, quasi ad id *natum*. Cicero Lib.4. de Finibus: *Itaque natura sumus* apti *ad coetûs, consilia civitatis*. Gellius Lib.1. (*) c.13. *Esse magis* idoneum, aptiorem*que faciendo arieti*. Itaque *Aptum* locô venit, & tempore, quod habet suam materiam. *Utile* usus fecit, ut *Prudentes* litterae. *Idoneum* ut *Amicum* per *consilia* dicimus, & ut *Servum* in *usu* hominis. *Corn. Fronto*.

(xx) Sic APTUS *adipiscitur* multa, *redipiscitur* etiam amissa *aptitudine* sua, *adeptusque* gaudet ob *adeptionem*.

Apud Praepositio ad *Personam*, vel *Locum* (yy) *simpliciter* refertur, & *nudam detentionem*, & *quasi custodiam* denotat. *Penes* & *Personam*, & *Dominium*, ac *Potestatem* significat. Itaque *Penes* se rem habet, qui eam qualitercunque tenet, ut *Depositarius*, *Commodatarius*, & *Colonus*. Ulpianus ad Edictum 71. L.63. D. de Verb. Sign. Penes *te amplius est*, *quàm* Apud te. (zz) *Nam* Apud te *est, quod qualiter qualiter à te tenetur*. Penes te *est, quod quodammodò possidetur*. Javolenus Epist.9. l.23. D. de Usurp. *Quemadmodùm eas solas, & separatas ab aedificio non possedisti: sic nec* penes *te singulae, aut separatae fuerunt*. Sed hanc *Differentiam* plerumque confundi apud *Jurisconsultos*, & *alios Auctores* animadvertimus. Ulpianus ad Edictum 68. L.10. D. de Tab. Exh. *Si quis fortè confiteatur* penes *se esse Testamentum*, *jubendus est exhibere*. Cicero Lib.4. Rhetoricor. *Ita petulans es, atque vafer, ut ne ad solarium quidem, ut mihi videtur, sed* penes *scenam, & ejus locis exercitatus sis*.

(yy) im-

(yy) immo, & *Tempus*, (zz) Significat enim qs. *intùs*, vel *intime*, apud aliquem esse. Vid. *Becman.* Orig. *L.L.* p.824.

Aqua dicitur in *tranquillitate*, cum aequata est. *Unda* (a) in *tempestate*, cùm turbat, atque fluctuat. (b) Plaut. (c)

Tàm placida est, quàm est Aqua. - - - -

Accius in Phoenissis:

- - - Unda *sub* undis *Labunda sonit.* (d)

Quin & *Aqua* interdum est *minima collectio*, ut Aquam *manibus, pedibusque dato*. *Unda* semper denotat *copiam*, & *multitudinem*. Unde tralatitie Cicero: *Illae* undae *Comitiorum, ut mare profundum, & immensum sic effervescere*. *Et* Virgil. Lib.2. Georgicor. (*) v.461. seq.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Manè salutantum totis vomit aedibus undam.

(a) Nomen ab *eundo*, h. e. *commovendo*, habens, est *propr.* globus *Aquae*.
(b) Sic *Unda undosi* Fluminis, aut *undabundi* Lacus, eaque à ventis agitata, solet *superabundare*, & *exundare*, vicinaque lata *inundare*.
(c) in *Mostellaria* (& non in *Menaechm.* uti in caeteris omnibus *Popmae* Editionib. *falsò* apparet) Act.3. Sc.2. v.165.
(d) Heic SONAT, pro SONIT, ex mente *Nonii* legendum esse *Henr.* (*Rob.* Fil.) *Stephanus* in *Notis* ad *b.l.* eumque in Fragmentis *Poëtar. Veter. Latinor.* ab ipso *Stephano* A. CHR. M.D.LXIV. in f.85. *editor.* extantem, rectè observavit.

Aquaticam potionem rectè dicimus, quae *aquam* aliundè recipit, *Aquosum locum*, quòd ex se *aquam* fundat. *Agraetius*.

[*] *Aquatile* est, quod degit in *aquis*. *Aqueum*, quod ex *aquis* constat.

Araneum, quod textum est, *Aranea*, quae texit. (e) *Corn. Front.*

(e) sc. in *araneoso* h.e. *Araneis* abundante, loco.

Arbiter (f) est Judex à *Praetore* datus, vel ex *conventione Litigatorum* electus, in bonae fidei judiciis, ut *Familiae erciscundae*, *Communi dividundo*, *Finium regundorum*, & similibus, sed *sub poenâ*, ut *tanquam vir bonus* Sententiâ suâ *Controversiis* finem imponat. *Arbitrator*, qui *sine poena* ad hoc eligitur, ut totis animi viribus exploret *Jus Controvertentium*, & aequâ compositione com-

componat. L. 1. D. de Jud. *Judex* est, qui *propriâ Jurisdictione*, aut *summi Magistratûs Imperiô*, causas omneis & *Juris*, & *Facti* dijudicat. *Ille*, liberum Arbitrium habet statuendi, quod aequius, meliusque videatur; *Hic*, sub Formulâ Actionum judicat, à quâ ne latum quidem unguem discedere potest; ut Cicero Orat. 4. in Verrem ostendit. Seneca Lib. 1. de Beneficiis: *Ideò melior videtur conditio causae, si ad* Judicem, *quàm ad* Arbitrum, *mittatur, quia* illum *Formula includit*, *& certos*, *quos non excedat, terminos ponit*: hunc *libera, & nullis adstricta Legibus* Religio, *& detrahere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam, non prout* Lex, *&* Justitia *suadet, sed prout* Humanitas, *&* Misericordia *impulit, regerere.* Similiter *Arbitrium*, & *Judicium* separat Cicero pro Rosciô Comoedô: Judicium *est certae pecuniae*, inquit, Arbitrium *incertae. Ad* Judicium *hôc modô venimus, ut aut totam litem obtineamus, aut amittamus. Ad* Arbitrium *hôc modô adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur.* Livius Lib. 33. *Ne penes unum hominem* Judicium, Arbitrium*que de famâ ac moribus* Senatoris *fuerit.* Svetonius in Caligulâ: *Jus*, Arbitrium*que omnium rerum illi permissum est.*

(*f*) Ab *aliis* ita *breviter, appositè* tamen, describitur, quòd nimirùm fit *Judex honorarius*, quem *utraque Litigantium Pars* eligit, ut caussam ex *aequo*, & *bono* dirimat. Vndè & *Arbitrari* pro *judicare*, & *litem* arbitrio *finire*, immo *constituere, modumque, & rationem, quasique formam Operis faciundi delineare*, atque *praescribere* ponitur.

Arbitrium est Sententia, quae ab *Arbitrô* in bonum, & aequum, & ex bonâ fide profertur, vel Potestas *Arbitro* data. Undè *Arbitrium recipere*, aut *suscipere*, dicitur, qui *Judicis partes* suscipit, finemque se *suâ sententiâ* controversiis impositurum pollicetur. (*g*) *Arbitrarium* est, quod apud *Arbitrum* geritur, & quod in illius potestate est pro *arbitrio judiciòque suô* statuere, à quô *Arbitraria Poena*, & *Arbitrariae Actiones*, quae in *arbitrium Judicis* referuntur, de quibus multa *Jurisconsulti*. Plautus in Amphitr. (*h*)

Hoc

Hoc quidem profectò certum est, *non est* Arbitrarium.

(g) Sunt autem duo *Arbitriorum* genera: *Unum* ejusmodi, ut sive *aequam*, sive *iniquam*. *sententiam* ARBITER de *controversia* tulerit, parere debeamus. Quod observatur, cùm ex compromisso ad *Arbitrium* itum est. *Alterum*, ut ad boni Viri *Arbitrium* redigi jubeat, quod *jure* decernat. Haec *Doletus* loc.cit. p.43.

(h) Act.1. Scen.1. v.216.

Arbor omne lignum dicitur, (i) *Arbos* tantùm fructifera, (k) *Agraetius*.

(i) & continentur hujus appellatione *Plantae majores*, & *dissolutu contumaces*, quae *simplici caudice*, *ramisque brachiorum more porrectis* assurgunt, cujusmodi sunt *Olea*, *Vitis*, *Quercus*, & similes.

(k) *Auctoritas* videnda apud *Virgil.* Ecl.3. v.56. & Lib.2. *Georg.* v.57. 81. 131. 150. & 290. it. Lib.3. *Aen.* v.27. & Lib.6. 206.

[*] *Arbustum*, & *Arbusta* sunt arbores multae ad fructum consitae, *Olivarium*, *Pomarium*, vel *Vites arboribus applicitae*. *Arbutus* est arbor fructum ferens in morem *Cerasorum*, s. *Fragorum*. *Arbutum* est fructus *Arbuti*.

Arcere Aquam est curare, ne *influat*, & liberè manans *noceat*. (l) *Coërcere aquam* est continere sic, ne *diffluat*, vel *dilabatur*, ut quisque *aquâ uti* possit. Cicero pro Muraenâ: *Ille tenet, & scit, ut hostium copiae, tu ut* aquae pluviae arceantur. Ulpianus ad Edictum 70. L.1. D.de Font. *Quò minùs fontem, quô de agitur, purges, reficias, ut* aquam coërcere, uti*que* eâ *possis*.

(l) *Arcere* enim *propriè* est *à se probibere*, *propulsare*, *abigere*, ac *propellere*. Sic *Hostis arcetur*, dùm *arctè transitu coarctatur*, aut è *propugnaculis abarcetur*, ut *coërceatur*.

Arcus omnis suspensus Fornix appellatur ab *arcendô*, quòd se ipsum contineat. *Arquus* est Circulus in coelô quadricolor, quem *Graeci* vocant *Irim*. (m) Varro Lib.4. de Vita Populi Rom. *Quòd* Arci, *quos summô opere fecerat*, *fessi pondere*, *diu facti celeriter corruissent*. Lucret. (n)

Tùm color in nigris existit nubibus Arqui.

Sed *baec Differentia* à *Noniô*, & *Orthographis* tradita parum mihi quidem probatur. Nam *vetus Scriptura* fuit *Arquus*, ut *Oquulus*, posteà factum *Arcus*, & *Oculus*, autore *Priscianô*. (o) Nec est necesse diversas ejusdem vocis significationes *Scripturâ* decernere, praesertim ubi *ea-*

D *dem*

dem origo, ut in *his*. *Utrumque* enim dicitur à *rotundâ Formâ*.

(m) *Arcum* facit *Arcuarius*, & tunc est *Machinula*, *qua sagittas emittimus*. *Arcum* arcuat *Murarius*, & tunc est *Fornix in aedificiis*. Sed *Arcus pluvius* in *coelo* est *pulchrè arcuatus*.

(n) Lib. 6. (& non *Libro* 1. uti in caeteris omnibus *hujus Libri* Editionibus exstat.) v. 536.

(o) *Rectè* itaque in nonnullis *Lucretii* Editionibus; praeprimis verò in ista, quae *Lugduni* ap. *Seb. Gryphium* An. CHR. M.D.XL. in *form.* 8°. prodiit, legitur pro *Arqui*, ARCI.

Argentarii dicebantur, (p) qui mensis in *Forô* sub tabernis positis quaestum faciebant, aut collocandis foenori pecuniis, aut permutandis. (q) *Mensarii* erant Curatores publicae pecuniae. *Illi* negotiationem *privatam* exercebant. *Hi* rei nummariae *publicae* dispensationem habebant, & prout res ferebat, *variè* creabantur, ut primùm *ad dissolvendum aes alienum* creati *Quinque Viri Mensarii*, deindè propter penuriam argenti *Tribuni Mensarii*, ut *Livius* testatur. Et *haec* quidem *Differentia* fuit, *libera*, & *florente Republicâ*. Nam, oppressâ à *Caesaribus* Libertate, desiit publicum munus *Mensariorum*, & tunc privati negotiatores *Nummarii* indifferenter appellati, *Mensarii*, *Nummularii*, & *Graecis* vocabulis *Trapezitae*, (r) *Danistae*, *Collybistae*. Quanquam *Nummularios* ab *Argentariis* separat Paulus ad Edictum 3. l. 9. D. de Edend. *Et hi* Nummularii, *sicut* Argentarii, *rationes conficiunt, quia & accipiunt pecuniam, & erogant per parteis, quorum probatio scripturâ codicibusque eorum maximè continetur, & frequentissimè ad fidem eorum decurritur*. Cujus Discriminis *rationem* illam ego fuisse crediderim, quòd *Nummularii* erant *minutuli Negotiatores*, *qui aliorum pecunias tractabant, quae custodiae causa apud ipsos deponebantur*; *Argentarii* verò erant *ditiores*, & *suis*, *non alienis modò*, *nummis* Argentariam *faciebant*. Ad hoc praeerant *auctionibus*, & fidejubebant pro *aliis*, & constituebant, vendebantque *Res pretiosas*, *Servos*, *Gemmas*, *Vasa caelata*, & alia hujusmodi. Quae omnia ex *Veterum Jurisconsultorum*

Frag-

Fragmentis, & *Ciceronis* Oratione pro Caecinna, *Svetonii* Nerone, & *aliis* possunt colligi. (*s*)

(*p*) qui exercent, seu faciunt *Argentariam*, sive
(*q*) Indè *Argenti*, sive *Nummorum Permutatores* à nonnullis dicti sunt.
(*r*) De *Trapezitis*, s. vulgò *Longobardis*, qui in Foederato Belgio *Mensas foenebres* exercent, *elegantem Dissertationem* imprimi curavit *Marc. Zuerius Boxbornius* Lugduni Batavor. per *Isaacum Commelinum* An. CHR. M.DC.XL. in 1.8º.
(*s*) Quandò autem *Mensarii*, sive *Mensularii*, Mensa surgebant, multos in damna praecipitabant.

Arguere est (*t*) ostendere, & patefacere. Virgil. (*u*)

Degeneres animos Timor arguit. - - -

Unde *Argumenta* dicuntur, quae causam causae ostendunt. (*x*) *Coarguere* verò est coërcere. *Agraetius.*

(*t*) clarum facere, demonstrare. (*u*) Lib. 4. *Aeneid.* v. 13.
(*x*) sive sunt *indicia*, quibus aliquid dubium potest demonstrari. Nonnunquam *Argumentum* quamvis quoque materiam ad *scribendum* destinatam, vel potiùs summariam *alicujus Scripti* indicationem notat.
(*) *Argutus* callidè, acutè, atque solerter *arguit*. *Astutus astutè* simplicem hominem decipit. Sed qui multa *percallet*, fit plerumque *Callidus*, & agit *callidè*, h. est, fraudulenter. Notandum autem, quòd scribente *Isidoro* Lib. 10. *Orig.* col. 235. Veteres *Callidum* non pro *astuto* tantùm, sed pro *astutè docto* posuerint; *Versatumque*, quod animum citò *vertat*, etiam vocaverint.

Arma propriâ significatione *ea* tantùm intelliguntur, quae ab *Armis*, sive *Humeris*, dependent, magis parata *defendendi*, & *tegendi*, quàm *laedendi* causâ. (*y*) *Telum* propriè *id* appellatur, quod ab *Arcu* mittitur, (*z*) dictum ab antiquô verbô *Telo*, à quô *Protelo* manet in usu, id est, *Expello*, & *Emitto*, non à *Graeca* voce Τηλῦ, quae *Longè* significat. Sallust. in Catilinâ: Telis, Armisque *instructi*. Livius Lib. 44. *Die primô* Arma, Tela, *Signaque aerea*, *&* *marmorea transtulit*. Idem Lib. 36. *Lapidibus* Telisque *incessabant*, & Lib. 46. Arma Telaque *parant*. Quandoque tamen *utriusque vocabuli* appellatione rarissimè utuntur non modò *Jurisconsulti*, sed ipsi quoque *Oratores*, & *Historici*. Nam L. 41. D. de Verb. Sign. *Arma* vocantur omnia, quibus quis paratus, instructusque est, vel ad *propulsandam*, aut *inferendam vim*, ut sunt *Gladii*; *Hastae*, *Galeae*, *Saxa*, *Fustes*: vel ad

Opus aliquod efficiendum, ut *Arma* Rusticorum, *Ligones*, *Rastri*, *Aratra*; Coquorum *Lebetes*, *Patellae*, & similiter *uniuscujusque Artis Instrumenta*. *Telum* autem quicquid *manu* in aliquem mitti potest, appellatur, ut *Ensis*, *Lapis*, *Hasta*, *Sagitta*. Inde *Tela eadem* sunt *Arma*; at non *contrà*. Cicero pro Caecinnâ: Armatos *quos jure appellare possumus? Opinor eos, qui scutis*, Telisque *parati, ornatique? Quid igitur, si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem praecipitem de fundô egerint?*

(y) Vel ARMA *generaliter* considerata, sunt omne instrumentum, quo quis ad actiones suas instruitur; in *specie* verò dicuntur *Arma bellica*. *Illa* asservantur in *armario*, h.e. quorumvis utensilium promtuario, quod *arcae erectae formam* plerumque repraesentat; *Haec* autem, ut caetera *armamenta*, in *armamentario*. Hinc petitur *Armatura*, qua *inermes*, & *semiermes armantur*, ut in *armilustrio* compareant. Sed *armati* capti, ut & *armatu* abutentes, *exarmantur*.

(z) s. e. *omne missile*, quo *procul* ferimus.

Armenti appellatione intelligitur id genus *Pecoris*, cujus praecipuus est usus ad *arandum*, ut *Bos*. (aa) *Jumentum* est, quod *curru* jungitur, veluti *Equus*, & *Mulus*, ut tradunt *Consulti Juris*, qui ferè soli hanc *Differentiam* observant, credo, ambiguitatis vitandae gratiâ. Alii Auctores *promiscuè* vocant *Armenta*, & *Jumenta* majora Animalia, quae *collo* domantur, ut sunt *Tauri*, *Equi*, *Boves*: *Greges* verò minora, *Oves*, *Caprae*, *Sues*. Virgil. Lib. 3. (bb) Georg. (cc)

Hoc satis Armentis; *superat pars altera curae*,
Lanigeros agitare Greges, *hirtasque capellas*.

Ovidius Lib. 4. Metamorphos. (dd)

Mille Greges, *totidemque* Armenta *per herbas*
Pascebant - - -

Armenta ex mente *Servii* ideò dicuntur, quòd haec animalia apta sunt *armis*, ut *scutis* Boum coria, Equi *praelio*.

(aa) *Valla* dicit, quòd *Armentum* sit congregatio *Animalium pascentium*, sed *majorum*: ut *Boum*, *Vaccarum*, *Equorum*, *Mulorum*, *Asinorum*, *Camelorum*, *Elephantorum*, & similium; *Grex* v. *minorum*, qualia sunt *Hircus*, *Porcus*, *Porca*, *Capella*, *Caper*, *Capra*, *Sus*, horumque similia. Sed tamen videtur *Grex* nonnunquam accipi pro *Armento*, praesertim apud *Virgil.* Ecl. 6. v. 55.

Aut

Aut aliquam in magno sequitur Grege, - - -
atque *Horatium* in *Epod.* Od.II. v.11. seq.
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat erranteis Greges.
Conf. ejuld. *Horatii* Lib.2. *Carm.* Od.16. Stroph.9. v.1. seq.
(*bb*) non *Lib.4.* uti in caeteris omnibus *Auctoris nostri* Editionibus est legere.
(*cc*) v.286.seq. (*dd*) *Fab.16.* v.15. seq.

Arrogans est, qui *nimium* sibi (*ee*) tribuit, & vel ea, quae non habet, sibi vendicat, vel, quae habet, in majus componit; *Superbus* autem est, qui *alios omneîs* prae *se* contemnit, & quasi *super omneîs homines* se habet. Itaque *majore fastu* tumet *Superbus*, quàm *Arrogans*; *ut majus Vitium* est *Superbia*, (*ff*) quàm *Arrogantia*. (*gg*) Caesar in Anti-Catone: *Unius* Arrogantiae, Superbiae, *Dominatûsque*. Cicero Lib.1. Officior. Superbiam *magnoperè*, *Fastidium*, Arrogantiam*que fugiamus.*

(*ee*) (addamus *temere*) (*ff*) h.e. supergrediens mentis elatio.
(*gg*) Et *haec* semper in *rebus alienis* est. *Insolentia* autem etiam est in *alienis*, sed *praeter solitum*, & *non crebro usitatis*. Est ergò *Insolentia* quaedam rara, & singularis *Arrogantia*, & accipitur quoque in *bonam partem*, & *sic* accepta, idem est, ac *Raritas*.

Arteriae sunt semitae *spiritûs vitalis* misti cum *sanguine*. *Venae* sunt rivi *sanguinis confusi* cum *spiritu naturali*. *Illae* suâpte vi moventur, & pulsu suô accessiones, remissionesque febrium demonstrant. Hae sunt immobiles, & sanguinis tantùm demittendi causâ explorantur, ut ex *Libris Medicorum* annotavit *Gellius*. (*hh*) Cicero L.2. de Naturâ Deorum: *Sanguis per* Venas *in omne corpus diffunditur, & spiritus per* Arterias. Plinius Lib.2. *Apes nec* Venas, *nec* Arterias *habent*. Interdùm tamen *Vena* pro *Arteria* dicitur, non à vulgatô modô per errorem, ut *Gellius* putat, sed etiam ab *idoneis*, & *primariis Auctoribus*. Cicero de Fatô: *Si cui* Venae *sic moventur, is habet febrim*. Persius Satyr.3. (*) v.107.

Tange miser Venas, *& pone in pectore dextram.*

Ovidius (*) Lib.1. Trist. Eleg.7. v.41. seq.

Et tua sunt silicis circum praecordia Venae,
Et rigidum ferri semina pectus habet.

Celsus Lib. 3. *Si protinùs* Venae *conciderint*, *& saepiùs eôdem die*. Plinius: *In Musicos pedes* Venarum *pulsu descriptô per Aetatum gradûs*. Vitruvius: *De* Venarum *rhythmô, & de Pedum motu.*

(bb) Lib. 18. *N. A.* c. 10. Leg. *Matth. Dresseri* Lib. 1. de *Partib. Corp. Hum.* p. 34. seq. Edition. quartae, *Casp. Bauhini Inst. Anatom.* p. 10. seq. Edition. quintae, ut & *Thomae* (*Casp.* Fil.) *Bartholini* Libell. 2. *Anatomiae Reform.* c. 1. seqq. p. 437. seqq. Edition. tertiae.

Artus (ii) dicuntur partes *Corporis* inter juncturas, continentque *Ossa* cum *Nervis*, & *Venis*. *Membra*, (kk) propriè sunt *Caro*, & *Pellis*, quae *Artûs* tegunt. *Viscera* sunt partes *intestinae*, (ll) ut *Jecur*, *Lien*, & alia id genus. Lucret. L. 3. (mm)

Per Membra, *atque* Artûs *nulla novitate cietur*. Et Lib. 4. (nn)

Et lacerare Artûs, *foedataque* Membra *cruore.*

Gellius Lib. 20. (oo) *Quid enim videri potest efferatius? Quid ab hominis ingeniô diversius, quàm, quòd* Membra, *&* Artûs *inopis debitoris brevissimô laniatu distrahabantur, sicut nunc bona venum distrahuntur?* Svetonius in Caligulâ: *Neque ante satiatus est, quàm* Membra, *&* Artus, *&* Viscera *hominis tractae per vicos ante se congesta vidisset*. Sed interdùm *Membra* GENERALITER etiam *Artus*, & *Viscera* appellantur.

(ii) *Medicis* sunt Membra ex *corpore* explantata, quae, scribente *Bauhino* loc. jam cit. p. 213. in *Manus*, & *Pedes* dividuntur.

(kk) vel potiùs *Membranae*, (*Membranis* n. obteguntur *Membra*, ceu *Partes corporis Organicae*, in *Corpore membratim.*)

(ll) f. Membra *interiora* vitalia.

(mm) v. 152. (nn) v. 846. (oo) cap. 1.

Arundo, Agraetiô docente, canna est ab *ariditate* dicta, ut fluvialis *Arundo*. *Harundo* telum è cannâ. Virgil. Lib. 4. Aeneid. (*) v. 73.

- - - *Haeret lateri lethalis* Harundo. (pp)

(pp) In accuratioribus praedicti *Poëta* Editionibus, & in ea imprimis, quam *Nicol. Erythraeus* cum *Indice absolutissimo* An. CHR. M. D. LXV. *Venetiis* ap. *Francisc. Rampazetum* in form. 8. diligenter jussit imprimi, pro HARVNDO, *Arundo*, nequaquam iniquè, quod H. non est littera, legitur: Ideòque *haecce Differentia* inter ARVNDINEM, & HARVNDINEM, quod unum & idem, non adeò commodè h. l. est immixta. Quandò autem *Arundo* pro *Telo* usurpatur,

tur, fit illud per *Metonym. Materiae* pro *materiato*. *Quotuplex* a. *Arundo* fit, ex diversis probae monetae Auctoribus in *Notis Marginalibus* §.6. Cap. 3. ita inscripti HABITUS CHRISTI REGII *nostri* Litt. C. 2. fac. a. *Edition. Cygn.* virili pro parte docuimus.

Aspergo Verbum est. *Aspargo* Nomen, quod madefactionem, aut circumfusionem significat, ut apud *Graecos* Περίκλυσμα. Cato de Re Rust. *Ita neque* Aspargo *nocebit, neque mures cava facient.* Virg. Lib. 3. Aeneid. (*) v. 534.

Objectae salsa spumant aspargine (*qq*) *cautes.*

Callistratus Quaestionum 2. L. 4. D. ad Legem Rhod. *Si vicenum merces duorum fuerint, & alterius* aspargine *decem esse ceperint.* Et haec quidem ita discernit Velius Longus in Libro de Orthographiâ: *Mihi* (inquiens) *contra videtur* ASPARGO Verbum *esse*, ASPERGO Nomen, *ut in illô servetur vocalis prima littera, quae est in verbô* Spargo: *In hoc tollendae ambiguitatis reponatur E. Sic autem ferè semper scribitur in veteribus Libris* Catonis, & Varronis ASPARGO, CONSPARGO, PERSPARGO. Rursùs in Lucretii Lib. 6. (*) v. 525.

Adversa fulsit nimborum aspergine *contrà.*

Nisi fortè Aspargo, *tàm* Nomen, *quàm* Verbum, *prima vocali scribendum. Non enim oportet* Distinctionis gratiâ *Scripturam mutare, ut paulò antè dixi,* & Terentius Scaurus monuit his verbis: *Quod si* Distinctionis causâ *ratio corrumpitur. Caveas quoque, quare non* accentu, *aut* littera E *mutamus, cùm &* Verbum, & Nomen *significat, ut in hoc* Tectis, *cùm &* Nomen, & Participium *sit, & in similibus. Ergò vox scribenda, quomodò ea sonat.*

(*qq*) Pro *Aspargine* in plurimis Editionib. rectissimè extat *Aspergine*, vel *Adspergine.*

Aspicimus sursùm; (*rr*) *Conspicimus* palàm; (*ſſ*) *Respicimus* retrò; (*tt*) *Inspicimus* intùs. (*uu*) *Agraetius.*

(*rr*) Alioquin *circumspectus* Vir, quoties illi obvenit in *aspectum* aliquid, non obiter illud tantùm *aspicit* unò *aspectu*, sed *aspectat* diu, & *circumspectat* undique, ut de illa judicare queat *circumspectè*, & cum *circumspicientia.*

(*ſſ*) Quae aut *conspicere*, aut *conspicari* non possumus hebetibus oculis, adhibemus *conspicilla*, reddimusque *conspectui* nostro *conspicua.*

(*tt*) s. quod est à tergo. Sed *respectamus*, quem *respectu* Virtutis veneramur. Apud *Latinos* etiam dicitur *respicere* aliquem, pro *contueri*, & *demùm juvare*. it. *Respicere se*, pro *sibi prospicere*, vel *rebus suis consulere*.

(*uu*) Sic *Inspector* Mercium *inspicit* res venaleis diligenti *inspectatione*, immò & *introspicit*, cum opus est.

Atriensis Servus dicitur, qui praepositus est *Atrio*, (*xx*) in quô apud Antiquos *Nummi*, *Imagines*, *Rationes*que asservabantur. *Atriarius* verò est, qui custodiae causâ ad limen *Atrii* perpetuò excubat. *Ille* inter *lautiores*, & *ordinarios Servos* connumeratur; *Hic*, inter *mediastinos* non honestissimum locum servitutis tenet. Cicero in Paradoxis: *Ut in magna Familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, Servi, sed tamen Servi* Atrienses, *ac Topiarii*. (*yy*) Ulpianus ad Edictum 14. L. 1. D. Naut. Caup. *Si quis opera mediastini fungitur, non continetur, utpote* Atriarii, *& Furnarii, & his similes*. In unô locô *Atriarius* nominatur, ut hinc suspicari non immeritò quis possit, eundem esse *Atriarium*, & *Atriensem*. Sed cum *Atriensis* esset ordinarius, & alios sub se vicarios haberet, qui *Atrium* verrerent, atque limen observarent, si quis ipse hâc operâ fungeretur, & ideò mediastini locum teneret, ab *Ulpianô*, Distinctionis gratiâ, *Atriarium* vocari.

(*xx*) *Atria* enim non solùm *Templis*, sed *Aedibus privatorum profanis* quoque adjici quondam solitum; *Litterati* haud ignorant.

(*yy*) De hoc *Ciceronis* loco vid. *Th. Dempsteri* p. 40. *Paralip.* ad cap. 13. Lib. 1. *Antiqu. Romanar.* Rosin.

Audentia secundum *Non. Marcellum* est fortitudinis; *Audacia* verò Temeritatis, (*zz*) ut Sallustius: Audacia *pro murô habetur*. Virgilius: (*a*)

- - - - - Audentior *ibo*
In casûs omneîs. - - -

(*zz*) Idcircò *Audax* nihil relinquit *inausum*; saepè tamen, postquàm *audacter* magna est *ausus*, non potitur *ausis*.

(*a*) Lib. 9. & non Lib. 6. *Aen.* uti in reliquis omnibus *Auctoris nostri* Editionib. est reperire. v. 291. seq.

Audire est auribus percipere; (*b*) *Inaudire* est occulta audire; (*c*) *Auscultare* est (*d*) animum dictis adhibere, parereque. Cato in M. Caelium: Auditis, *non* ausculta-

tis,

tis, *tanquam Pharmacopolam*. *Nam ejus verba* audiuntur; *verùm ei se nemo committat, si aeger est*. Pacuvius in Chryse:

Magis audiendum, *quàm* auscultandum *censeo*. (e)

Plautus in Aulularia: (*f*)

Credo ego jam *illum* inaudîsse, (*g*) *mihi esset thesaurum domi*.

Cicero ad Paetum: *Consilia sunt inita de me, quae te video* inaudîsse.

(*b*) s. vocem auribus illatam excipere: *Variè* autem construitur apud *Ciceronem*, & tàm ad *Personam*, quàm ad *Rem* refertur. Vt *audire aliquem* idem est, ac credere, s. fidem habere alicui. *Audire Praeceptorem*, est Praeceptori operam dare. *Audire preces*, pro quo Barbari *exaudire* dicunt, est *precibus annuere, &, quod postulatur, largiri*. Sed *benè audire* non dicitur de eo, qui liberas habet ad audiendum aureis, sed qui bellum de se rumorem spargi percipit. Sic *malè audire*, est rumorem de se malum audire.

(*c*) Vbi notandum, quòd ea, quae tantùm *inaudivimus*, nec *audivimus*, pro *inauditis* habenda sint. NB.

(*d*) aureis ad alicujus vocem admovere, s.

(*e*) Vid. quae in *Henr. Stephani* Editione p. 241. ad *Versum hunc* notata sunt.

(*f*) Act. 2. Sc. 2. v. 88. (*g*) In *Taubmanni* illa Editione, quae init. Sec. huj. est impressa, *commodius* legitur:

Credo ego illum jam inaudiisse, &c.

Ave vox propria est Salutationis matutinae, quae ferè officii gratiâ *Potentioribus* deferebatur, ut *Graecè* Χαῖρε! (*h*) *Salve* vespertina Salutatio fuit, ut in *Hadrianô* scripsit *Dio*, & *omnibus* dicebatur. Seneca Lib. 6. de Beneficiis: *Vulgare, & publicum verbum, & promiscuum ignotis* Ave *non*, *nisi per ordinem*, *mittitur*. Martialis: (*i*)

Et matutinum *portat ineptus* AVE.

Utroque autem verbô non tantùm *accedentes* in primô congressu, sed etiam *discedentes* in fine sermonis salutabantur. Sallustius in extremô Epistolae Catilinae ad Q. Catulum: AVETO. Cicero ad Trionem: *Vale, & Salve*. Ausonius ad Probum: *Ave, atque Salve plurimùm*. Quin etiam mortuos his verbis compellabant, quasi non videndos ampliùs, ut Varro in Logistori-

ſtoricis tradidit, & notavit Servius ad Verſ. XCVII. ſeq. Lib. IX. Aeneid. Virgil.

- - Salve *aeternum mihi maxime* Pallas, (*k*)
Aeternumque Vale. - - -

Antiquae Inſcriptiones: HAVE THAIS, & HAVE IGITUR MEA HADRIANA. Hinc feſtivè eluſus *Claudius Caeſar*, qui, Svetoniô teſte in *Claudiô*, (*) Cap. XXI. cum *Naumacharii* ipſum ſalutâſſent: *AVE IMPERATOR, morituri te ſalutant*, reſpondit: *AVETE VOS*: quod illi ſic exceperunt, quaſi ſalute dictâ veniam dediſſet. (*l*)

(*b*) Sic enim *Martialis* Lib. 5. Epigr. 52. & quidem ſecundum *Edition. Plantiniano-Antverpienſem, & Brylingeriano-Baſileenſem*. Nam *Raderiano-Colonienſis* facit Epigr. 50. *Burmeiſteriano-Goslarienſis* a. 53. immò & *caeterae* aliud, v. 7. ſeq.

AVE Latinum, Χαῖρε *non potes* Graecum.
Si fingere me iſtud putas, ſalutemus.

(*i*) Lib. I. Epigr. 56. (quod *Plantiniano-Antverpienſis Editio* fecit.) v. 6.

(*k*) In *Erythraiana Editione* invenitur *Vocativus* PALLA, à *Pallas, Pallantis.*

(*l*) Vid. *Joan. Schildius* in hunc *Svetonii* locum.

Aufert, (*m*) qui dedit. *Adimit* (*n*) imperio coactus. *Eripit*, qui plus valet. Itaque *Auferre* poſſumus, *Adimere* jubemur, *Eripere* valemus. *Corn. Fronto.* Aliàs *Auferimus* ea, quae cum *faſtidiô* cernimus. *Ferimus* ea, quae cum *honore* tractamus. *Donatus.*

(*m*) *Auferre* ſemper *ablationem* habet, & ponitur, vel pro *impetrare*, vel pro *referre ad ſe*, vel *ad ſe recipere*, vel *aſportare*. Interdùm ponitur pro *extinguere*, vel *reprimere*, aut *tollere*. Sed quandò (*uti h. l.*) idem eſt, ac *abripere, detrahere*, vel *adimere*, tunc *tantummodò* ad *res* refertur.

(*n*) Si tibi quis aliquid *adimit*, non debes rurſum per vim *demere*, multò minùs ipſum *interimere*; ſed adire eximium Judicem, qui controverſiam *dirimat* aequa *diremtione*. Ille te *eximet* injuria, & niſi Adverſarius comparuerit ad peremtorium terminum, illum, aut cauſam ejus, *perimet*.

Auguro (*o*) dicimus, cùm praeſagiô mentis futura colligimus, ut Virgil. Lib. 7. Aeneid. (*) v. 273.

- - - *Si quid veri mens* augurat - -

Auguror verò tunc, cùm futura veris captamus *auguriis*, ut ex *Alitis volatu, cantù*que, aut è *tripudiis*, vel è

ſo-

soniviis. Quam differentiam etsi tradit *Servius*, (*p*) laudâtque auctorem *Plinium* in Libris dubii Sermonis; tamen censeo haec verba *unum*, *idemque* significare, neque *plus* differre, quàm *Medito*, & *Meditor*, *Demolio*, & *Demolior*, aliàque *multa*, quae Veteres *indifferenter* utrâque terminatione protulerunt.

(*o*) h e. divino, s. *augurium* ago, sive per *augurium* vaticinor.

(*p*) Quo cum consentit *Taubmannus* in Commentar. ad Vers. XXIIX. Sc. 2. Act. 4. *Cistellariae Plautinae* p. 463. col. b. *Edition. posterior.*

Augurium erat, cùm observabatur *garritus*, aut *cantus Avium*, quas appellabant *Oscines*, quòd *ore* futura praedicerent, ut *Corvus*, *Cornix*, (*q*) *Noctua*. (*r*) *Auspicium* (*s*) erat, cùm ex *Avium pastu*, vel *volatu*, futura notabantur, quae si ante *auspicantem* se ferebant, vocabantur *Praepetes*, & prospera nunciabant; sin retrò, *Inebrae*, quòd coepta *inhiberent*. Ennius Lib. I. Annal.

- - - *Dant operam simul* auspicio, augurioque.

Plautus in Asinariâ: (*t*)

Certè herclè ego quantum ex auguriô Auspicii *intelligo*.

Quanquam *Auspicium* etiam ex *aliis rebus* captabatur, atque, ut *Servius* ait, *omnium rerum* erat; *Augurium* verò *certarum* saltem, & *Auspicari* cuivis etiam *peregri* licebat; *Augurium* verò *agere* nisi in *patriis sedibus* fas erat. Hinc *Pedestre Auspicium* ex *quadrupedibus* apud Horatium Lib. 3. Carmin. (*)

Rumpat, & Serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit Mannos. Ego cui timebo
Providus Auspex?

Praetermine ex terminis agrorum, cùm ex agrô *Romanô* in agrum *peregrinum* progrediebantur, ut tradit Victorinus de Orthographiâ. *Peremne* ex amnibus, cùm vel *Magistratus* in campum euntes, vel *Imperatores* ducentes exercitum *amnem*, aut *aquam*, *auspicatô* transibant; Vel, ex *Acuminibus*, si *acumina spicularum*, aut

en-

ensium splenderent. Cicero Lib. 2. de Divinatione: *Nec omnes transeunt* auspicatò, *nec tripudio* auspicantur. Ibidem: *Nulla* peremnia *servantur*, *nulla* ex acuminibus.

(q) Quae *Horatio* Lib. 3. *Carm.* Od. 27. Stroph. 3. v. 2. *Avis divina*, hoc est, praescia *imbrium imminentium* dicitur.
(r) Ideoque dicitur ex *Avibus* Divinatio.
(s) Quod idem est, atque ex *Avium* inspectu vaticinatio. In *genere* sumitur pro *consilio de re capessenda*.
(t) Act. 2. Sc. 1. v. 15. (*) Od. 27. Stroph. 2.

Augusti (u) dicebantur hi, qui *praeerant* Imperio Romano; *Caesares* (x) autem erant Imperatores *designati*, & *futuri* Augustae Majestatis *Successores*, quales olim *Principum Filii*, & qui nunc appellantur *Reges Romani*. Et haec quidem fuit *horum Nominum Differentia* jam declinante Imperiô, ut ex *Ammiano*, *Lampridio*, *Spartiano*, & ex *Rescriptis Imperatorum Codici Justinianeo insertis* apparet. Nam, florente Imperiô, *omnes Romani Imperatores* vocabantur *Caesares Augusti*, quod ex *Numismatis*, & *antiquis Inscriptionibus* notissimum est.

(u) Heic probè observandum est, quod *Augustus* ab *augurando*, qs. *augurio felici consecratus*, & neutiquam ab *augendo* dictus sit; quanquam illiterati Scribae *Imperatores Romanos*, etiamnum nuncupant.
(x) Qui sic dicuntur à *C. Jul. Caesare, Dictatore*, primo *Romanorum* Monarcha, cujus *Parentes* fuerunt *L. Caesar*, *Praetor*, & *Aurelia*, *C. Cottae* filia, primariae dignitatis, & castae Latinitatis foemina, ita ut, *Theodoro Petrejo* in Chronologica *Romanor. Imperator.* Historia p. 3. scribente, nitidè ac eleganter *Romanae* loqueretur; qua & ab infantia filium ita imbuit, vix ut ullum suo tempore parem, nedum superiorem, in scribendo, loquendoque *Caesar* habuisse existimetur. Ideoque *C. Vellej. Paterculus* Lib. 2. *Hist. Rom.* c. 36. §. 2. secundum *Booelerianam Argentoratensem Edition.* eum eloquendi facultate meritò *Ciceroni* fecit proximum.

Avis est, quae (y) *pennas* habet, & *ova* parit, ut ait Ennius in Epicharmô:

Ova *parere solet genus* pennis *condecoratum*.

Volucris est, quecunque *volat*, (z) non *Avis* modò; sed etiam *Insectum*, ut *Apis*, *Vespa*, *Musca*, & id genus alia. Sed *haec differentia* non semper observatur; (aa) Varro Lib. 3. de Re Rust. *Eas maluisse* Volucres, *quibus plurimum Natura ingenii, atque artis attribuit. Itaque eas melius*

lius me nosse, quàm te, ut scias, de incredibili earum Avium *Natura audi.*

(y) praeter Vespertilionem pennis est praedita, s.

(z) *Volant* a. *Volucres*, & quicquid *volucre*, *volatile*, s. *volaticum* est, vario *volatu*. A*volant* enim,& *advolant*. *Provolant* è nidis suis, & *circumvolant* huc illuc, *revolantque* ad nidos: *Evolant* sylva, *pervolant* campos, *involant* pascua, quo potissimùm agminatim *convolant*. Quaedam ordinatissima *volatura volitant*, una reliquas *antevolante*. Inter alias *praevolat*, quae potest confusim. Si obviam habent arborem, hanc aliae *praetervolant*, aliae *pervolant*, aliae *subvolant*, aliae *supervolant*, & sic omnes *transvolant*.

(aa) Praesertim apud *Poëtas*, ubi *Volucris*, tanquam *genus*, *specialiter* pro *Ave* persaepè usurpatur. Conf. *Virgil.* Lib.7. *Aeneid*.v.33.seq.

(*) *Auris* est sensorium, quo sonus percipitur; *Auricula* v. cartilago circum *Aurium* concavitatem, nec *ossea*, neç *carnea*. Si enim *os* fuisset, facilè *frangeretur*, si *caro*, facilè *contunderetur*, nec sonum repelleret. Leg. *Bauhini* Instit. Anatom. *p*.185.*seq*. Sic *Aves* habent quidem *Aureis*, sed non *Auriculas*. Falsi itaque illi Virorum eruditorum sunt, qui *duo haec vocabula*, ut *majus*, & *minus differre*, seriò arbitrantur. Nam si ita esset, *tritissimum illud*: AVRICVLAS ASINI QVIS NON HABET? locum habere non posset. Scimus enim *Asinos auritos*, h.e. *magnarum*, & *non parvarum aurium* esse,& ob id *stupidum*, *nulliusque judicii hominem* appositè denotare, etiamsi *acutissimè animalia ista audire*, dicuntur. Conf. *Barthii* Lib.11. *Adv*. c.7. col.522. Sic *Justinianus Imp.* à dicace, & semper querulo vulgo Constantinopolitano ΟΝΟΣ, h.e. ASINVS, quòd *Auriculas caeteris majores, extantioresque forsan habuerit*, per contemtum est cognominatus, uti ex *Procopii Lib.*1.*Pers.* diligenter annotavit illustris *Thom. Reinesius* Lib. 2. *Var. Lect.* c.17. p.283. *Auritos Lepores* dicit *Virgilius* Lib.1. *Georg.* v.308. sed non *primus*. Secutus n. *Afranium*, qui in *Prologo Priapi* sub nomine ipsius *Priapi* haec sequentia profert:

Nam quod vulgò praedicant, aurito *me Parente natum, non ita est.* Vid. *Macrobii* Lib.6. *Saturn.* c.5. p.485. Edition. *Gryphianc-Lugdun.* & ex eo *Henr. Stephani* Expositio *ad hunc* Afranii *locum* p 62. *Arrigere aureis*, *Terentio* in *Andr.* Act.5. Sc.4. v.29. idem est, ac *attendere*, s. *intellectum intendere*. Sed *Aurem vellere*, s. *vellicare*, *Veteribus* erat *admonere*, sumtum ab illo ritu, quo in jus ducturi quempiam *Aurem vellicabant*, antestantes eum, quem qs. testem meminisse volebant. Leg. *Des. Erasmi Reterod.* Chil. I. Cent. VII. *Adag.*40. p.203. col.1. Edition. *Gymnicio-Coloniensis*, & *Paul. Manutii* Adagia p.301. col.2. De *Aurium ornatu*, & *usu* vid. *L. Coel. Lactantius Firm.* Lib.1. de *Opif. Dei* c.8. Immò dantur *pisces* quoque, ab *Ennio* ap. *L. Apulej.* Apol.1. p.235. Edition. *Colvian. Matriculi*, vel *Marriculi*, & *Mariculi*; à *Turnebo* verò *Muriculi* dicti, quos *Petrus Colvus* in Not. ad praelaud. *Ennii* loc. p.25. AVRICVLARVM, quae τὰ ὠτάρια doctissimo *Athenaeo* sunt, nomine *appositè* insignivit.

Austerus (bb) Graecâ consuetudine; *Severus* (cc) à saevô dicitur. *Corn. Front.*

(bb) *Graecis* dictus αὐστηρὸς ab αὔω, *sicco*, *propriè* de *Sapore subacido*,

cido, qui linguam *contrahit*, & fauces *exsiccat*, dicitur. *Metaphorice* verò *morosum*, ac *inhumanum hominem* apposite designat.

(*cc*) *Severus* non levis, sed seria alacriter agens est. Sic *Pater severus* adhibeat Disciplinae *severitatem*, non tamen nimis *severè*, & quod Liberis *asseverat* faciendum esse, in eo ipsos *perseveranter perseverare* jubeat, sine qua *Perseverantia* omnis *Asseveratio* vana foret. NB. *Torvus* a. est qui torto vultu spectat, & de *Brutis* ac *Bestiis propriissimè* dicitur. Indè *Virgil.* Ecl. II. v. 63.

Torva *Leaena Lupum sequitur*. - - -

Dicitur, & *homo torvus*, quando est *horribilis*, & *aspectu formidabilis*.

[*] *Autor* propriè, qui aliquid inchoat, & perficit, & sic idem est, ac *Factor*. *Graecis* qs. αὐτόεργος, vel αὔτωρ, ab αὐτος, ideoque *tantùm* per T. scribi debet. Qui per TH scribunt *Author*, decipiuntur Nominibus *Authentes*, & *Authenticus*, quae *Graecis* sunt αὐθέντης, αὐθεντικός. Verùm longè alia res est. Nam *illa* sunt ex αὐτοέντης, αὐτοεντικός per *Syncopen* facta. Et θ inde est, quia τ oportuit in id transire propter Spiritum asperum, qui competit alteri parti compositionis εἷς, ἕντος, ab ἵημι, mitto, projicio. Leg. *Erasm. Schmidii* Hypomn. ad cap. 3. par. 1. *Grammatices Phil. M.* p. 22. Immò etiam *Autor* est, qui autoritate sua approbat, ut aliquid agamus. *Plaut.* in *Aul.* Act. 2. Sc. 2. v. 73.

Impero, Autorque *sum, ut tu me cuivis castrandum loces*.

Vndè *Tutores Pupillorum* AVTORES vocamus, quorum autoritate illi faciunt omnia. Quòd a. *Autor*, non tantùm de *Personis*, puta Deo, *Angelis*, & *hominibus* dicatur, sed aliquandò etiam *intellectus expertibus* tribuatur, multis exemplis corroborat *Rodol. Gocl.* Lib. 1. *Problem. Grammaticor.* c. 31. p. 26. Sed *Auctor* per CT scriptus *generaliter* illum denotat, qui aliquid auget; *specialiter* verò, qui in auctionibus pretio aucto ius Dominii in se transtulit. Malà itaque ii agunt, qui *Autorem*, & *Auctorem* unum idemque esse, ideoque *duo haec Vocabula indifferenter* scribenda statuunt.

Auxilia sunt Milites alienigenae, qui ad *augendum*, & *firmandum* Exercitum accedunt, ut olim *Legionibus Civium Romanorum* jungebantur *Auxilia Sociorum*, quorum numerus aut pro rei magnitudine à *Senatu* decernebatur; aut *arbitrio Consulum*, quibus id negotii datum erat, imperabatur. *Suppetiae* sunt copiae militares, quae ad *subveniendum*, & *succurrendum* laborantibus, velùt obsessis, mittuntur. Plautus in Epidicô: (*dd*)

- - - *Auxilia* mihi, & *Suppetiae* sunt domi.

Auxilium (*ee*) repentinum est. *Subsidium* (*ff*) ad secundos casûs praeparatur. Subest enim deficientibus.

Prae-

Praesidium ad custodiam (*gg*) collocatur. *Corn. Fronto.* (*hh*)

(*dd*) Act.V. Scen.2. v.12. (*ee*) *Auxilium* (quod propriè idem, ac virium viribus auctio est) *dare*, *ferreque* dicimus, quod *Plautus* in *Mil. Glor.* Act.IV. Sc.4. v.8. per τὸ *dare operam adjutabilem* feliciter expressit; ast non dicimus *opem dare*, sed *opem ferre*, *Terent.* in *Andr.* Act.III. Sc.1. v.15. & in *Adelph.* Act.III. Sc.5.v.41.

Juno Lucina fer opem. - - -

Trachalio servus Cyrenenseis populareis suos ap. *Plaut.* in *Rudente* Act.III. Sc.2. v.3. hunc in modum alloquitur:

Ferte opem inopiae. - - -

(*ff*) Quod *generaliter* idem est ac *quicquid auxiliatur*; in *specie* vero *Militem* ad *subveniendum praeliantibus subornatum* notat.

(*gg*) hoc est, explicante *Tortelio* in *Lima Orthogr.* fol.72. fac.b.col.2. ad tutelam *Oppidi*, *Castelli*, atque *similium*.

(*hh*) Miles *praesidiarius* in *praesidium* datur urbi ab hoste intutae; sed *Praeses praesidet* Judicio, ut ab illo potissimùm habeat *Praesidium* Justitia.

B.

BAlbus est, qui linguâ haesitat, aut obscurè loquitur. (*ii*) *Blaesus*, qui aliquam litteram exprimere non potest. (*kk*) L.10. *inf. ubi Gothofr. de Aedil. Edict.* Budaeus.

(*ii*) Balbus *balbutit*, quia *balbuties* loquelam impedit. Infans *balbutit*, quia nondum loqui potest.

(*kk*) Vel cui *litterae sibilantes* (*C. S. Z.*) molestae sunt, vitiosèque pronunciantur.

Balneae, vel *Balnea*, sunt publica; *Balneum*, sive *Balineum*, est domesticum, & privatum. (*ll*) Itaque, quòd erat unicum, & singulare in aedibus *Balneum*, ideò non habuit *numerum Multitudinis* aetate M. Varronis, ut *ipse* testatur Lib.8. de Linguâ Lat. *Reprehendunt Analogias*, inquit, *quòd dicantur Multitudinis nomine* publicae Balneae, *non* Balnea; *contrà quòd* privati *dicant* unum Balineum, *plura* Balinea *non dicant*. Et mox: *Domi suae quisque, ubi lavatur*, Balineum *dixerit*, *eò*, *quòd non erant duo*, Balinea *dicere non consueverunt*. Sed posterior Aetas *Balnea*, & *Balnearia* dixit tàm *privata*, quàm *pubblica Lavacra*, ut constat ex *Horatio*, *Martiale*, *Seneca*, & aliis.

(*ll*) Bal-

(ll) *Balneum* est unius Domus; sed *Balneae*, Poetis Balnea, sunt totius Civitatis, quibus prae est (cum toto *balneari* apparatu, ipsoque *balneario*) *Balneator*.

Balnearius dicitur homo, qui in *Balneo* versatur, ut *balnearius Servus*, & *balnearius Fur*, qui vestimenta eorum, qui lavantur, surripit. Catullus: *(mm)*

O furum optime balneariorum.

Balnearis est res, quae *Balnei* usibus deservit, ut *Balnearis Ampulla, Strigilis, Solea*. Scaevola Digestor.17. L. ult. D. de Aurô arg. *Hoc ampliùs argentum* balneare, *quaesitum est, an etiam id argentum, quo diebus festis in* balneô *uti consuevit, legato cedat*. Haec tamen aliquandò confunduntur, Martianus Instit.7. L.17.D.de Instr. *Dictum est* Balneatorem *sic instrumentô contineri* balneariô, *quomodo instrumento fundi Saltuarium*. Ulpianus ad Edictum 70. L.3. D. de Rivis: *Per quem vapor trahitur in* Balneriis *vaporibus*. Vetus inscriptio: AD LACLM BALNEARIUM.

(mm) Epigr.XXXIV.(& quidem secundùm *Edition.Tuscanellianâ*) vers. 1.

Balteus est fascia militaris, quae ab humeris dependet, *Militis* insigne; *Balteum* verò est cingulum è coriô, ornatum bullis, ad quod alligatur gladius. Virgil. Lib. 12. Aeneid. *(nn)*

- - *Infelix humero cùm apparuit ingens (oo)*
Balteus, *& notis fulserunt cingula bullis.*

Livius Lib.9. *Auratae vaginae, aurata* Baltea *illis erant*. Varro Lib.4. de Linguâ Lat. Balteum, *quod cingulum è corio habebant bullatum*, Balteum *dictum*. Plinius in Libris dubii Sermon. voluit Masculinô Genere *Funiculum* significare; Neutrô verò Genere *Lora ad alligandum apta*, cujus Differentiae *Exempla*, quod sciam, *(pp)* non exstant.

(nn) v.941. seq. Conf. *ejusd.* Lib.5. 313. seq. & Lib.5. v.312. seq.
(oo) *Editio Erythraeiana* pro INGENS, *alto* substituit.
(pp) Videntur tamen *duo* jam citata *Virgiliana loca* sententiae *Plinianae* non prorsùs contradicere.

Barbam hominum, *(qq)* *Barbas* pecudûm dices. *Flav. Clarus.*

(qq) Puer.

(qq) *Puer* est *imberbis*; cùm *pubscit*, fit *barbatulus*, mox *barbatus*. Sed *Barbus* piscis *barbam* habet *geminam*.

Barbara Locutio propriè peregrina est; Sed *Barbarismus* fit etiam in sermonis Latini locutione. (rr) *Corn. Fronto.*

(rr) *Barbarismus* in singulis verbis est. *Soloecismus* in conjunctis.

Bellus (ss) est lepidus, commodus, jucundus. *Formosus*, (tt) qui decorâ specie, & aptâ totius corporis compositione excellit. *Pulcher*, qui est egregiâ facie, aut splendidô ornatu. Ita *Bellus* commendatur venustate, atque elegantiâ, quâ allicere, & delectarè quem vis possit, ut *bella Puella*, *bella Epistola*, *bellum Convivium*. *Formosus* aptâ corporis habitudine. *Pulcher* colore, (uu) vel ornatu, cultuque, ut *pulcher Puer*, *pulchra Vestis*, *Domus*, &c. Confunduntur tamen interdum *posteriora duo*, ut etiam *Forma*, & *Pulchritudo*. Virgil. Ecl.2. (*) v.17.

O formose *Puer, nimium ne crede colori.*

(ss) *Bellus* contractè pro *Benellus* ab antiqu. *Benus*, pro quô hodie *Bonus*, qui idem est, ac *fini suo accommodus*, eleganter dicitur.
(tt) *Formosus* forma praestans est. *Forma* enim bona facit *formosos*; mala *deformeis*, nulla *informeis*.
(uu) Dicitur enim *Pulcher* qs. πολύχροος, h.e. *multicolor*. Ideoque rectissimè cum *Spiritu aspero* scribitur.

Bellum (xx) significat totum hoc tempus, quô manet dissensio hostilis, etiamsi cessetur à conflictu, aut si intercedant Induciae. *Praelium* est, cùm acies utrinque congrediuntur. (yy) Ita *Praelium* est pars *Belli*. Cicero pro Dejotarô: *Non tàm in* Bellis, & Praeliis; *quàm in promissis, & fide firmiorem.* Livius Lib.9. *Quòd* Populus Romanus, *etsi nullo* Bellô, *multis tamen* Praeliis *victus sit*. Svetonius in Augustô: Praelium *quidem ad* Bellum *suscipiendum omninò negabat*. Verrius Flaccus Lib.4. de Verborum Significatione: *Jus* Belli *proximo deindè* Praelio. Aliquandò tamen *Bellum* sumitur pro *Praelio*, Virg. L.2. Aen. (*) v.438. seq.

Heic verò ingentem pugnam, ceu caetera nusquam
Bella *forent.* - - -

Varro Lib. 6. de Linguâ Lat. *Rorarii dicti à rore, qui*

Bellum *committebant antè*. Vegetius de Re militari: *Commisso* Bellô, *prima, & secunda acies stabat immota.*

(*xx*) duorum Populorum armis concertamen est.

(*yy*) Nam ut *Bellum* finiatur, committunt *Praelium*, *praeliarique* pugna *praeliantur*. Sed *Pugna*, & *Certamen* fiunt etiam sine *armis*, nonnunquam *nudis verbis*. Quam *Pugnam* putamus esse *tutissimam*, quòd cutem minimè vulnerat.

Bellator est, qui *Bellum* gerit, vel per quem *Bellum* geritur, *ut Bellator Turnus*, (*zz*) & *Bellator Equus* (*a*) apud Virgilium: *Bellax*, qui *Belli* gerendi studio delectatur: *Bellicosus*, qui in *Bellô* excellit, & fortitudine praestat. (*b*) Cicero pro Vatiniô: *Semper enim habiti sunt* bellicosi.

(*zz*) Lib.12. *Aeneid.* v.614.

(*a*) Lib.2. *Georg.* v.145. & Lib.11. *Aen.* v.89.

(*b*) *Bellicosi* enim Populi, s. *bellatrices* Gentes, sunt *bellatorio* animo, gaudentque *belligerare*.

Belluae sunt magnitudine excellentes Ferae, ut *Elephanti*. (*c*) *Bestiae*, & *Ferae* generaliter appellantur omnes Animantes rationis expertes, sive *naturâ* ferociunt, ut *Leones*, *Tigrides*; sive *mediae* inter Feritatem, & Placiditatem *naturae* sunt, ut *Hirundines*, *Apes*, *Columbae*; sive sunt mansuetae; ut *Equi*, *Canes*, *Oves*, *&c.* *Bestiarum* nomine censentur quoque *Animalia venenata*, quae *Graeci* vocant Θηρία. Cicero Lib.1. de Divinat. *Quae sint animadversa à* Medicis *herbarum genera*, *quae radicum ad morsùs* Bestiarum.

(*c*) *Belluam* vocamus hominem *belluinis* moribus; sed *belluosum* Oceanum, *belluis* marinis plenum.

[*] *Benè vivere*, est vivere honestè, & cum virtute; *Beatè v. vivere*, est vivere quoque jucundè, & feliciter. *Bene vivens* non semper potest *beatè*, hoc est, *jucundè*, atque *feliciter vivere*; sed *beatè vivens* potest, si vult, etiam *benè vivere*.

Bibere est modicè, & ad Naturae necessitatem potum accipere. (*d*) *Potare* est (*e*) affluenter, & ad ebrietatem potione repleri. Ita *bibunt* sobrii, *potant* ebriosi. Plautus in Curculione: (*f*)

- - - Bibite *festivae fores*,
Potate, *fite mihi volentes propitiae.*

Seneca ad Lucilium: *Inter nudos* bibunt, *immò* potant.

Cice-

Cicero in Philippicâ 2. *Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, totos dies* potabatur, *atque id locis pluribus.*

(d) *Bibo bibit* valdè, *Bibulus* saepè, *Bibax* nimis avidè; *Combibones* solent *combibere*, sibi *praebibere*, pocula *ebibere*, & cum *adbiberunt*, jubilare.

(e) largius potionare, r. (f) Act. 1. Sc. 1. v. 88. seq.

Bibliotheca significat locum, vel armarium, in quô *Libri* asservantur. (g) Interdùm etiam ipsos *Libros* denotat; *Libraria* verò est taberna, in quâ venales *Libri* extant. Gellius Lib. 5. (*) c. 4. *Apud Sigillaria fortè in Librariâ ego, & Julius Paulus, Poëta, Vir memoriâ nostrâ doctissimus, consederamus.*

(g) Ideòque idem est, ac *Librorum Repositorium.*

Bini (h) denotat numerum *geminatum*, id est, tot res illarum, quae distribuuntur, singulis competere. *Duo* numerum *simplicem*, id est, duas unitates, ut si dixeris: *Lego Cajo, & Titio* binas *tunicas*, intelligemus unicuique competere *duas* tunicas; at si dixeris, *Lego illis* duas *tunicas*, singulis *una* est legata. Quamquam hoc non semper observant *Poëtae*, & *Bina*, pro *duobus singularibus* accipiunt, ut *Trina*, vel *Terna*, pro *unis tribus*, & similiter *Octona*, *Dena*, *Centena*. Virgil. Lib. 1. Aeneid. (i)

Bina *manu latò crispans hastilia ferro.*

Idem Lib. 8. (k)

Frenaque bina, *meus quae nunc habet aurea Pallas.*

Lucanus: (l)

- - *Centenis venit in arma*
Creta vetus populis. - - -

Praetereà *Bina* jungitur *Nominibus pluraliter tantùm declinatis*, licèt *aliis* etiam jungatur; *Duo* v. *his*, quae habent *Numerum singularem*, ut dicimus *Binas litteras*, *binas Aedes*, *duas Epistolas*, *duas Domos*. Sed & *Bina* dicitur de his, quae conjuncta sunt *locô*, *tempore*, *re*; *Duo* etiam de illis, quae sunt *diversa*, & *separata*, ut *Bini Tabellarii*, qui *simul* veniunt; *Binae Venationes*, quae continuò

E 2 tinuò

tinuò exhibentur;*bina Aedifica*,quae *conjuncta* sunt:quorum omnium Exempla passim occurrunt.

(b) *Bini* sunt *duo pares*, h.e. *duo, & duo* significat; *Duo* vero *unum, & unum* denotat.
(i) v.313. (k) v.168. (l) Lib.3. v.184. seq.

Bonus, (m) & *Probus* differunt. Ille *Virtute*, Hic *Probitate* laudatur. *Virtus* autem propria *Viri* est, à quô nomen *Probitas hominis*. (n) Undè *Bonus* vir *Probus* homo dicitur. Cicero ad Caesar. Probiorem *hominem*, *meliorem virum*, *prudentiorem esse neminem*. *Bonus* est, qui non nocet; *Liberalis*, qui etiam prodest. *Bonus*, qui non peccat in factô; *Liberalis*, qui nec in verbis. *Donat. ad Terent.*

(m) *Bonus*, scribente *Isidoro* Lib.10. *Orig.* col. 237. à *venustate corporis* creditur dictus; posteà & ad *animum* translatum nomen est. Eum a. dicimus *Bonum*, cui non praevalet *malum*, eumque *Optimum*, qui peccat *minimum*. *Benignus* autem est vir *spontè* ad *benè faciendum* paratus, & dulcis *alloquio*. Non a. multum distat *Benignus* à *Bono*, quia & ipse ad *benefaciendum* videtur expositus. Sed in eo differt, quia potest *Bonus* esse, & tristior, & *benè* quidem *facere*, & *praestare*, quod poscitur, non tamen *suavis* esse novit consortio; *Benignus* autem *sua* cunctos novit invitare *dulcedine*.
(n) *Ineptè* itaque legitur in *nonnullis hujus Libri Editionibus* PROBATIS HOMINIS, & in ultima illa Thomae PROBATIS HOMINIBVS, pro *Probitas hominis*.

Bonitas in omnibus *generaliter* rebus est; *Aequanimitas* v. in spectandô. *Bonitas* in probandis his, quae bona sunt; *Aequanimitas* in ignoscendis vitiis, & delictis. (o) (*) *Id. Donat.*

(o) *Aequanimus* enim studet *Aequanimitati animitùs*, estque etiam *unanimis*, & *longanimis*; *Magnanimus* verò nihil timet; *Pusillanimus* omnia, quem facilè *exanimare*, h.e. *semi animem* reddere, queas. Immò & *exanimatur* terrore, ut *exanimis*, *inanimique* similis fiat.

Brevè praeteriti temporis brevitatem indicat; *Brevi*, futuri. Catullus in Epithal. (p)

Vos bonae senibus Viris
Cognitae brevè *Foeminae*.

Gellius: (q) *Fuit* Aeschylus *non* brevè *antiquior* Euripide. Plautus: (r)

- - - - *Posse cum* brevi *fieri divitem*.

Ci-

Cicero Caecinnae: *Nunc autem, ut spero,* brevi *gratulabimur*. Sed & *Brevi* indicat *Brevitatem rei*, & idem est, quod *Breviter*. Cicero de Oratore: *Ac ne plura quidem, quae sunt innumerabilia, consecter, comprehendam* brevi. Idem Lentulo: *Tantùm dicam* brevi. & Curioni: Brevi *tamen sic habeto.*

(*p*) quod in *Editione Scaligeriana* aeque, ac *Tuscanelliana* illa *Basileensi* Epigr. LVII. facit, Stroph. 38. v. 1. seq. Sed tamen hoc notandum est, quòd in *posteriore bacce*, ut & in multis aliis, *Poëtae* verba (dicamus *falsò*) *sic* emendata extent:
Binae in aedibus unius
Cognitae benè *foeminae*, &c.

(*q*) Lib. 13. (non *Lib.* 3. uti in *caeteris omnib. Auctoris* nostri *Editionibus* legere est) c. 17.

(*r*) in Prolog. *Rudent.* v. 55. Nos malimus cum *Taubmanno* ex *utraque Editione* hoc loco *ita* legere.
- - *Potesse ibi fieri cum divitem.*

Brevis opponitur longo, *Minutus*, & *Pusillus* (*s*) magno. Ita *brevis Oratio, Via, Dies, Statura*; *Minutus*, & *Pusillus Homo, Animus*: *Minuta*, aut *pusilla Res*. Varro in Epistolis: *Quòd & pueros* minutos *vides libenter*, & *majores animadvertere non vis*. Idem in Marcipore: *Utri sunt majores pueri*, *hi* pusilli *nigri*. Cicero Lib. 1. de Finib. *Ecce autem mali*, minuti, & *angusti*, & *omnia desperantes*. Idem Sallustio: *Illud verò* pusilli *animi*, *atque ipsa malevolentia* jejuni, *atque inanis*. Et alibi: *Minutis* maculis, *Minutis* interrogatiunculis. *Brevis* in naturâ, *Pusillus* in corpore, ut *brevis Dies*, *pusillus Homo*. Sosip.

(*s*) *Pusillus* enim *propriissimè* idem est, ac *parvus*, *ut Pusio*.

Buccinus ipse canor; sed *Buccina* erit tuba, (*t*) quâ signum dat Buccinator. (*u*) *Fl. Clar. Buccinum* genus Conchyliorum, (*x*) ex quibus purpureus color inducitur. *L.* 70. §. 13. *de Leg.* 3.

(*t*) addamus *aenea flexuosa*, (*u*) In *genere* est *Cornu recurvum*, quod *Venatores*, *Pastores*, *Vigiles*, & alii hujusmodi furfuris homines inflare solent.

(*x*) f. Conchae minoris nomen, *à Buccinae similitudine* sic dictum. Parum enim abest *Figura Ejus* à *nostratibus parvis Buccinis*; nec aliud referre ex *inani Testa externa* possumus, sicuti patet ex *Fabii Columnae Opusc.* de *Purpura* c. 5. p. 24. *Edition. Kilon.*

Bustum dicitur locus, in quô mortuus (*y*) est combustus, & sepultus. (*z*) *Ustrina*, vel *Ustrinum*, ubi combustus *tantummodò*, *alibi* verò est sepultus. Et *Bustum* per consequens est *religiosum non minùs*, quàm *Monumentum*, & *Sepulcrum*. *Ustrinum* neque *conseptum*, neque religiosum est,& interdùm *Monumento* conjunctum,aliquandò *vetitum applicari*, ut testantur *Antiquae Inscriptiones Romae*: HUIC MONUMENTO USTRINAM APPLICARE NON LICET. Varro Lib. 4. de L. L. *Locus de* Busta *Gallica*, *quòd*, *Româ recuperatâ*, *Gallorum ossa*, *qui possederunt Urbem*, *ibi concervata*, *ac consepta*. Svetonius in Nerone: *Denique* Bustum *ejus consepiri*, *nisi humili,levique materiâ neglexit*. Ibidem: *Ad* Monumentorum, Bustorum*que diversoria plebe compulsa*. Interdùm tamen *Bustum* appellatur locus, in quô mortuus crematus, non etiam sepultus est, ut notat Servius in illud Virgilii: (*aa*)

- - - *Semiustaque servant*
Busta - - -

Et Strabo Lib.5. scribit τὴς Καύσεας, id est, *Bustum Augusti* fuisse in *Campô Martiô*, & ab eô diversum *Mausolèum*, in quô cineres conditi.

(*y*) (*prisco gentili more* nempè)
(*z*). De *Combustionis initio*, *causa*, & *quibus illa olim in usu fuerit*, vid. *Joan. Kirchmanni* Lib.1. de *Funerib. Romanor*. c.1.& 2. *Martin. Geieri* c.6. de *Luctu Ebraeor*. §.2. seqq. p.106. seq. *Edition. posterior*. & *Jo. Andr. Quenstedii* c.1. Tractat. de *Sepult. Vett*. p.7.& c.7. p.157. seq.
(*aa*) Quod extat Lib.11. *Aeneid*. v.200. seqq.

Buxus, arbor (*bb*) erit. *Buxum* materia ipsa. *Fl. Clarus*.

(*bb*) vel *potiùs* arbuscula semper virens,ac tonsilis.

C.

C*Aballus* (*cc*) ferè dicitur de magnô, & tardô, ut *clitellariô*, vel *pistrinario*: *Equus* verò de praestanti, & generosô. Lucilius *Lib.2. Satyrar.*

Suc-

Succussatoris tetri, tardique Caballi. *(dd)*

Pomponius ad Sabinum 6. L.15. D. de Instr. Caballi, *qui in pistrinis essent.*

(cc) dictus à καβάλλειν, quod idem est, ac *onera injicere, ejus* ap. *dorso.*

(dd) *Nonium* in CABALLVS hunc *Versum* ex Lucilii Lib.2. *Satyrar*, at in SVCCVSSATOR ex L.4. attulisse, *Henr. Stephanus* in *Expositione huj. loc.* p.153. diligenter annotavit.

Cadit etiam in planô; *(ee)* sed *Decidit* ex altô. *Corn. Fronto.*

(ee) *Cadere* enim *propriè* est corruere, vel praecipitari, vel labi; *Tropicè* verò pro debilitari, frangi, opprimi, perire, aut non rectè rem gerere ap. *Ciceron.* passim usurpatur. Sic omnia, quae ab *ordine*, & *constantia* vacillant, aut degenerant, *cadere* quoque dicuntur, observante *Barthio* in Animadv. ad *Claudiani* v. CCLXXIII. L.III. de *Rapt. Proserp.* p.444. *Cadere* lasciviore intellectu à *Plauto* in *Persa* Act.4. Sc.4. v.104. usurpatum *Janus Dousa Par.* Lib.4. *Centurionatus*, s. *Plautinar. Explanation.* c.11. p.348. docet. Conf. *Taubm.* in praed. *Plauti* loc. p.1157.

Caelatura est in Aurô, Argentô, Aere, Ferrô; *(ff) Scalptura* autem praeter haec ipsa etiam Lignum, Ebur, Marmor, Vitrum, ac Gemmas complectitur, auctore Quintilianô Lib.2. Plinius Lib.35. *Plasticen matrem esse Statuariae, Scalpturaeque, &* Caelaturae. Similiter *Caelatum* est, quod in Aurô, Argentô, Aere, ac Ferrô elaboratum haeret, & aliquâ parte prominet: *Scalptum* verò est, quod ex his ipsis, & ex Lignô praetereà, Ebore, Vitrô, Gemmis, vel solidum, integrumque corpus extat, ut *Statua*, vel in imò depressum dimidiatam effigiem exprimit, ut *Sigillum*. Quanquam *Caelatum* latiùs interdùm accipitur, ut de *ligneo Poculo*. Ita enim *Virgilius* (*) *Eccl.* v.37.

- - Caelatum *Divini opus Alcimedontis.*

(ff) Caelator enim *caelat caelo* varias *caelaturas*; etiam *caelata* Pocula.

Caerulus Naturae color est, *Caruleus* Naturam fingit. Alterum *est*, alterum *fit*, ut tradit *Fronto*; cùm tamen haec ut plurimùm confundantur, apud *Poetas* maximè, ut quod Ennius *(gg)* dixit:

Caeruleum *spumat sale confertâ rate pulsum.*

Hoc Catullus: *(hh)*

Caerula *verrentes abiegnis aequora palmis*,

Et Virgilius: *(ii)*

- - - - - - Caerula *concha*

Exterrens freta. - - -

(gg) Lib. 14. *Annal.* & citat hunc Versum quoque *Gellius* Lib. 2. cap. 26. ubi pro *sale* ineptè *Mare* substituit.

(hh) *in Argonautic.* quod secundum *Editionem Tuscanelliano-Hanoviensem* est Epigr. LXV. v. 7.

(ii) Lib. 10. *Aeneid.* v. 209. seq.

Caligarius est, qui *caligas* (kk) conficit; *Caligaris* aptus ad *caligas*. Ita dicitur *caligarius Artifex*, *Clavus caligaris*, auctore Carisiô. Quae tamen *Differentia* non (*) *semper* observatur, & sine discrimine his utuntur Auctores, ut Plinius L. 10. *Squamis conspicui crebris, atque praeacutis, clavorum* caligariorum *effigie*, & Lib. 22. *Si enim* caligaris clavus.

(kk) *Caliga* olim erat *tegumentum pedum militare*, nunc pro *femoralibus* utimur, dicta qs. *colliga*, à *colligando*, *Caligas* enim *colligamus caligulari* ligula, ut incedamus *caligati*.

Calumnia est (ll) callida quaedam fallendi ratio, cùm *Malevolentiâ* conjuncta. (mm) *Cavillatio* est frivola, atque jocosa calumniatio. (nn) *Dicacitas* est sermo mordax cum sale, & risu alios incessens. Ita *Calumnia* maligna est, *Cavillatio* frivola, *Dicacitas* falsa. Cicero Lib. 2. de Orat. *Cùm duo sint facetiarum genera*, alterum *aequaliter in omni sermone fusum*, alterum *peracutum, & brevè; superior* Cavillatio, *altera* Dicacitas *nominata est*. Idem Lib. 1. Offic. *Existunt injuriae saepè calumniâ quâdam, & nimis callidâ, & malitiosâ Juris interpretatione*. & Lib. 4. ad Atticum: *Metellus* calumniâ *dicendi tempus exemit*. Svetonius in Vespasianô: *Et maximè tamen* Dicacitatem *in deformibus lucris affectabat, ut* Invidiam *aliquâ* Cavillatione *dilueret, transferretque ad Sales*. Sed *Calumnia* propriè est *Accusatorum*, & significat falsum crimen, quod intenditur in Judiciô adversus innocentem, ut litibus vexetur, ac frustretur.

Un-

Undè *Calumniam inferre* (oo) dicitur, qui per fraudem aliquem reum defert: & *Calumniam jurare*, vel, *de Calumnia jurare*, est juramentô profiteri se accusatorem, & non vexandi Adversarii, sed Juris persequendi gratiâ actionem instituisse. Coelius Ciceroni: Calumniam *maximô plausu tulisse*. Id. eid. *Cùm* calumniam *jurasset*, *contendere ausus non est*.

(ll) dolus malus, & injuria, quae existit ex malitiosa, & callida interpretatione, *f.* est.

(mm) Alii malitiosè de aliquo sparsum Sermonem *propriissimè* nuncupant.

(nn) Ciceroni genus est facetiarum, quod mentiendo *imprimis* fit.

(oo) In *Editione* illa *Hampeliano-Marburgensi quarta*, CALVMNIA FERE, & in *Gissensib. nonnullis* CALVMNIAM FERE, pro *Calumniam inferre*, nequaquam doctè legitur. Quod vitium potiùs *illorum negligentiae*, *qui* Librum huncce *de novo imprimi curarunt*, quàm *Auctoris ignorantiae* est adscribendum.

Camelus (*pp*) pecus est, quod Jumentorum usum praestat, ejusque fera natura est. Lib. 2. §. 1. ff. ad L. Aquil. *Camelum* (*qq*) est funis ancorarius. *Camela* (*rr*) poculi, (*) f. *vasis* genus, quô in *Fastis* uti solebant. (*ʃʃ*)

(pp) Aliis est Jumentum grande, & gibbosum, quod onus excepturum ingeniculat. Et *quamvis* sit *generis Epicoeni*, reperitur tamen. *Valla* attestante, qui *Camelos foetas* legisse asseverat, nonnunquam *Foeminino Genere* adjunctum.

(qq) etiam in hoc sensu non *Neutrum*, sed quoque *Masculinum* est, & describitur, quod sit, *funis nauticus*, *& crassus*, *cui ancora alligatur*, à similitudine *Cameli*, *Animantis tortuosi*, ita nuncupatus.

(*rr*) Scriptura per *unum* L. est vitiosa, probante *Pollucis* Σκαμιλλ. Dicitur & *Camillus* eodem significatu; sed alio *Puerum ingenuum patrimum*, *matrimumque*, *qui* Camellam, *quam* Parens *mittere solebat*, *in nuptiis* Sponsae *cum Mundo*, *& Jocalibus laetans offerebat*.

(ʃʃ) De ea canit *Ovidius* Lib. 4. *Fastor*. v. 777. seq.

Dum licet, *apposita*, *veluti cratere*, Camella,
Lac niveum potes, *purpureamque sapam*.

Camuri sunt *Boves*, qui conversa *introrsùm* cornua habent. *Patuli*, (*tt*) qui cornua *diversa* habent, quorumque cornua *terram* spectant. His contraria *Licini*, qui *sursum versum* cornua (*uu*) habent. *Servius*.

(*tt*) Vid. quae ad *Vers. CLXXXIIX. Vitae Virgilianae* à *Mich. Barthio* eruditè descriptae p. 26. *Edition. Cygn.* breviter annotavimus.

(uu) addamus reflexa.

Cancellare literas est eas (xx) transversis *cancellis*, sive li-

lineis, quasi inducere; *Expungere* verò est easdem illinere, vel delere. *Rubr. & L.1. pr. §.1. ff. de his, quae in Test. del.*

(xx) *cancellatim* dispungere.

Cano voce; *Psallo* fidibus pariter, & cantu. (yy) Cicero Orat.2. Catilinar. *Pueri tàm lepidi, ac delicati non solùm amare, & amari, neque* cantare, *&* Psallere, *sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt*. Sveton. in Titô: *Ne Musicae quidem rudis, ut qui* cantaret, *&* psalleret *jucundè scienterque*. Gellius L.19. (*) c.9. *Desideravit* (sc. Antonius Julianus, Rhetor,) *exhiberi, quos habere cum adolescentem sciebat scitissimos utriusque sexûs, qui* canerent *vocè, & qui* psallerent. Arnob. L.3. *In coelô n.* cantatur, *&* psallitur. Spartianus in Hadrianô: Psallendi, *&* cantandi *scientiam prae se ferebat*.

(yy) *Canere quatuor vocibus*, Ciceroni est *Symphonia*, vel *Symphoniacè* canere. Sed *canere receptui*, est signum dare Militibus *tuba*, aut *tympano*, ut recipiant se è praelio in castra.

[*] *Cantus* est modulatio Carminis, *hoc est*, ipsa actio, *Carmen*, quod compositum est. Sed *Cantilia*, *Doleto* notante, à *Latinis* ponitur pro Sermone dissipato, aut saepius usurpato; sed eo tamen ridiculo, & inani, qui vel *publicus* esse potest, vel inter *privatos*. De *Cantionibus amatoriis* vid. *Friderici Lindenbrogii* Observationes in *Vers.32. Sc.7. Act.4. Adelph. Terent.* p.618. col.1.

Capillus, (zz) est coma paulò longior, ut *muliebris*, (a) & *virilis* etiam, cum promittitur. *Crinis* est brevis, & innexus, discretusque vittis. Undè dictus ἀπὸ τῦ κρίνειν à *discretione*, quòd *vittis* discernatur, auctore Festô, & Isidorô. (b) Varro Lib.1. de Vitâ Populi Rom. *Majores natu capite apertô erant*, capillô *pexò, vittisque innexis* crinibus. Tertullianus de Virginibus velandis: *Vertunt* capillum, *& acu lasciviore* comam *sibi inferunt*, crinibus *à fronte divisis, apertam professae mulierositatem.*

(zz) non quemlibet *Pilum*, sed *Capitis* imprimis, *propriè* significat. Nam *Barbae Capillus* non est.

(a) Mulieres integunt *capillos* suos *capillari*. Viri quidam non satis *capillati* ementiuntur *Capillitium capillamento*.

(b) Sed *Coma* sunt Capilli cum cura compositi. Qui *Comam* gestat, necesse habet, eam *comere*, ut *comtus* sit; nimius tamen *comtus* dedecet Viros.

Ca-

Capio (c) id, cujus Dominium acquisivi. *Accipio* id, quod teneor restituere. *Illud* fit propriâ auctoritate, *Hoc* ex voluntate alterius. Ulpianus ad Edictum 49. L.71. D.de Verb.Sign.Capere *cum effectu accipitur*; Accipere *v. si quis non sic* accipit, *ut habeat*. *Ideoque non videtur*, *quis* capere, *quod est restituturus*. Idem Lib.20. *Ut Legatarii caeterique, qui quid in Testamentô* acceperunt, *careant his, quae sibi relicta sunt*. Paulus ad Edictum 1. L.5.D.de Damnô inf. *Ut missus est in possessionem, etiam eam per longi temporis spatium in suum Dominium* capere *possit*. Illud *juris* est, Hoc *facti*.

(c) *Capio*, approbante *Valla*, interdùm habet *reciprocum* quendam usum, ut in *eodem sensu* nunc uni, & eidem *actio*, nunc *passio* attribuatur. *Cepi voluptatem, & voluptas cepit me* idem significaut. Fit a... ista *reciprocatio* in paucis activè, ut in *hoc exemplo habito*: Sed in nonnullis *passivè*, ut *cepi delectationem, & captus sum delectatione*. Quandò verò *capio* significat PASSIVE *Delectari*, ferè non resolvitur per *Activum*; ut *captus sum*, vel *capior Amore, Dulcedine, Specie tua, Specie bonorum*, id est, *delector*. Non *Amor*, vel *Dulcedo*, *me cepit*. Quandò autem non significatur *Delectatio quaedam*, ferè *active* utimur, non *passivè*. Sic *capio Dolorem, cepi Molestiam*, & *Larem* dicitur; it. *Cepit me Taedium, Oblivio, & Odium*; at non *cepi Odium*.

Capi interdùm significat fraudari; (*d*) *Decipi* v.ludificari. (*e*) Undè *Captus* semper sentit damnum, vel incommodum. (*f*) *Deceptus* aliquandò utilitatem. *Illi* dolus malus, & fallacia tenditur. *Huic* adhibetur bonus dolus, & solertia, ut cùm *Medici* aegrotantes, *Nutrices* infantulos decipiunt, & illudunt falsâ quâdam specie *cibi, potionisque*. Lucretius Lib.1. (*) v.937. seqq.

Sed veluti Pueris *absinthia terra medentes*
Cùm dare conantur, prius oras (*g*) *pocula circum*
Contingunt mellis dulci, flavôque liquore:
Ut Puerorum *aetas improvida ludificetur*
Labrorum tenus, intereà perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque *non* capiatur;
Sed potiùs tali factô recreata valescat.

Horatius Lib.2. Carmin. (*h*)

(*) Quin, & *Prometheus*, & *Pelopis* parens,
Dulci laborum decipitur sonô,

id

id est, obliviscitur laborum, & abducitur, ut non sentiat.

(d) interdùm etiam *propitiari*. Ita enim *Lucretius* Lib.2. v.655.
Nec benè pro meritis capitur, *nec tangitur ira*.
(e) f. *verbo, factove capi*. *Deceptor* enim aliquem cùm *decipit*, agit eum in *decipulam* astuta *deceptione*.
(f) Sic *mente captus* minimè potest *capere captiones captiosorum*.
(g) In omnibus, quas evolvimus, *Popmae* Editionibus, pro ORAS, iniquè *Ora* est positum.
(h) Od.XIII. Stroph.ult. v.1. seq.

Capitalis Poena est, (i) quae caput vel *naturale*, vel *civile*, aufert. (k) *Poena sanguinis*, quae tantùm caput *naturale*.

(i) qua capite plectimur, seu (k) Sic *capitalis Hostis*, vel *capitale Odium*, qui vel quod, *caput*, hoc est, *vitae exitium*, petit.

Carcer masculini Generis non nisi *singulariter* dicitur, in quô homines coërcentur; *pluraliter* v. *Carceres*, undè currus effunduntur. (l) *Fl.Clarus*. Virgilius (m) tamen etiam in *singulari* utitur:

- - - *ruuntque effusi* carcere *currûs*.

(l) *Carcer* coërcet *delinquentes* sub custodia *Carcerarii*. Sed *Carceres* serviunt *Cursoribus*.
(m) Lib.5. *Aeneid*. vers.145.
[*] *Caritas* est pretii; *Inopia* verò paucitatis. Potest enim *Annona copiosa*, & tamen *cara* esse. Res *carae* venduntur *carè*, faciuntque *caritatem*.
[*] *Castrum* in *Singulari* est Domus, muro, aut vallo, aut fossis munita. *Castra* in *plurali* est locus, ubi manet exercitus, & sua fixit tentoria. *Castrum*, f. *Castellum*, praemunitur *procestriis* sub custodia *Castellani*. Sed *Castra* ponuntur in campo *castrensi* arte.

Castus est purus atque integer, & non modò à *Luxuriâ*, sed etiam ab *Avaritiâ*, & *Sordibus* alienus; *Pudicus* verò est, qui se continet à *Libidine*, & *Voluptatibus corporis*: sicut *Castitas* est Sanctimonia quaedam, & integritas morum, à *Turpitudine*, & *Sordibus* abhorrens. (n) *Pudicitia*, (o) est Continentia à *Libidine*. Itaque plus est *Castus*, & *Castitas*, quàm *Pudicus*, & *Pudicitia*. Cicero pro Flaccô: *Equitem Romanum*, castissimum *hominem atque integerrimum*. Virg. Lib. 2. Georg. (*) v. 524.

Casta Pudicitiam *servat domus*. - - -

La-

Lactantius: *Difficile est imponere frenos Voluptati, eamque vagam, & errantem* Castitatis Pudicitiae*que limitibus includere.*

(*n*) Sed *Castula* est vestis; qua membra *castè* (in *balneo* praesertim) custodienda velantur.

(*o*) *propriè* idem est, ac ob *Turpitudinem Erubescentia. Pudibundus* enim, cùm vel alios videat *impudenter* agere, illum sua *Pudicitia* mox *Pudore* suffundit. E contrario *Impudens*, quia semel *depuduit*, tantâ *Impudentia* est, ut nunquam *pudefiat.*

Cavere, est sibi prospicere (*p*) quocunque modô, & ratione. *Vitare*, est declinare corpore, & effugere ea, quae nocitura videantur, ut solent *Gladiatores* declinatione corporis *Adversariorum* petitiones vitare, & excedere. (*q*) Itaque generalius est *Cavere*. Lucilius Lib. 26. Satyrarum.

Quid tibi vitandum *censes, quid* cavendum *maxime.*

Plautus in Stichô: (*r*)

Qui potest Mulieres vitare, vitet; *ut quotidiè*
Pridiè caveat, *ne faciat, quod se pigeat postridiè.*

Cicero Orat. 3. in Verrem: *Nam eum, qui palam est Adversarius, facilè* cavendô vitare *possis*. Seneca ad Lucilium: *Nocituram potentiam* vitat, *hoc primum* cavens, *ne* vitare *videatur*. Confunduntur nihilominùs *interdùm*, ut quod Plautus in Curculione: (*s*)

Proindè se domi contineant, vitent *infortunia.*

Petronius hunc in modum loquitur: (*t*) *Ponere jussit arma, & malô* cavere.

(*p*) addamus *à periculo.* (*q*) *Cavemus* antè pericula, *Effugimus* ipsis ex periculis. Idcircò nostrum calculum meritò illis adjicimus, qui dicunt, *Cavere, & Effugere* h. l. *specialiora* esse; *Evitare* verò (immò, & simplex *Vitare*) *generale*, & utrique inservire tempori. *Evitamus* enim *incumbentia* aequè, ac *praesentia.*

(*r*) Act. 1. Sc. 2. v. 64. seq. (*s*) Act. 2. Sc. 3. v. 19.

(*t*) in *Satyrico* p. 45. *Edition. Bourdelotianae.*

Caupona, (*u*) est taberna, in quâ ad victum necessaria parantur, distrahunturque; (*x*) *Taberna* verò est, in quâ cibaria, vel etiam merces venduntur, ut *Taberna cauponia, vinaria, argentaria, purpuraria,* & *similes*. Ita omnis *Caupona* est *Taberna*, sed non *contrà.*

(*u*) primò dicta *Copona*, (vid. *Perotti* Cornucop. *Epigr. IV.* col. 460. lin. 12.) (*x*) *Gram-*

(x) *Grammatici* pro *Muliere ipsa*, quae *Tabernae* praeest, etiam poni tradunt, sicut *Copo*, vel *Caupo*, ipse *Tabernarius* est.

Causa, & *Res* saepè junguntur, quae ita differunt, ut *Totum*, & *Pars*. Nam RES *totum Negotium* significat; CAUSA v. *Negotii Pars* est, quae praecipuè agitur: (y) ut *Res* est: *Clodius occisus*, *Rex Alexandrinus restituendus*: *Causa Milo*, ejus *necis auctor*, *Lentulus restitutionem Regis ambiens*. Cicero pro Caecinnâ: *Multa, quae sunt in* Re, *quia remota sunt à* Causâ, *praetermittam*. Idem ad Lentul. *Quid* Res, *quid* Causâ, *quid Tempus ferat*; & ad Curionem: *Nunc tibi totam* Rem *atque* Causam *commendo*. Livius Lib. I. *Quarum* Rerum, *Litium*, Causarum, &c. Jurisconsulti *haec Vocabula* plerumque *indifferenter* usurpant, & *ob Causam*, *ob Rem datam* promiscuè dicunt, ut ex *ipsorum Responsis* liquet *in Titulô de* Condictione *Causâ datâ*.

(y) Nihil enim fit sine *Causa*. Sed *Causam*, cujus *causa* litigatur, defendit *Causidicus*, dùm *excusat*, quem alter *accusat*.

Causa docet factum, *Ratio* (z) solvit obscura. *Corn. Fronto*.

(z) Quae h. l. idem est, ac vis cogitandi causis innexa.

Cautio (aa) significat nudam promissionem, cùm verbis tantùm, aut Chirôgraphô, securitas Creditori praestatur. *Satisdatio* fidejussoris idonei dationem; licèt aliquandò *Cautio* accipiatur pro *Satisdatione*, quandò nimirùm *Lex* exigit *Cautionem idoneam*, vel *rectam*, tunc n. fidejussoribus, aut pignoribus cavendum est, & *Satisdationis* nomine nuda *Cautio* intelligitur, si hôc contentus fuerit is, cui *Satisdatio* debebatur, ut est in *Libris Jurisconsultorum* L. 59. §. *ult.* D. Mand. L. 61. *D. de* Verb. Sign.

(aa) quae aliàs *activè*, & *passivè* sumitur, *Ciceroni* est *Prudentia*, atque *Diligentia*. Indè *Cautionem habere* ap. *eundem* RES dicitur, vel in *qua cautioni* relictus est locus, vel in *qua* multa *cavenda* sunt. Quae significatio, si quibusdam fortè videatur *passiva*, equidem nihil repugnamus; *activus* tamen *effectus* est.

Cedere actiones est easdem transferre; *L. f. in pr. C. de Jur. Dot. Mandare* v. absque translatione committere (bb) *L. 3. C. de Novat.*

(bb) Sic

(*bb*) Sic *Actionem eximere* JUDEX dicitur ab *Ulpiano*, cum per dilationem ejus effectum est, ut jam agi lege non possit. Id quod eodem modo dictum est, quo *Eximere Diem*, vel *Diem tollere*, dicimus. Appellatur quoque *Actio exemta*, cùm jam desiit agi posse. Huic contrarium est *Actionem restituere*. *Actio* a. iis *restituitur*, qui *formulis ceciderunt*, aut *captiunculis forensibus circumscripti*, aut *inconsulta Simplicitate lapsi* sunt, aut *culpa Advocatorum*, aut *Cognitorum injuria*, aut *conniventia gratiosa*, aut *sordida*, aut alias *collusoria culpa*, in fraudem peremtae litis, aut desertae, *inciderunt*.

Cedit dies debiti, quandò pecunia debetur, licèt nondùm exigi possit. *Venit dies*, quandò non tantùm debetur, sed etiam peti, & exigi potest. *Goedd. ad L.* 213. *de* V.S.

[*] *Cedo tibi* idem est, ac *do locum tibi*, & habet in Praeterito *cessi*, & in Supino *cessum*, sed *Caedo te* idem est, ac *flagello*, & *violenter vulnero*, vel *occido te*, & habet in Praeterito *cecidi*, in Supino *caesum*.

Celare est tegere, & abscondere, (*cc*) *Caelare* (*dd*) verò, insculpere.

(*cc*) seu, ne quid resciatur, curare. *Celamus* enim, quod volumus *occultum* habere.

(*dd*) *Caelat Caelator coelo*, h.e. *caelandi* instrumento, quod aliàs *castrum* dicitur, varias *caelaturas*, etiam *caelata* pocula.

Cellarium est paucorum dierum. Undè & in *cellâ* dicitur *importatum Frumentum*; *Penus* verò longi temporis. (*ee*) *Servius*.

(*ee*) Quicquid enim *longae usionis gratia* reconditur, ex eo, quod non in *promtu* est, sed *intùs*, & *penitùs* habetur, & locus ipse dicitur *Penus*. Conf. *Perotti* Cornucop. *Epigr. I.* col. 72. lin. 43. seqq.

[*] *Censor* est, qui *Censuram*, h. e. qui *Magistratum talem* gerit. *Censet* enim facultates Civium justa *censione* pro colligendo publico *censu*. Vid. sup. p. 56. *Censorius* verò, qui *Censor* fuit. HIC *tempus praeteritum* respicit, ILLE *praesenti* inservit.

Cernere plus est, quàm *Videre*. Nam *Cernere* est formas, atque imagines rerum visu internoscere; (*ff*) *Videre* est radios oculorum in res ipsas emittere, vel aciem oculorum aliquo intendere. Plin. Lib. 11. *Animô autem videmus, animô* cernimus: *oculi, ceu vasa quaedam, visibilem ejus partem accipiunt, atque transmittunt.* Gellius Lib. 5. (*) c. 16. *De* videndi *ratione*, *deque* cernendi *naturâ diversas esse opiniones* Philosophorum *animadvertimus*. Cicero ad Plancum. *Sic enim* vidi *quasi ea, quae oculis* cernuntur. Usus tamen haec *confundit*, & *promiscuè* usurpantur.

(*ff*) s.

(*ff*) f. discriminare. *Propriè* v. est *evidenter separare*, & in *specie inutilia à frumentis separare*. Sed si ad *animum* convertitur, *animadvertere*, atque *attendere* denotat.

Certatio est velitatio, atque congressio levis, & plerumque ex provocatione, ut *Certationes Xysticorum* apud Svetonium; (*gg*) *Certamen* verò est conflictus inter duos pluresvè, vel contentio gravis, & seria. Terent. in Adelphis: (*hh*)

- - - - *Nunquam vidi iniquiùs*
Certationem *comparatam, quam haec hodiè inter nos fuit*.

Ubi *Donatus* haec ita distinguit: *Certamen* (inquiens) est res ipsa, de quâ certatur, veluti *uter Columbam feriat sagittâ, uter prior decurrat ad metas*. *Certatio* est ipse actus contentioque certantium. *Certatio* secundum *Cornel. Frontonem* est administrantium, *Certamen* operis.

(*gg*) in *Augusto* c. 45. (*hh*) Act. 2. Sc. 2. v. 3. seq.

Certum recipit praepositionem, & fit incertum, certumque vel pondus, vel rei pretium. (*ii*) *Verum* opponitur falso. (*kk*) *Corn. Fronto*.

(*ii*) Sed *certus homo* ut plurimùm *passivè* nuncupatur, estque ille, quem *Barbari* vocant *Expressum Hominem*. Eum autem sic interpretantur, ut *Certus Homo* sit *consultò*, & *necessariò missus*, vel *cui rectè tutoque aliquid committere*, *tradereque possumus*, ut in literis dandis, negotioque imponendo. Et *hoc in sensu* utitur *Virgilius* Lib. I. *Aeneid.* v. 576. seq.

- - - *Equidem per littora* Certos
Dimittam, & Libyae *lustrare extrema jubebo*.

Vel *certus Homo*, est *homo ita notus*, *ut nominatim possit designari*.

(*kk*) Sic *verus Amicus* demonstrat *veritatem Amicitiae verò* amore, estque *verax*, cogitat, & loquitur de *Amico veraciter*. NB.

Cervix, cum Numerô *singulari* dicitur, Collum, (*ll*) significamus; (*mm*) si *plurali*, Superbiam ostendimus, ut Cicero in Verr. *Frange* Cervices.

(*ll*) in *specie* a. *posteriorem* ejus *partem*, in qua nervi.
(*mm*) Sed *Jugulus* (*non Jugulum*) *anterior pars colli* est, undè halitus exit.

Cessat, (*nn*) desidiosus; *Requiescit*, (*oo*) fessus. (*pp*) *Donatus*.

(*nn*) h.e. nihil agit, f. vacat. (*oo*) h.e. quietem capit.
(*pp*) *Hoc* in *bonam*; *illud* v. in *malam* partem accipitur.
[+] *Cestus* sine *Diphthongo* est balteus Veneris; in *specie* v. notat acupictum Cingulum, qualia olim *Virgines* gestabant. *Caestus*, cum

Di-

Diphthongo, est genus clavae, pilas plumbeas loris bubulis appensas habens. Et hoc digladiabantur Veteres quondam. Ita enim *Virgilius* Lib.3. *Georg.* v.19. seq.

Cuncta mihi Alphëum linquens, lucosque Molorchi
Cursibus, & duro decertet Graecia caestu.

Servius dicit, *posteriorem hanc vocem* esse singularis Numeri *tantùm*; *priorem* a. *etiam* pluralem habere.

Charta est materia lineâ expolita ad usum scribendi, (qq) *Papyrus*, undè *Charta* olim praeparabatur, ut hodiè ex *panniculis lineis*, *cannabinisque consertis*, & *maceratis*. *Membrana* verò est tenuior animalium pellis, quae derasis pilis *Chartae* usum praestat. Lucanus Lib.4. (*) v.136.

Conseritur bibulâ Memphitis cymba (rr) papyrô. (ſſ) Ulp. ad Sabin. 24. *Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in* Chartâ, *sive in* Membranâ *sint*, *sive in quavis alia materia*. Et paulô post: Chartis *legatis neque* Papyrum *ad* Chartas *paratum*, *neque* Chartae *nondum perfectae continebuntur*. Hodiè tamen *Chartam* vulgò vocamus *Papyrum*.

(qq) s. Membrana scriptoria ex quacunque materia.

(rr) *Cymba* h.l. pro CHARTA, quod in *omnibus*, quas perlustravimus, *Popmae Editionibus*, ubi & in hoc Versu pro *Conseritur*, CONFICITVR *non adeò commodè* extat, est reperire, convenientiùs legitur in *utraque Editione Gryphiano-Lugdunensi* non solùm, sed & in iis, quas *Georg. Albinius*, *Cosminensis*, cum Scholiis *Nicolai Chappusoti*, & *Ludovici Tibaust* Cracoviae Anno CHR. M.D.XXXIII. literis *Scharffenbergianis* in 8ς. it. *Simon. Colinaeus* Parisiis M.D.XLIII. in 12.m. *Gualt. Fabricius* Colon. Agrippinae M.D.LX. in 8ς. *Jacob Stoer* cum Notis, & Argumentis *Jo. Sulpicii Verviani*, M.DC.V. in 12. m. atque *Thom. Farnabius*, adjectis *Hugonis Grotii* Notis, Amstelod. M.DC.LXV. in 12. maj. satis diligenter imprimi jusserunt.

(ſſ) *Papyrus* h.l. (& quidem secundum *Farnab.* in *Notis marginalib.* ad hunc loc.) est frutex palustris, undè Aegyptii *Navigia* contexunt, sicuti ex libro ejus *Vela*, *Tegetes*, *Funeis*, *Vesteis*, & similia.

Chilones dicuntur homines labiis crassioribus, (tt) à *Graeco* χεῖλη. *Cilones* autem, quorum capita oblonga, & angusta sunt, (uu) quô *Graeci* interpretantur Προκεφάλους. Undè JUNIUS *Cilo* nominatur à *Tacitô* Lib.12. Annal. & FABIUS *Cilo* ab *Ulpianô* in Librô de *Officiô Praefecti Urbis*. *Declamator* in Sallustium, (*) (qui est ipse *Cicero*) pro hominibus nequam, improbisque acce-

pit. *Quicquid* (inquiens) *Impudicorum*, Cilonum, (xx) *Parricidarum, Sacrilegorum, Debitorum in tota urbe fuit.*

(tt) ſ. qui labra prominula, ſive prominentia habent, & ob id *Labeones*, aut *Labieni*, à noſtris dici poſſunt.

(uu) vel quibus frons in medio eminet.

(xx) Hanc Vocem *duplici* LL. h. l. rectiùs ſcribendam eſſe *Petr. Crinitus* Lib. 7. de *Hon. Diſcipl.* c. 8. diligenter obſervavit, quandò ſcribit: Quòd cùm Cicero *Criſpum Salluſtium* in gregem CILLONVM, *Sacrilegorum*, atque *impudicorum* connumeraſſet, nihil aliud intellexiſſet, quàm *Cinaedum hominem, ac turpiter ceventem*, h. e. *poſteriora moventem, Canum murium prurientium inſtar*. *Cillere* enim apud Veteres *motitare*, atque *agitare* erat. Vndè *Cillones* dicti, qui *Pudore vendito ceventes ſe effoeminant*. Ex quo apparet, quòd *Locus hicce* nequaquam huc *commodè* trahendus ſit.

Chirographum eſt privata Scriptura manu cujuſque ſubſcripta; (yy) *Syngraphum*, quod ſimul plures ſubſcripſerunt. (zz) In *illô* tantùm, quae geſta ſunt, continentur; In *Hôc* etiam *Pactiones* veniunt, ut in elegantiſſimô illô *Singraphô* ap. *Plautum* in *Aſinaria* (a) inter *Adoleſcentem*, *Amicam*, & *Lenam* plurimae Leges dictae in viginti minarum donatione referuntur. Svetonius in Auguſtô: *Cujus Pacti non dubitavit à quibuſdam Jusjurandum, à quibuſdam* Syngraphum *petere*. Ibidem: *Nihil aequè elaboravit, quàm ut imitarentur* Chirographum *ſuum*.

(yy) ſ. ſcripta manu propria.

(zz) Haec *duo Vocabula* parùm *inter ſe* differre, *Marius Nizolius*, *Brixellenſis*, adductis quibuſdam ex *Operib. Ciceronianis* exemplis, col. 1982. Editon. *Hervagiano-Baſileenſis* An. CHR. M. D. LXVIII. *impr.* omninò prudens comprobat.

(a) Act. 1. Sc. 3. v. 77. ſeq.

Cibus (b) dicitur de quôcunque alimoniô delicatô, aut vili. (c) *Victus*, de tenui, & aridô. Et *Cibus* eſt Eſca, quae *ore* manducatur; ſed *Victûs* nomine etiam *Potus* continetur. Liv. L. 2. *Fame jam ſe, ſicut hoſtes, peti*, Cibô *Victuque fraudari*. Gellius Lib. 5. (*) cap. 6. *Quoniam* Cibus, Victus*que antiquiſſimus Quercus* (d) *capi ſolitus ſit*. Juriſconſulti, hoc ampliùs (*) *ſumentes*, *Victûs* appellatione intelligunt omnia, quae eſui, potui, cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini neceſſaria ſunt, ut *Veſtimenta*, *Stramenta*, & caetera, quibus tegen-

gendi,curandivè corporis nostri causâ utimur, ut auctor est Ulpianus. Sed alii Auctores *Victum*, & *Vestitum* separant. Cicero pro Sestiô: *Vivus, ut ajunt, & videns cum* Victu *suô, ac* Vestitu *publicatus est*. Idem pro Quintiô: Victus, Vestitus*que necessarius est, sub Praecone cum dedecore subjectus est*.

(*b*) est esca qualiscunque, s. (*c*) Sic delicati *cibi*, variaque *Cibaria* serviunt *cibatui* Divitum; Pauperes *cibantur cibario* pane, dummodò suppetat.

(*d*) Editio *Tornaesiano-Parisiensis* legit *Quernus*; *vetustiores* autem, ut & *nonnullae recentiores* non inepte *Querceus*.

Circiter (*e*) ad Numerum refertur, *Circum* ad Locum, (*f*) *Circa* ad Tempus, quod est. Ergò dicemus, *circumiisse* Muros, non *circaiisse*. *Fl.Clarus*.

(*e*) *Circiter* non solùm ad *Numerum*, sed etiam ad *Locum*, atque *Tempus* commodè referri posse, *Grammatici* nonnulli exemplis demonstrarunt.

(*f*) Ideòque describitur, quòd sit *Nota Situs rei, rem aliam undique ambientis*.

Circumpedes sunt (*g*) obsequia Servorum, *Antipedes* Amicorum. *Agraetius*.

(*g*) Servi à pedibus, s. ipsi.

Circumspicimus praesentia, *Prospicimus* (*h*) futura. *Donatus*.

(*h*) Est enim *Prospicere* PROPRIE aliquid eminùs aspicere; in *specie* v. futurum aliquid praevidere.

(*) *Circumstare* est circumdare; *Circumsistere* verò est undique aggredi terrendi nonnunquam alia causa.

Circus est planities rotunda, ut *Circuitus*. (*i*) *Globus* soliditas undique versùm rotunda, ut est *Sphaera*, & staminum *Glomer*. Cic. Lib.2. de Nat. Deor. *Cumque duae formae praestantissimae sint, ex Solidis* Globus; (*sic enim* Sphaeram *appellare placet*) *ex Planis, aut* Circus, *aut* Orbis.

(*i*) In *specie* notat *Aream illam rotundam, quae* Romae *quondam* exhibendis Ludis Curulibus *erat parata*.

Civitas, est Populi (*) s. (*Civium*) multitudo Jure, & Legibus sociata; (*k*) *Urbs* sunt ipsa Moenia, & Aedificia. Cicero Lib.2. de Offic. *Id enim est proprium, ut suprà dixi*, Civitatis *atque* Urbis, *ut sit libera, & non sollicita sua rei cujusque custodia*. Idem Lib. 1. de Legib.

Quam cùm locis, manuque sepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum Oppidum, *vel* Urbem, (*l*) *appellarunt, delubris distinctam, spatiisque communibus. Omnis ergò Populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem exposui*, Civitas *est, omnisque* Civitas *est constitutio Populi*. Idem ad Dolabellam: *Liberasti igitur, &* Urbem *periculô*, & Civitatem *metu*. Porrò pro Sullâ: *In qua* Civitate *res tantas gesserim, memini, & in qua* Urbe, *intelligo*. Et in Philippicis: *Cùm ne vestigium quidem Asiae*, Civitatum, *atque* Urbium *relinquitur*. Sed haec frequentissimè confundunt *optimi Auctores*, quorum testimonia nihil attinet hic adscribere.

(*k*) & unum in locum congregata.

(*l*) Accuratiori enim *Criticorum* censura inter *Urbem*, & *Oppidum*, quod in *Auctorum Classicorum* Scriptis pro aequipollentibus ea usurpantur, nil penè esse discriminis, *praeceptor noster ὁ πάνυ, M. Jacob. Thomasius*, Philosophus celeberrimus, §.17. *Disput. Politicae*, de CIVITATE An. CHR. M.DC.LXI. d. XIX. Jan. *Lips.* publ. habitae, optumè eos docet, appositè addendo, *Urbem* & *Oppidum* vulgò differre, ut *majus*, & *minus*, ita ut *Urbium* nomine ea saltem veniant, quae sunt *majores*, & *ampliores*; *Oppidorum* verò *minora* atque *obscuriora illa*. Sic multi quoque *Urbis* nomen uni ROMAE, sicuti Ἄστυ ATHENIS, & Πόλις ALEXANDRIAE, olim tribuebant, caetera *Oppidorum* nomine appellantes. Conf. *Joan. Limnaei* Lib. 7. de J. P. *Imp. Rom.* c. 1. n. 1. seqq.

Claritas tàm luminis, quàm perspicuitatis; *Claritudo* verò generis. *Prius* Splendoris, (*m*) *Posterius* Nobilitatis est. *Corn. Fronto.*

(*m*) Ideòque pro Splendore, Amplitudine, Nominisque Celebritate, ut & Altitudine Fortunae, atque Gloriae ap. *Ciceron.* passim, usurpatur.

Clemens est circa rectè agentes, *Placidus* etiam circa delinquentes. *Clemens* animô, *Placidus* vultu. *Clemens* (*n*) nullum laedit, *Placidus* arridet omnibus. (*o*) *Donatus*.

(*n*) (quod parcere pronus) (*o*) Agit enim *placidè*, suaque *Placiditate* alios, etiam irritatos, facilè *placat*, si sunt *placabiles*. Sed *implacidus*, qui nullo *placamine ad Placabilitatem* permovetur, ut se *placatum* ostendat, videat, annon *implacabilem* DEVM quoque sit experturus.

Clibanus est (*p*) parvus furnus, & mobilis, ferreus, vel testa-

testâceus, in quô *Panis* olim, nunc *Placentae*, *Farcimina*, & *alia Dulciaria* decoquuntur. *Furnus* est magnus, & immobilis, constatque ex *lapide*, & *calce*. (*q*) Undè *Clibanites*, *Panis* alius à *Furnaceô* apud Athenaeum Lib.3. Sic Plinius: *Cortices quoque decussi lini* Clibanis, *&* Furnis *praebent usum.*

(*p*) Furnus aeneus portatilis, seu
(*q*) Aliàs describitur, quòd sit *Pistoris Fornax*, in qua *Paneis* furnaria arte hodiè coquuntur.

Clypeus significat militare Scutum. *Clypeum* est expressa corporis effigies humerorum tenus ex *Aurô*, *Argentô*, *Lapide*, &c. sicut *Imago* è *Cera*, ita dictum, quòd sit *rotundum* (*r*) *instar militaris Clypei*. Trebellius Pollio in Claudiô: *Illi* Clypeus *aureus*, *velut* Grammatici *loquuntur*, Clypeum *aureum Senatûs totius judiciô in Romana Curia collocatum est*. Sed Poëtae, & *Historici* indistinctô genere utuntur in utrâque significatione, ut de *Effigie* dixit Svetonius in Caligulâ: *Inter reliquos honores decretus est ei* Clypeus *aureus*, *quem quotannis certô die Collegia* Sacerdotum *in Capitolium ferrent*. Idem in Domitianô; *Scalas etiam inferri*, Clypeos*que*, *&* Imagines *ejus coram detrahi*, *& ibidem solo adfligi juberet*. Livius Lib.38. *Duodecim* Clypea *aerata ab Aedilibus Curulibus*, P. Claudiô, *&* S. Sulpitiô, Galbae *sunt posita*. Idem Livius: Clypea*que de columnis*, & *Signa militaria affixa demsit*. De *Scutô* Virgilius: (*s*)

Ardenteis Clypeos, *atque aera micantia cerno.*

Idem: (*t*)

Dat Tellus gemitum, *&* Clypeum (*u*) *super intonat ingens.*

Quare Plinius in secundô Librorum, *quos dubii Sermonis inscripsit*, haec non tàm *Genere*, quàm *Scriptura*, & *Etymologia* differre censuit, esseque *Clypeum* (*x*) à *clepere*, quia corpus celet; *Clupeum* verè IMAGINEM à *cluendô*, quod posterius Etymon rursus valdè improbavit (*studio Veritatis*, aut *Memoriae lapsu*, à se ipsô dis-

sentiens) Lib. 35. Natural. Historiae: Scutis *enim*, inquit, *qualibus apud* Troiam *pugnatum est*, *continebantur* Imagines. *Undè & nomen habuere* Clupeorum, *non*, *ut perversa* Grammaticorum *Subtilitas voluit*, à cluendô.

(r) Sic ob *rotunditatem* quoque *Antiqui* CLYPEUM *Corium Bovis* appellarunt, in quo *Foedus Gabiorum*, cum *Romanis* fuerat descriptum. Vid. *Sext. Pompej. Celsi* Lib. 3. de *Verbor. vet. Signif.*

(s) Lib. 2. Aeneid. v. 734. (t) Lib. 9. v. 709.

(u) Vocabulum hocce in genere *Neutro* h. l. esse positum, testatur *Erythraeus* in *Ind. Virgil* fol. 41. fac. a. col. b.

(x) *Clypeus* non dicitur παρὰ τὸ κλέπτειν, (quod *rarò* in *bonam partem* accipitur) h. e. à *celando*, vel *abscondendo*, sed potiùs παρὰ τὸ γλύφειν, h. est, à *sculpendo*, quòd in eo *imago*, & *facies* cujusque redderetur. Conf. *Perotti* Cornucop. *Epigr.* XXIII. col. 763. lin. 15. seqq.

Clypeus est rotundus, cavus, & totum protegit *Pectus*. *Scutum* (y) est oblongum, quadratum, & totum munit *Corpus*. *Illum* Graeci vocant Ἀσπίδα, *Hoc* Θυρεόν. (z) Virg. Lib. 3. Aeneid. (*) v. 637.

Argolici Clypei, *aut Phoebèae lampadis instar*.

Idem Lib. 8. v. 662.

- - - - Scutis *protecti (aa) corpora longis*.

Liv. Lib. 8. Clypeis *anteà* Romani *usi sunt*, *deindè*, *postquam facti sunt stipendiarii*, Scuta *pro* Clypeis *fecere*. Servius in Lib. IX. Aeneid. ait, Clypeos *esse* PEDITVM, Scuta EQVITVM, cùm tamen Liv. Lib. 1. scribat, *Militibus primae Classis*, *id est*, *praestantioribus*, *Arma imperata*, *Galea*, Clypeus, *Ocreae*, *Lorica*, *omnia ex aere*; *secundae verò Classis Arma imperata*, Scutum *pro* Clypeô, *& praeter Loricam omnia eadem*. Et Cicero in Philippicâ 2. *Cum gladiis agmine quadratô sequuntur* scutati *Milites*. Vndè intelligitur, *Scuta* tàm *Peditum*, quàm *Equitum* fuisse, sed *Illorum* longiora; *Horum* verò breviora.

(y) propriè *Clypeum coriaceum* notans.

(z) Et quidem hanc ob causam, quòd *Forium similitudinem* referat, quae *longiores*, quàm *latiores*, esse solent.

(aa) *Protecti*, & non *porrecti*, (quod *Editores Auctoris nostri* nequaquam observarunt) *rectissimè* legitur in *emendatissimis* huj. Poëtae *Editionibus*, *Frelloniano-Lugdunensi* imprimis, & in *illa Erythraei*, quae *suprà* (p. 71. meritò est laudata.

(*) Coe-

(*) *Coena* est vespertinum Epulum, à *Κοινὴ*, quod idem, ac *Communis*, dictum, quia post diurnas operas tota Familia congregata *simul* pascitur. *Prandium* est Cibus meridianus, quem omnes Milites mox pugnaturi apud *Veteres* prae caeteris sumere solebant. Indè est illud *Ducum* Alloquium: *Prandeamus tanquam ad Inferos coenaturi.* Leg. *Stukii* Lib. 1. *Antiqu. Convival.* c. 8. fol. 20. fac. a. Et hanc ob caussam *Prandium* nonnulli dictum esse volunt, quòd *iterum ad opus essent illicò parati*, sicuti docet *Jul. Caes. Scaliger* Lib. 1. *Poët.* c. 5. p. 22. *Edition. Commelin. Vtae.* *Prandium* erat Cibus levis, & simplex; *Coena* verò largior, atque copiosior. Vid. *Fulv. Ursini* Appendix ad *Ciacconii* Libr. de *Triclino* p. 76. *Athenaeus* Lib. 1. *Deipnos.* refert ex auctoritate *Philemonis*, quòd *Veteres* non solùm usi sint *Coena*, atque *Prandio*, sed etiam *Merenda*, ac *Jentaculo*, ita, ut *Jentaculum*, quod *Festus* idem cum *Prandio* fuisse, & aliter *Silatum* nuncupatum esse, asseverat, fuerit *Cibi degustatio matutina.* Deinde sequutum sit *Prandium*, quod tempore *Februarii* sumebatur *hora ferè septima*; uti patet ex *Svetonii Caligul.* c. 48. & erat *semper brevissimum.* Post *Prandium* ponebatur *Merenda*, quam *Isidorus* Cibum fuisse dicit, qui, *declinante die*, sumeretur, quasi esset *post Meridiem edenda*, & *proxima Coenae*. Vndè & *Antecoenium* quibusdam vocabatur. Hanc consequebatur *Coena*, cui *hora* attributa erat Aestate *nona*, Hieme verò *decima*, uti ex *Ciceronis* Epistola illa ult. L. 9. ad *Famil.* in specie ad *Papyr. Paetum* facilè intelligitur, in qua ita scriptum est: *Accubueram hora nona, cùm ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Conf. *Martialis* Epigr. VIII. (*Raderus* facit VII.) L. 4. Distich. 3.

Coenaculum est locus in superiore parte *Aedium*, in quo *Romani* olim cibum sumebant, & homines pauperiores, atque inquilini etiam habitabant. (*bb*) *Coenatio*, (*cc*) est locus ad *coenandum* in imô *Domus* (*dd*) lautè, & magnificè instructus. (*ee*) Plautus in Amphitr. (*ff*)

In superiore qui *habito* Coenaculô.

Seneca ad Lucilium: *Qui versatilia* Coenationum *laquearia ita coagmentat, ut subindè alia facies, atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Svetonius in Nerone: Coenationes *laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, & unguenta desuper spargerentur.*

(*bb*) *Antiqui* enim *publicè*, & *in commune* vescebantur, nec ulli *Convivium singulare* erat, ne in occulto Deliciae Luxuriam gignerent. Leg. *Stukii* Lib. 2. A. C. c. 14. fol. 197. fac. b. Ideoque *Isidorus Coenaculum* sentit dictum à *Communione*. Vndè, & *Coenobium*, s. *Congregatio*, aliis est.

(*cc*) *s. Coenatiuncula*, h. e. locus *coenaticius*, s. ad *coenandum* aptus.

(*dd*) (Addamus & in *Hortis Potentiorum*. Quò respexisse videtur *Juvenalis* Satyr. 7. v. 182. seq.

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat COENATIO Solem.)

(ee) Demum vocabulo à *Graecis* mutuato appellabatur *Triclinium* quoque. Ita enim *Cicero* Lib. 13. ad *Attic*. Ep. 50. *Cùm secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, Villa ita completa militibus, ut vix* Triclinium, *ubi* coenaturus *ipse* Caesar *esset, vacaret*. Quò magis est mirandum, *Servium*, eruditum quippe Grammaticum, in *Comment*. ad *Vers*. DCLXXXXVIII. Lib. 1. *Aeneid. Virgil*. temere negare, *Triclinium* ipsam COENATIONEM significare. Ita enim scribit: *Antiqui* Stibadia (*à similitudine* Sigmae *litterae Graecae, quae hac forma scribebatur* C. SIGMAE *appellata*) *non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur*. *Undè* Triclinium *sterni dicitur*. *Sic* & CICERO Sterni Triclinia, *&* in foro Sterni *jubebat*. *Undè apparet, errare eos, qui* Triclinium *dicunt* ipsam Basilicam, vel Coenationem. *Haec ille*.

(ff) Act. 3. Sc. 1. v. 3.

Cogitare ex mente *Nonii Marcelli* est dubitare; *Deliberare* verò est confirmare. Vndè Turpilius: *Quaeso* cogita, *ac* delibera. *(gg)*

(gg) Sed *Cogitare scelus* minùs est, quàm *suscipere scelus*. *Hoc* est *facti*, atque *operis*; *illud* v. *animi*.

Cognitor est, qui *(hh)* praesentis causam novit, & ejus defensionem ultrò suscipit. *Procurator*, qui absentis nomine *(ii)* agit. *(kk)* Cicero de Divinat. *Me Defensorem calamitatum suarum, me Vltorem injuriarum, me* Cognitorem *juris sui, me Actorem causae suae esse voluerunt*. Horat. L. 2. Serm. *(ll)*

- - - *Sis Cognitor ipse*.

Licet aliquandò *Cognitor* est, qui aliquem cognoscit, & ut se nôsse dicat, pro testimoniò producitur. Cicer. Orat. 7. in Verrem: *Vbi neque noti esse iis, quò venerunt, neque semper cum* Cognitoribus *esse possunt*. Interdùm etiam, qui quaestiones publicas exercet, id est, *Quaesitor*. Vndè *Cognitura* prò *Cognitoris quaestu*. Svetonius in Vitellio: *Sectionibus, &* Cogniturìs *uberius compendium nactus*.

(hh) litem alterius suscipit coràm ab eo, cui datus est, *l.* qui
(ii) auctor est, vel
(kk) Deindè *Cognitor*, & quidem ex *Asconii* mente, est, qui causam alicujus novit familiariter, & praesentem defendit; *Procurator* autem, qui absentem. *Advocatus* praesentiam suam commodat in Judicio, & Jus suggerit. *Patronus* verba facit. Vid. *quae sup. p.* 18. *seq. Auctor* annotavit.
(ll) Satyr. V. v. 38.

Co-

Colaphus digitis compressis, & in pugnum contractis capiti, *corpori*ve *reliquo* infertur. (mm) *Alapa* est percussio in *faciem* manu (nn) explicatâ. (oo)

(mm) Dicitur a. *Colaphus* à *Graeco verbo* Κολάπτειν, quod idem est, ac *tundere*, quia plerumque *simul* fit *tundendo*. Vndè *Plautus* in *Persa* Act. 2. Sc. 4. v. 22. *Colaphis in terram aliquem defigere*, nequaquam ineptè dicit. Apud *Terent*. in *Adelph*. Act. 2. Sc. 1. v. 46. legitur *quingentos Colaphos alicui infringere*, & quidem (quod placet nobis addere) cum *sonitu*, & *fragore quasi*. Sic Sc. sequ. ejusd. Act. v. 37. dicitur, quod *Colaphis tuber* sit *totum caput*. Quid à. *Plauto* loc. cit. Act. V. Sc. 2. v. 65. fit *Colapho aliquem icere*, leg. *Taubm*. Commentar. in *praed. loc*. & *Schoppl* Lib. 3. *Suspectar. Lection*. Epist. 1. p. 163. seq.

(nn) deducta, & (oo) Ideòque *hoc Vocabulum* videtur prorsùs à *sono* factum.

Collactaneus (pp) *est* iisdem mammis educatus; *Collacteus* verò, qui unô, eôdemque lacte est educatus. (qq) (*Corn. Fronto*.)

(pp) *Graecis* dictus συγγάλακτος, sive ὁμογάλακτος.

(qq) Critici accuratioris judicii *duo haec vocabula*, quorum PRIVS *Ulpianum*; POSTERIVS v. *Juvenalem* γνήσιον Parentem agnoscit, *promiscuè* usurpanda esse etiamnùm clamitant.

Collegia, *&* *Sodalitia*, sive *Sodalitates*, diversa esse ostendit Marcianus Institut. 3. L. 1. D. de Colleg. *Mandatis principalibus praecipitur*, *Praesidibus Provinciarum*, *ne patiantur esse* COLLEGIA Sodalitia, *neve milites* Collegia *in castris habeant*. Hoc autem differunt, quòd *Illa* erant *majora*, & *Artificum*, *Opificumque* omnium *genera* distincta habebant, ut *Collegia Fabrorum*, *Figulorum*, *Pistorum*, *Aurificum*, *Cerdonum*, *Coriariorum*, *Lictorum*, *Viatorum*, & similium; (rr) *Haec a. erant minora*, sed magis *honesta*, (ſſ) in quae etiam *clari*, & *honorati Viri* adscribantur, ut testatur Cato apud Ciceronem de Senectute: Sodalitates *autem*, inquit, *me Quaestore*, *constitutae sunt sacris Ideis*, *Magnae Matris acceptis*. *Epulabar igitur cum* Sodalibus *omninò modicè*. Et Q. Cicero in Libellô de Petitione Consulatûs numerat *Sodalitates* in parte Amicitiae: *Qui sunt amici* (inquiens) *ex causa honestiore Cognationis*, *aut Affinitatis*, *aut* Sodalitatis, *aut alicujus Necessitudinis*.

(rr) Ex

(rr) Ex quo apparet, *Collegium* nihil aliud fuisse, quàm *certorum hominum*, in specie *Sacerdotum*, *Praetorum*, & *Studiosorum Conventus*.

(ſſ) etiamsi *Sodalitia* aliàs in *re leviore* sunt, non aliter, ac *Sodales*, qui ejusmodi Familiareis *propriissimè* denotant, quibus cum saepissimè versamur, ludimus, edimus, ac bibimus. Taleis a. Fratres seriò vitandos esse praecipit *Martialis* Lib. 12. *Epigr.* 34. (*Raderus* facit 29.) v. 8. sequ.

Si vitare velis acerba quaedam,
Et tristeis animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis Sodalem.
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

[*] *Collis* est monticulus, sive sit per *se*, sive *pars Montis*. *Clivus* est proclivitas illa, & pronitas à vertice *Collis*.

[*] *Colonia*, & *Municipium* ita differunt, ut *Illa* ex *Civitate* aliò traducatur; *Municipes* verò aliunde in *Civitatem* veniunt, suumque jus proprium habent.

Colonus (tt) est, qui Praedium rusticum colit, sive in *Civitate*, sive in *Villa*. *Inquilinus* verò, qui conductis aedibus habitat in *Villa*, vel *Civitate*. Non n. *Locus* facit aliquem *Colonum*, aut *Inquilinum*, sed *Materia*, quae conducitur. Marcianus ad Formulam Hypothecariam: *Convenit, ut is, qui formulam hypothecariam dedisset, pro* Colonô *in Agrô; in Aedibus autem pro* Inquilinô *sit*. L. 24. D. acq. Poss.

(tt) *Colonus* novae *Coloniae*, h. e. Vrbis ab illo *coli* coeptae, *accolit* Fluvium, aut *circumcolit* Montem, aut *incolit* Vrbem, cujus fit *Incola*, vel *Accola*, recipitque *Inquilinos*, quos vult. Conf. quae sup. p. 6. breviter annotata sunt.

Columbae, quae mansuetae fieri possunt, & domibus assuescere: (uu) *Palumbes* ferae, arboribusque, & sylvis, saxisque inhabitantes, *Agraetius*.

(uu) Ideòque dicuntur *Aves domesticae*, *culmina tectorum incolentes*.

Comes est, quicunque aliquem sequitur *studii*, aut *officii* gratiâ, ut, qui *Magistratûs* in Provincias euntes *comitabantur*, ipsorum *Comites* erant. (xx) *Socius* est, qui cum alterô *societatem* coivit, & *generaliter*, qui aliquid cum aliô *communiter* possidet, aut *pari opera*, & *consiliô* curat. (yy) Nam SOCIVS *agentem* adjuvat; COMES v. sequitur *euntem*. Caesar Lib. 1. de Bello Civ. *Cùm se victoriae Pompeii* Comitem *esse mallet*, *quàm* Socium *Caesari: in rebus adversis*. Cicero Servilio: *Et*

Co-

Comes *meus fuit illô miserrimô tempore,& omnium Itinerum, Navigationum, Laborum, Periculorum meorum* Socius. Idem pro Flacco: Socii *consiliorum, ministri*, comitesque *vocantur*. Et pro Fontejo: *Tum enim vitae socia, Virtus, inertis* comes *fuisset*. Fronto dicit, quòd *Comes* sit, qui iter facit; *Sodalis* verò nomen Adolescentiae. *Assecla* sequatur potentiorem. *Cliens* imploret opem, ac fidem. Ita *Comes* tutus, *Assecla* officiosus, *Sodalis* amicus, *Cliens* submissus.

(xx) *Comes* vide in *comitatu* est; *Comes* autem *comitaturus* Regem, ne *incomitatus* sit, venit è suo *comitatu*, *comitatus* quoque à suo famulitio. De cujus *Dignitate* vid. *Paschal.* Lib. 9. *Coron.* c. 22. p. 643.

(yy) Itaque cum *Socium* quaeris, vide, ut Tibi *sociabilem associes*, qui *Societatem* sincerè colat, & sua bona, & mala tecum habeat *socia*, nempè in *socialibus* illis rebus, in quibus *sociati* estis. Requiritur autem ad *socialitatem* singularis paritas. Nam *insociabiles*, si *sociantur*, vel *consociantur*, necessariò iterùm *dissociantur*. NB.

(*) *Comicus* est, qui condit *Comoedias*, uti *Terentius*, *Plautus*, & alii. Sed *Comoedus* est *Histrio*, qui agit gestu, & voce *Comoediam* conditam. Ita *Tragicus* auctor est *Tragoediae*; ut *Seneca*; *Tragoedus* v. actor.

Cominùs, & *Eminùs* Frontoni de *Jaculis* ita dicitur, ut *Illud* à manibus non recedat; *Hoc* verò è manibus emittatur. (zz)

(zz) Quam *Differentiam* omninò vanam atque ridiculariam esse, indè probamus, quoniam *Cominus* non idem est, ac *coram Manibus*, sed potiùs *coram minis*, quandò *Minae* videlicet *Cuniculos*, vel *Fossas subterraneas circa Urbem* denotant. Sic *Eminus* qs. *è Minis* dicitur. *Hoc* notat *Locum è longinquo*; *Illud* v. *è propinquo*, sive *proximo*. *Eminùs* utimur armis quibusdam, ut *Bombardis*; *Cominus* quibusdam, ut *Gladiis*.

Comitia erant *Coetus universi Populi*, à *Magistratu* legitimè convocati, ut aliquid suffragio suô, vel juberet, vel vetaret. (a) *Conventus* erat, cum in urbe à *Magistratibus* Judicii causâ per Praeconem *Populus* convocabatur, vel in Provinciis à *Praeside* in aliquam Civitatem edictô *homines Provinciales* evocabantur, certâ ejus rei die antè praedictâ. *Concilium* verò erat, cum *Populi* (b) *pars* in certum aliquem locum contrahebatur, atque ex eâ sorte eligebantur *Viri* ad judicandum, Romae *quinque* Senatores, & *totidem Equites Romani*; in Provin-

ciâ

ciâ *viginti Recuperatores*, qui *Cives* quoque *Romani* erant, cum quibus *Praetor*, vel *Consul*, dicebatur *Concilium exercere, praebere*que. Et *Comitia*, quidem calabantur, *Conventus*, & *Concilium* (*c*) edicebantur, aut indicebantur. Livius Lib. 44. *Nec* Comitia, *nec* Conventum, *nec* Concilium ullum. Idem L. 49. *Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybaeum indicitur* Concilium. *Praetor Romanus* Conventûs *agit, eô imperiô evocati conveniunt.*

(*a*) Aliàs ita describuntur, quòd nimirum fuerint ipsa congregatio, in qua *Populus* de *Regni* negotiis praeclarè consultabat. De *iis* elegans extat *Pauli*. (G.F.P.N.) *Merulae Opusculum posthumum*, cum ejusd. *Merulae illo*, quod de *Praemiis, quae Militiam sequebantur*, est inscriptum, An. Seculi sup. LXXV. & quidem *Job. Poschii* cura, in *Batavia Gaasequianis* literis in 12. exc.

(*b*) Ad *Concilium* enim *conciliantur* Populi, ut factiosis *conciliabulis* excitatae lites *concilientur*, animique *reconcilientur*.

(*c*) Horum *Synonima* sunt *Synodus*, *Consistorium*, *ac Primorum Sessio*, vel *Senatus*.

Commendare est (*d*) diligenter, & honorificè (*) *aliquid* mandare. (*e*) *Committere* (*f*) est alteri tradere, ut agat in re traditâ, quicquid ipsi videatur. Cicero pro Domô: *Vobis erga meam Dignitatem, Studium, & Judicium non modò* commissum, *verum etiam* commendatum *esse arbitrantur*. Idem pro Quintiô: *Tibi se, tibi suas omneis Opes, Fortunasque* commendat, *tibi* committit *Existimationem, ac Spem reliquae vitae*. Terent. in Eunuchô: (*g*)

Ego me tuae commendo, *&* committo *fidei*.

Ubi *Donatus*: *Commendamus* nos cognitis, *Committimus* ignotis. Quae *Differentia* nihil est. (*h*) Sic ex Frontonis sententiâ *Committimus* Consilia, Pecuniam v. *Credimus*.

(*d*) alicujus fidei, h.e. (*e*) Sic, qui aliquem ante se *praemandat*, aut illi quid *commendat*, solet eum *commendare* litteris *commendatitiis*, si *commendabilis*, h.e. *commendatione* dignus est.

(*f*) cum *Particula* UT etiam ponitur in hunc modum: *Non committam, ut me negligentiae nomine jure posteà accusare possis*. Aliquandò quoque in *malam partem* capitur, & idem est, quod *delinquere*, vel *scelus admittere*. Re ita comparata, diligenter videamus, ne quid *committamus*, ob quod oculos *demittere*, vultuque *demisso* incedere necesse habeamus. NB.

(*g*) Act. V. Sc. 2. v. 46.

(*h*) Ita: B

(*b*) Itaque *Hayneccius* praedicto *Terentiano* loco singularis explicationis instar *indoctè* illam annexuit.

Commisceri propriè dicitur, quod non mutatur in aliam speciem, sed priorem retinet, ut si fuerint commistae *Massae Argenti*, aut *Vina*, *Frumenta*, *&c.* (*i*) *Confundi*, (*k*) quod alii junctum, sive adjectum, novam generat speciem, ut *Vinum*, & *Mel* confusa propriam pariunt speciem, scilicet *Mulsum*. Plinius: *Et si misceantur*, *facilè* confundunt *colorem*. Vlpianus ad Edictum 16. Lib.31.§.2. D.de Rei Vend. *Si quid*, *quod ejusdem naturae est*, *ita* confusum *est*, *atque immixtum*, *ut deduci*, *ac separari non possit*.

(*i*) Nonnullae enim sunt natura *mistiles*, quae facilè possunt *commisceri*. Aliae sibi aliquid *admisceri*, aut *immisceri*, vel *intermisceri*, nedùm *permisceri*, minimè patiuntur.

(*k*) *Confundi* de *Mineralibus* propriissimè dicitur. Metallorum *Fusor* enim *fundit* in *fusorio*, & *confundit* mineras, è quibus *fusis* caeteri *Fusores* varia *fusilia* in *fusoriis refundunt*, ac *transfundunt*. Nonnunquam etiam *Tropicè* idem est, ac *pudefieri*, quòd in *Pudore* sanguis *confunditur* saepissimè.

Commodatum, *&* *Vtendum datum* hoc differre Antistius Labeo L.1.D.Commod. existimavit, ut *Genus*, & *Speciem*. *Commodari* enim rem mobilem, non etiam *soli*; *Vtendam dari* etiam *soli*. Contra Vlpianus: *Propriè*, inquit, commodata Res *dicitur ea*, *quae* soli *est*, *idque* Cassius *existimat*. Vivianus amplius etiam *habitationem commodari posse* ait. Quam opinionem confirmat Cicero Lib.4. Rhetoricor. *Cuidam* Aedes maximas *ad Nuptias* commodâsse. Vndè apparet, haec nihil omninò differre, & idem esse *Commodare*, (*l*) quod *rem Vtendam dare*, ut finitô usu, in quem data est, eadem ipsa restituatur, sive sit *mobilis*, sive *immobilis*, sive *corpore carens*. Sed inter *Commodare*, *&* *Mutuum dare* hoc interest, quod *Commodamus* ea, quae redduntur eôdem *Numerô*, & *Specie*, ut, *Vasa*, *Vesteis*, *Libros*, *Jumenta*. *Mutuum damus* recepturi non *eandem Speciem*, quàm dedimus, sed *idem Genus*, i.e. tantundem *ejusdem Ponderis*, *Quantitatis*, *Qualitatis*, *Numeri*, ut, *Pecuniam*, *Vinum*, *Frumentum*. *Mutuidatio* enim consistit in his re-

bus,

bus, quae *Numerô, Mensurâ,* & *Pondere* constant, ut scribunt Jurisconsulti L. 2. D. de Reb. credit. Quare Cicero abusus est verbô *Commodandi*, cùm in Verrina 6. dicit: *At publicè* commodâsti, *non sine magnô quidem Provinciae, Siciliaeque detrimentô*, Tritici *modios sexaginta*.

(*l*) *Accomodare se tempori*, *commodum* est; sed *Commodare alteri pecuniam* plerumque est *incommodum*. Multis enim ea res verè *incommodavit*. NB.

(*) *Commorari* non esse *Habitare*, patet ex hoc loco Ciceronis de Senectute: *Ex hac vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam è domo*. Commorandi *enim Natura diversorium nobis*, *non* habitandi, *dedit*. *Commoramur igitur*, ut in *hospitio*, ad tempus; *Habitamus*, ut in *domo*. *Commorari* Graecis dicitur παροικεῖν, sed *Habitare* κατοικεῖν.

Commune esse dicitur, (*m*) cujus usus *omnibus* est expositus, & proprietas occupanti cedit, ut *Aër*, *Aqua profluens*, *Mare*, *Littora Maris*, & *Lapilli*, & *Gemmae*, *caeteraque*, *quae in Littore inveniuntur*. (*n*) *Publicum* est, quod in communi *Populi*, aut *Civitatis alicujus* usu, & dominiô est, nec occupanti conceditur, ut *Forum*, *Theatrum*, *Basilicae*, *Via*, *Itinera publica*. Sic *commune* Jus (*o*) dicitur *Jus Gentium*, quô omnes Gentes utuntur; *Publicum* verò, quod *Populus quisque* sibi constituit. Terent. in Phormione: (*p*)

- - - *Num iniquum postulo?*

Annè hoc quidem adipiscar ego, quod Jus publicum *est*? Sed interdùm *Commune* sumitur pro *Publicô*, ut cùm dicimus *Commune Jus*, quô *omnes ejusdem Civitatis Cives* utuntur, respectu *singularis*, & *proprii Juris*, quod non in *universos Civeis*, sed in *singulos* constitutum est, & appellatur *Privilegium*, ut *Commune Bonum*, *Malum*, *Communis Res*, atque *Communis Salus* passim apud *Classicos*.

(*m*) quod ad plureis aequè pertinet, seu

(*n*) Sic *communia Bona communiter* curari debent. De his quandoque *communicamus*, h. e. *communia facimus*, iis, qui extra *Communitatem* sunt. Contrà verò eos, qui illis, indignè *communicant*, h. e. *communia habent*, à *communione* removendo *excommunicamus*.

(*o*) De *communi Romanorum Civium* Jure vid. *Manutii* Lib. 1. *Antiq. Romanor*. qui est de *Legibus*, p. 51.

(*p*) Act. 2. Sc. 3. v. 64.

Com-

Communitas (q) est communicandi voluntas, *Communitio* verò undique munitio. *Corn. Fronto.*

(q) An autem *haec Vox*, quae aliàs CICERONI *Justitia civilis* est, apud *Classicos* quoque in *sensu hoc* sumatur, hanc ob causam dubii sumus, quoniam ne ullum quidem Exemplum, diu licet in illud inquisitum, reperire potuimus.

Comperio est ab alio cognosco, (r) *Comperior* ipse colligo. *Illud* fit investigatione, (s) *Hoc* opinione, & conjecturâ. Terentius in Andriâ: (t)

Quaerebam, comperiebam *nihil ad Pamphilum*
Quidquam attinere. - - -

Sallust. in Jugurthâ: *Metellum magnum*, & *sapientem Virum fuisse* comperior. Id. ibidem: *Sed ego* comperior *Bocchum magis Punicâ fide.* Tacitus Lib. 4. Annal. *Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem*, & *sapientem Virum fuisse* comperior.

(r) i. certum reperio, sive deprehendo. (s) Ideòque idem est, ac *explorando* cognosco. Quicquid igitur sic *comperimus*, *expertique* ex voto sumus, habeamus pro *comperto*, fretique *experimentis* nostris, atque *experientia inexpertos* quoque doceamus.

(t) Act. 1. Sc. 1. v. 63. seq.

[*] *Complura* non, nisi de *majore Numero*; sed *Plura*, de *duobus* saltem *commode* possunt dici. *Hoc*, (cujus *Superlativus* PLVRIMVS,) *Comparativi Gradus* est; *Illud* verò singulari Numero carens quippe *minimè*. Non dicitur a. *Complurimus* aequè, ac *commultus*, quod *Romanarum Venerum studiosissimis* optumè est notum.

Compluvium est locus, in quem Aqua pluvia de diversis tectis confluit. *Impluvium* est locus (u) sub Dio, quô (x) Aqua dejecta accipitur. *Alterum* sursùm est ad *Tectum*; *alterum* deorsùm ad *Terram*. Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. *Si relictum erat in mediô, ut lucem caperet deorsùm, quò impluebat*, Impluvium *dictum*; *sursùm, quâ compluebat*, Compluvium. Terent. in Phorm. (y)

Anguis per impluvium *decidit de tegulis.*

(u) addamus *sine Tecto.* (x) imber impluit, seu

(y) Act. 4. Sc. 4. v. 27.

Conciliabulum, & *Forum* separat Livius Lib. 25. *Qui ultrà quinquagesimum lapidem in Plateis*, Forisque, & Conciliabulis *omnem copiam Ingenuorum inspicerent.* Et alibi: *Decem-Viri supplicationem in biduum valetudinis*

nis causâ in Urbe, & per omnia Fora, & Codiciabula *edixerunt*. Hoc autem interest, quòd *Conciliabulum* erat locus in *Agris*, aut *Vicis*, ad quem *Rustici* frequentes emendi, aut vendendi causâ conveniebant certis Nundinarum diebus. (z) *Forum* (aa) erat locus in Provinciis, sive *Oppidum*, sive *Vicus*, in quo *Magistratus* jus dicebat, & de privatis Controversiis cognoscebat. Vndè *Forum agere* dicebatur, qui Provinciae praeerat, cùm *Conventum* Juris dicendi causâ habeat, & *Forum indicere*, cùm *Tempus*, & *Locum* Juris dicundi designabat. Quanquam interdùm etiam in *Conciliabulis* Jus dicebatur, & quaestiones extraordinariae exercebantur. Vndè C. *Gracchus* orationem habuit, & inscripsit, cùm circum *Conciliabula* iret. Livius Lib. 40. *Veneficii quaestio ex C. quod in Vrbe, propiusvè Urbem decem millibus passuum esset*, *commissum* C. Claudio, *Praetori*, *qui in locum* T. Minutii *erat suffectus*: *ultra decimum lapidem per* Fora, Conciliabula*que* C. Menio, *priusquam in Sardiniam Provinciam trajiceret, decreta*. In Lege Maniliâ: MAGISTRATVS, QVI IN EA COLONIA, MVNICIPIO, PRAEFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO, JVRI DICVNDO PRAEERIT.

(z) Ideòque *Conventiculum temerariorum hominum* nequaquam ineptè dicitur.

(aa) In *genere* describitur, quòd sit praecipua *Urbis* Area, rebus vendendis, & emendis destinata.

Concinnare est aptè componere, (bb) *Concinere* verò est convenire. (cc) Festus.

(bb) & quidem *Capillos* propriè. Nam qui *Cinnos concinnos* vult habere, discat *Capillos concinnè concinnare*, atque si eorum *concinnitas* turbata est, *reconcinnare*.

(cc) Vndè *Concentus* est sonorum in *cantu* congruentia.

Concubina est, quae cum *coelibe* consuevit, & *Uxoris* loco *sine Nuptiis* domi vivit. *Pellex* est, quae corpus miscet cum *eô*, *qui uxorem habet*. (dd) *Illa* extra Poenam *Legis Juliae*, & sine *infamiâ* olim habebatur. *Huic* Poena erat à *Numa Pompiliô* constituta *hac Lege*: (ee) PELLEX ARAM JVNONIS NE TANGITO. SI TANGET,

GET, JUNONI CRINIBUS DEMISSIS, AGNUM FOEMINAM CAEDIDO. Arnobius Lib.4. (*) adv. Genteis p.141. seq. Edition. Batavo-Lugdunensis Thysianae: *An uxore contentus* (sc. JUPITER) *haud unâ*, Concubinis, Pellicibus, *atque Amiculis* (ff) *delectatus*, *impatientiam suam spargebat passim* (*ut bacchari Adolescentes solent*) *salax Deus*, *&* *canus*, *ex infinitis corporibus flaccescentium voluptatum restituebat ardorem?* (gg) Sed *Pellex* apud *Antiquos* significavit *Concubinam*, quam *Graeci* vocant Παλλακὴν, ut Jurisconsulti annotârunt L.144. D. de Verb. Sign. Et sic Justinus dixit, *Cyri Pellicem*; ut & Curtius de Alexandrô, *Regis Pellicem*. Quibus in locis Valla, & Budaeus benè reponunt *Pallacam*, quâ voce, ut *Latinâ*, utuntur Plinius Lib.35. (*hh*) & Svetonius in Vespasianô (*) c.21.

(dd) *Pellex* autem *sic* dicitur, quòd *Maritum* ab *Uxore* fraudulenter *pellicit*. *Pellicere* n. est in *fraudem* aliquem *allicere*. Nonnullis dicitur à *pellendo*, quòd *legitimam uxorem suo* à *Marito* (proh dolor!) ferè *pellit*.

(ee) Extat a. *haec Lex* apud *Manutium* Lib.1. *Antiqu. Romanar.* qui est de *Legibus*, p.125. Apud *Gellium* verò Lib.4. c.3. (& quidem *Tornaesianae Editionis*, quam *caeteris accuratiorem* multoties deprehendimus) his verbis consignata est: PELEX. ASAM. JVNONIS. NE. TAGITO. SI. TAGET. JVNONI. CRINIBOVS. DEMISSIS. ARNVM. FEMINAM. CAIDITO.

(ff) Has *Graeci* ἐρωμένας vocant, easque ab *Uxore legitima* haud iniquè separant. Vid. *Desid. Heraldus* in *Animadv.* ad h.l. p.170. praelaud. *Edition.*

(gg) Similem fermè locum habemus ap. *eund. Arnobium* eod. *Libr.* p.150. ubi verba ita sonant: *Ipse ille* Jupiter, *cujus vos nomen effari non sine metu decuit*, *& totius corporis concussione*, *amasius captus ab Uxore describitur confiteri culpas suas*, *&* *velut demens*, *ac nescius*, *quas* Amiculas *Conjugi*, *quas* *Uxori antepo suerit* Pellices, *obduratus inverecundia publicare*.

(hh) c.10. ubi *Editiones Veterum* pro *Pallaca*, PALLACIA *falsò* substituunt. Illa a. *Pallaca*, cujus h.l. fit mentio, *Campaspe* nominabatur, deamabaturque ab *Alexandro M. Macedonum Rege*. Cùm a. *Apelles* nudam illam ob admirationem formae *Regis jussu* pingeret, eumque *Alexander* pari captum amore sentiret, illi dono dedit eam. Quo de facto *Plinius* subtiliter, atque magnificè (*loc.cit.*) differit: *Magnus*, inquiens, ALEXANDER nempè (*animo*) *major imperio sui*, *nec minor hoc facto*, *quàm victoria aliqua. Quippe se vicit*, *nec thorum tantùm suum*, *sed etiam affectum donavit Artifici*, *ne Dilectae quidem respectu motus*, *ut*, *quae modò* Regis *fuisset*, *modò* Pictoris *esset*.

Confertum significat densum, & constipatum. *Refertum* idem est, quod plenum; sicut *Confarcire* est condensare, *Refarcire* est opplere.(*ii*) Caesar de Bello Gallico: *Ut nunquam conferti, sed rari, magnisque intervallis praeliarentur*. Cicero Lib.2. ad Q. Fratrem. *Litteris* refertis *omni officiô*. Idem pro Sestio: *Meministis tùm, Judices, corporibus Civium Tiberim repleri, cloacas* refarciri. Varro Lib.2. de Re Rustica: *Quô factô, non modò non desistunt pugnâ, sed etiam confarciunt se lingentes.*

(*ii*) Sic *Fartor* facit *fartilem* Anserem farraceis *farturis*, & postquam satis *fartus* est, mactat illum, *farcitque* denuò *farturis* pomorum, vel aliis, atque sic *fartum*, assatumque imponit mensae. Similiter facit *Fartor* ex *effartis* intestinis *farcimina*, quibus *suffarcinatus* prodit in forum hominibus *refertum*, vel *differtum*, exponitque venum *confertim*, quibus voraces, rursum *effarciunt*, & *offarciunt* viscera.

Confidentia interdum in *bonâ*, (*kk*) interdum quoque in *malâ* significatione; (*ll*) *Fiducia* (*mm*) verò semper in *bonâ* accipitur.

(*kk*) & tunc est *vera Fiducia.*
(*ll*) & tunc est verè noxia; praeprimis si est nimia.
(*mm*) Haec *Ciceroni* diversis in locis *Pactum est cum conditione redimendi, redhibendique, quod venditum est.*

Confines sunt, qui iisdem *Finibus* se invicem attingunt. (*nn*) *Vicini*, (*oo*) qui sunt loco proximi. Ita *confines*, dicuntur Agri; Praedia *Confinia*; *Vicini* Homines; *Vicinae* Aedes. Cicero Lib.2. Officior. Vicinitatibus, & Confiniis *aequum facilem*. Sallust. in Jugurtha: *Uti quisque potentiori* confinis *erat, sedibus pellebatur*. Paulus ad Edictum 23. L.4. §.10. de Fin. reg. *Hoc judicium locum habet in* Confiniô *Praediorum rusticorum, urbanorum displicuit; neque enim* Confines *hi, sed magis* Vicini *dicuntur, & ea communibus parietibus plerumque disterminantur.*

(*nn*) Ita *Confinium*, ubi *Limites Agrorum* concurrunt.
(*oo*) Qui in eodem *Vico* habitant, aut in *proxima Vicinia*, sive

Confiscare est (*pp*) in *FISCUM Principis* cogere. *Publicare* est *venale* in *publicum* deducere, & ad *Aerarium Populi* referre. Sallustius in Catilinâ: *Censeo* publicandas *eorum Pecunias*. Svetonius in Augustô: *Devictisque his, & con-*

& confiscatis *promissa Veteranis praemia solverentur*. Confunduntur tamen *haec duo* interdum maximè apud *Auctores posterioris Aevi*, quô ad *Fiscum principis* (qq) omnia redibant. Paulus ad Edictum 32. L.22.§.5. D. Mandat.publicatis *Bonis, quicquid posteà adquiritur, non sequitur Fiscum*. Sext. Rufus in Epitom. Histor. Rom. *Tanta fuit penuria Aerarii Romani, & tàm ingens fama opum Cypriarum, ut, Lege latâ, Cyprus* confiscari *jubere-tur*.

(pp) *Principis Fisco* Bona adjudicare, seu

(qq) [Singulari cura *Fiscarii*, qui diligenter, quae Bona *confiscanda* erant, cognoscebat.]

Confiteri est contra se fateri. (rr) Undè *Confessio* (propriè) definitur qualiscunque contra se Pronuntiatio. *Profiteri* pro se edere. *ILLUD* plerumque fit *coactè*; *HOC ultrò, & palàm*. (ſſ) Cicero pro Caecinnâ: Confitetur, *atque ita libenter* confitetur, *ut non solùm* fateri, *sed etiam* profiteri *videatur*. Idem: *Hoc ego non solùm* confiteor, *verùm etiam* profiteor. Sic *Confitemur* Delicta; *Profitemur* Censum, Artem, Indicium. Sallust. in Jugurthâ: *Multis hortantibus, & imprimis*, Albinô *Consule, indicium* profitetur. Tacitus Lib.5. Annal. *Et summum supplicium parabatur, nî* professus *indicium foret*.

(rr) In *specie* Sacerdoti peccata sua *apertè* fateri.

(ſſ) Ideòque *propriè* idem est, ac *publicè* fateri. Interdum quoque est *publicè*, & *apud Acta* aliquid enunçiare, ut cùm *Magistratui deferimus, quantum rei alicujus à nobis possidetur*, hoc est, ut *vulgo* dicitur, *designamus possessiones*, & *Reditum nostrum*, vel *Bonorum nostrorum magnitudinem*. Sic ex provinciis decedentes quondam Imperatores *profitebantur* inter certos dies. Antiqui quoque *Liberos natos* sibi *profitebantur* apud *Acta*. Sic enim *Juvenalis* Satyr.9. v.84. seqq.

Tollis enim, & libris Actorum *spargere gaudes*
Argumenta Viri. foribus suspende coronas,
Jam PATER *es*.

Immò *Profiteri* etiam idem est, ac *Disciplinam*, *Artemve aliquam tenere se significare*.

Confutare (tt) est redarguere verbis. *Refutare* est reprimere aut factô, aut verbis. *Repudiare* (uu) non admittere; quod *plus* est, quàm *Confutare*. (xx) Terent. in Phorm. (yy)

- - - Confutavit (zz) *verbis admodùm iratum Patrem.*

Cicero pro lege Maniliâ : *Obsolevit jam ista ratio, re multò magis, quàm verbis* refutata.

(tt) *Propriè* de *Olla fervente* dicitur, & idem est, ac illam affusa aqua frigida, compescere; *Tropicè* verò Argumenta solvere, atque refellere denotat.

(uu) est *repellere*, vel *rejicere*, & consequenter.

(xx) Sic SPONSUS aliquandò repudiat SPONSAM, aut ipse accipit *Repudium*, fiuntque *repudiosae* Nuptiae.

(yy) Act. 3. Sc. 1. v. 13. Sic *Confutari Dictis* dicitur in *Heavtontim.* Act. 5. Sc. 1. v. 76.

(zz) Sc. *Phormio Parasitus*, & quidem *servili contemtu.*

Conjectura est rei latentis indicium, quae per *rationes*, & *signa* veritatem exquirit. (a) *Suspicio* est de re incognitâ tenuis dubitatio, (b) quae *subitò* incidit. *Haec* levis est, & ut plurimum falsa; *Illa* firmior, & verisimilior. Cicero de Lege Agrariâ : *Haec à me* suspicionibus, *&* conjecturâ *coarguuntur.*

(a) Vnde, & pro ipsa *Opinione*, *Divinatione*, *Auguratione*, atque *Argumento probabili* accipitur.

(b) seu *Scrupulus*, vel scientia incerta.

Conjuratio est, quae Jurejurandô firmatur, ut *Conjuratiò Catilinae in Rempublicam*, de quâ Sallustius: *Fuere eâ tempestate, qui dicerent*, Catilinam, *oratione habitâ, cum ad Jusjurandum Popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vinô permixtum in pateris circumtulisse*. *Conspiratio* fit solô consensu, (c) ut *conspiratio* in *Caesaris Necem*, de quâ loquens Svetonius haec duo confundit, ut: *Quae causa* Conjuratis *maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset*. Rursus : Conspiratum *est in eum à sexaginta amplius*, C. Cassiô, *&* D. Brutô, *Principibus* Conspirationis.

(c) Vndè & *Conspiratio* nonnunquam quoque *Consensionem*, seu ipsum *Consensum* denotat. Immò &, si in primis in *malam partem* sumitur, pro ipsa *Conjuratione* à *Cicerone*, & *Livio* passim usurpatur.

Conlucare Arbores, est decidere ramos (d) officienteis lumini, & locum luce implere. *Sublucare*, est ramos supputare, & veluti subtus lucem mittere, ut interpretatur *Festus*, (e) Columella Lib. 2. *Neque terram aperire,*

re, neque Arborem conlucare. Paulus Lib. 5. *Sententiar.* Arbor, *quae in alienas Aedes, vel in Vicini Agrum, imminet, nisi à Domino* sublucari *non potest, isque conveniendus est, ut eum* sublucet. Utrumque in *profanô lucô* olim licebat, in *sacrô*, non, nisi factô piaculô, ut tradit Cato de Re Rust.

(d) nempè *profanae Silvae.*

(e) Lib. 3. & Lib. 16. Conf. *Simonis Schardii* Lexicon Juridicum p. 240. col. b.

Conscribere est multa *simul* scribere. *Exscribere*, quod ab *aliis* scriptum sit, transferre. *Transcribere*, cum Jus nostrum in *alium* transit. (f) *Inscribere* Accusationis est, vel Occasionis. *Adscribere* Significationis. *Describere* Dictionis, vel Ordinationis. *Agraetius.*

(f) Sic *fundum alicui transcribere*, est Jure cesso tradere. Ponitur & *Transcribere* pro eo, quod *vulgò super alium onerare*, dicunt. Nonnunquam quoque idem est, ac in *aliud Exemplum* aliquid scribere, quod JC*tis* vulgò, & communiter dicunt *Copiare.*

Consecrare est è profanô sacrum facere, non *verbis* modò *solemnibus*, sed etiam *manu*. *Dedicare* est DEO *dicendô* dare, atque dicare. Itaque *Consecratio* prior, & religiosior est, quàm *Dedicatio.* (g) Cicero pro Domô: *An* Consecratio *nullum habet jus*, Dedicatio *est religiosa? Quid ergò illa tua tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt?* Sic olim *Consecrabantur* REGES, & IMPERATORES MORTUI, cùm in *Deorum* numerum referebantur magnificentissimô apparatu, quem describit *Herodianus*; item LOCA PROFANA, & BONA DAMNATORUM, quae *religione* obstringebantur; rursus AEDES SACRAE, ARAE à Magistratu, *Pontifice* praeeunte, dicendô *Dedicabantur.* (h) Cicero in Consolatione de Morte Filiae: *Teque omnium optimam, doctissimamque, approbantibus Diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam ad opinionem omnium Mortalium* cōsecrabo. Idem de Lege Agrariâ in Senatu: *Tùm ipsam veterem* Carthaginē *vendunt, quam* P. Africanus *nudatam tectis, ac moenibus suis, ad notandam* Carthaginiensium *calamitatem, sive ad testifican-*

ficandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem, ad aeternam hominum memoriam consecravit. Et pro Domô: *Potestis, Pontifices, non commoveri, cùm suis dicat se manibus domum civis optimi evertisse, & eam iisdem manibus* consecrâsse? *Quae tua fuit* consecratio?

(g) Alii *hanc Differentiam* hunc in modum exprimunt dicendo: *Consecrare* idem esse, ac *Mancipare*, & ad *Res* referri; *Dedicare* verò, seu *dicare*, denotare *propriè* aliquid dicendo deferre, atque obsequio dare praestanti cuidam NVMINI, inque *perpetuū* aliquid constituere.

(h) Vid. *Schardius* loc. cit. p. 240. col. b.

Consequimur studiô; (i) *Obsequimur* officiô; *Persequimur* injuriâ; *Prosequimur* ordine; *Assequimur* votô. *Agraet.*

(i) Ideòque *Consequi* idem est, ac *adipisci*, atque obtinere. Nonnunquam quoque pro *assequi* eleganter ponitur. Sic *ex Reipublicae causa gloriosam Victoriam* consequi apud *Ciceronem* pro *Coelio* invenies.

Consideratius est proverbium ex *Cognomine*; *Considerantius* ex *Participio*. Corn. Fronto.

Consignare est Signô impressô occludere; *Obsignare* est testificandi gratiâ Signum imprimere. (k) Undè *consignari* dicuntur Litterae, *consignari* Pecunia, quòd in sacculô, linô trajectô, signisque cerae impressis olim deponebatur; & *Obsignari* item Litterae, Testamenta, cùm Testium subscriptione, & annulis signatoriis firmantur: *Obsignari* Bona, Praedia, Aedesque, cùm Tabulis signatis obligantur, vel in publicas Tabulas referuntur, ut ab Apparitoribus fieri solet. *Plautus in Bachidibus*: (l)

- - *Has Tabellas* obsignatas, consignatas, *quas fero.*

Confundunt tamen haec Auctores, ut *Consigno* pro *Obsigno*. Cicero pro Quintiô: *Tabulae maximè Signis hominum nobilium* consignantur, *à quô* Consignationes *appellantur testationes, in Tabulis* obsignatis *perscriptae.* Quintilianus Lib. 13. *Promittit enim Litigator omnia, Testem Populum, paratissimas* Consignationes. Rursus *Obsigno* pro *Consigno*. Cicero pro Flaccô: *Laudatio* obsignata *erat cretâ illâ Asiaticâ, quae fere est omnibus nota nobis.* Idem pro Cluentiô: *Pecuniaque* obsignata, *quae ad eam rem dabatur, in manibus* Scamandri *deprehenditur.*

(k) Seu impressione Signi sui testari, & confirmare. Aliàs *Obsignare*

Ver-

Verbum est *antiqui Juris*, quod ad injurias propulsandas, dum alicujus Bona publicè possidentur, pertinet.
(*l*) Act.IV. Sc.9. v.11. Conf. Sc.7. ejusd. Act. v.4. & Sc.8. v.83.

Consuescimus Bona; *Insuescimus* Mala; *Assuescimus* utraque. *Agraet.*

Consuetudo est Jus quoddam non scriptum, tacitô consensu Populi, & voluntate utentium introductum. (*m*) *Mos* autem (*n*) est ipse actus, & usus inveteratus, ex quô consuetudo induci solet. (*o*) Cicero pro Cluentiô: *Non* Mos, consuetudoque *servata*. Item Lib.1. Offic. *Ad eorum* Consuetudinem, Moremque *deduci*. Ibidem: *Contra* Morem, Consuetudinemque *civilem fecerint*. Arnobius Lib.2. *Fiet enim familiaris è* More Consuetudo *in naturam versa*. Etsi haec frequenter confunduntur, maximè ab *Auctoribus Juris*, apud quos *Consuetudo* factum nudum denotat, & *Mos* Jus non scriptum: cujus rei exempla ex ipsorum Libris plurima depromi facilè possunt.

(*m*) Apud *Ciceronem* ponitur quoque saepissimè pro *intima quadam Familiaritate*, sive *Amicitia*. *Plautus* autem *Consuetionem* pro *Consuetudine*, sive *Assuetudine*, h. e. *assuescentis Habitu* haud infrequenter usurpat.
(*n*) quod à *Modus* per *Syncopen* deducitur.
(*o*) *Julio Festo* de *Verbor. Signif.* Mos est Institutum patrium pertinens ad *Majorum Religiones*, atque *Ceremonias*.

[*] *Consul* est Tutor annuus Reipublicae, seu Senatus Praeses, publicorumque Consiliorum Director. Dicebatur quoque olim is *Consul*, qui *Exercitui* solus imperabat. *Consularis* autem est, qui non solùm ipse *Consul* fuit, sed cujus Majores etiam *Consulatum* gesserant. Vnde *Consularis Dignitas*, & *Consulare Officium*.

Consulta appellantur, quaecunque de *Consilii sententiâ* statuuntur; *Decreta* sunt, quae *Praefectus*, aut *Magistratus* sine *Consiliô* singulis de rebus pro *suô judiciô* decernit, & pronunciat. (*p*) Sallust. in Jugurthâ: *Oportere quinquennii* Consulta, & Decreta *omnia rescindi*. Livius Lib.3. *Levius enim, vaniusque profectò est sua* Decreta, & Consulta *tollere*, *quàm aliorum*. Sed *Senatûs consultum*, & *Senatûs decretum* aliter differunt, ut suô locô dicemus.

(*p*) Ideòque DECRETA sunt vel *Interdicta*, vel *ipsa Consulta*, vel Sci-

Scita. Vndè Ciceronianae Formulae: *Decretum facere*, atque *Decretum interponere*.

Consultor est, qui consulit; *Consultus*, qui consulitur. (q)

(q) Seu à quo Consilium est petitum. Quando autem est *Nomen*, & non *Participium*, [uti h. l.] ponitur pro JURIS *Prudente*.

Contemnere est parvi ducere; *Despicere* infra se existimare; *Spernere* cum fastidiô rejicere, & segregare; (r) Ita *Contemnere* plus est, quàm *Despicere*; *Spernere* plus, quàm utrumque istorum. Cicero pro Muraenâ: *Rempublicam* despexit, *atque* contempsit. Idem Lib. 2. Offic. Despiciunt *autem eos, &* contemnunt. Terent. in Andriâ: (s)

Quot modis contemtus, spretus?

(r) Ideòque sunt nonnulli, qui Verbum SPERNERE à *separando* deductum esse existimant, quoniam ea, quae fastidimus, rejicere, ac quasi à nobis separare solemus.

(s) Act. 1. Scen. 5. vers. 13.

Continuè fit, quod assiduè; *Continuatè*, quod sine intermissione. *Corn. Fronto.*

[*] *Contra* Particula Anthithesєos est; *Vicissim* alternationis. Attamen nonnunquam ab optimis Latinis, *Paulo* in primis *Manutio*, CONTRA pro *Vicissim* poni constat.

Contrarium est negotium; *Adversarius* est homo. *Corn. Fronto.*

Contumelia gravior est, quàm *Injuria*. (t) Nam *Contumelia* Dignitatem alterius atterit, & minuit: *Injuria* laedit Famam, vel damnum infert, aut injustè agit. Haec enim tria *specialiter Injuria* significat, *Convitium*, ut in actione Injuriarum; *Damnum* culpâ datum, ut in *Lege Aquiliâ*; *Iniquitatem*, & *Injustitiam*, ut tradit Ulpianus L. 5. §. 1. D. ad *Leg. Aquil.* Sallust. in Catilina: Injuriis, contumeliisque *concitatus*. Cicero Lib. 3. in Verrem: *Cum maximis* injuriis, contumeliisque. Idem: *Quibus tu privatim* injurias *plurimas*, contumeliasque *imposuisti*. *Contumeliam* inferunt, *Injuriam* patiuntur homines. *Corn. Fronto.* Pacuvius in Periboeâ: (u)

Patior facilè injuriam, *si est vacua à* contumeliâ.

(t) HAEC *generaliter*; ILLA autem *specialiter* consideratur. Ex quo apparet *Contumeliam* plus esse, quàm *Injuriam*.

(u) P. 251.

(*u*) p.251. Edition. *Stephanianae*, ubi *Nonius* hunc Locum sic illustrat: Injuria *levior quaedam res est* Contumelia.

Convenit in unum, *Coit* in multos. *Corn. Fronto.*

Copiae de Exercitu Num. plurali dicimus; *Copia* verò aliarum rerum est. (*x*) *Servius.*

(*x*) Aliàs *Copia* à *Varietate* sic distinguitur, quòd potest esse *Copia* aliquarum rerum sine *varietate*, ut: si quis *Virgilios*, ut ita dicam, mille habeat, & praetereà nullos Poëtas alios, magnam hic quidem *copiam* Librorum habet *Virgilii*, sed non Poëtarum *varietatem*.

Coram indiget adjectione, *Palam* non indiget. *Coram* ad certas Personas refertur, (*y*) ut: Coram, *quem quaeritis, adsum*. Palam *ad omnes. Donatus.*

(*y*) Lege *Johannis Strauchii*, JCti summi, Lexicon *Particularum Juris* p.36. col.b. ubi videndum, *Particulam* CORAM non solùm *Proximitatem* significare, sed & *Praesentiam intellectualem*, atque *operativam* aeque, ac *Personalem* importare.

Corinthium Civem dicimus, *Corinthiacum* Vas, inquit *Fronto*. Contra Svetonius in Augustô, Vasa *Corinthia* & *Corinthia* Supellex, *Cicero.*

Corium est durius, & majorum Animalium, ut *Boum, Equorum*; (*z*) *Pellis* est tenuior, & minorum Animalium, ut *Hominis, Leonis, Ovis, Canis, &c.* At hoc *corium* est crudum; *Pellis* est corium maceratum, atque emollitum, (*aa*) Varro Lib.6. de Linguâ Lat. *Etiam nunc dicimus Scortea ea, quae ex* Corio, *&* Pellibus *sunt facta*. Idem Lib.1. de Vita Populi Rom. *Etiam* Pelles *bubulas oleô perfusas percurrebant*. Sallust. Lib.4. Histor. *De Pecore* Coria *recens detracta.*

(*z*) Alii dicunt, CORIUM *propriè* esse eorum Animalium, quae crassiorem, ac duriorem pellem habent, quod & Scortum dicitur.

(*aa*) Seu Cutis à carne detracta [aut etiam elaborata] mollior.

Cornus ipsa Arbor dicitur; (*bb*) Pomum verò *Cornum*, & *Corna*. Virgil. Lib.3. *Aeneid.* (*) v.647.

- - - *Lapidosaque* Corna.

(*bb*) Haec Arbor habet ramos duritie, & rigiditate *Cornibus* [undè & isti nomen] non absimileis, & reddit fructum circa Solstitia primò *candidum*, posteà *sanguineum*. Ex eo genere foemina post *Autumnum* fert Baccas acerbas, & cunctis animantibus ingustabiles; Ligno quoque fungoso est, atque inutili. Vid. *Perotti* CORNUCOPIAE *Epigr.* 1. *col.*24. *lin.*44. *seqq.*

Corollaria sunt ea, quae praeter debitum addita sunt, tan-

tanquam auctuaria, & superpondia. *Spieg. Corollariae* autem Corollae erant, è laminâ aereâ, vel argenteâ tenui inauratâ, (cc) *Turneb. Lib.* 18. *Advers. c.* 29.

(*cc*) aut subtiliter inargentata, quae ob gracilitatem COROLLAE eleganter appellatae sunt.

Coronae sunt, quae cingunt, & ambiunt *Caput*, aut *Collum*, aut *Pocula*. (*dd*) *Serta*, quae demissa pendent, quod genus Cicero Lib. 2. de Legibus vocat *Longas Coronas*, Ovidius *porrectas*. Ita enim canit:

Tegula porrectis *satis est vallata* Coronis. Plautus Asinaria: (*ee*)

Tùm si Coronas, Serta, *unguenta jusserit*,

Lucret. Lib. 4. de Rer. Nat. (*) v. 1124.

Pocula crebra, *Unguenta*, Coronae, Serta *parantur*.

Arnobius Lib. 7.

Etiam Dii Sertis, Coronis *afficiuntur*, *&* *floribus*.

(*dd*) Ejus *Originationem*, atque *Synonymiam* vide in *Libello* nostro de *Poëtarum* CORONA Historico-Philologico Cap. 1. §. 7. seqq. p. 8. seq. Edition. *Cygn.* Vt autem CORONA non solum *Magistratum*, & sic *Regni*, atque *Victoriae* quoque, sed & *Civium privatorum* est Insigne: Ita DIADEMA tantùm Insigne Regum est.

(*ee*) Act. 4. Sc. 1. v. 58.

Corrigere est rectum facere, & in locum suum restituere; *Emendare* verò est ab omni maculâ, & labe purgare, quod plus est, Livius Lib. 52. *Si quid fecerim imprudentiâ lapsus*, corrigi *me*, *ac* emendari *hac castigatione posse*. Gellius Lib. 6. *Spes contrà nulla est*, emendari *eum posse*, & corrigi. Tacitus Histor ar. Lib. 1. *Aut ipse praedicat* emendata, *&* correcta. Plinius in Panegyricô: *Corrupta est disciplina castrorum*, *ut tu* corrector, emendatorque *contingeres*.

[*] Sic *corrigimus* quoque *prava*; *Inflectimus* autem, quae fuerunt recta.

Corruptela ipsa res est, (*ff*) *Corruptio* corrumpentis administratio. *Corn. Fronto.*

(*ff*) quae vim rumpendi habet, ac propter eà corrumpit.

Corruptum est, quod aliquô modô vitiatum, aut violatum; (*gg*) *Depravatum*, quod distortum, & (*hh*) perversum est. Cicero Lib. 2. Officior. Corrupti *mores sunt*, de-

pra-

pravatique *admiratione divitiarum*. Idem pro Muraenâ: *Jurisconsultorum ingeniis pleraque* corrupta, *ac* depravata *sunt*. & pro Fontejo: *Quid pretiô* corruptum? *quid spe, aut metu* depravatum? & Lib. I. de Finibus: *De quibus neque* depravatè *judicant, neque* corruptè.

(gg) aut ruptum, aut prorsus est destructum.
(hh) contaminatum, pravum factum, &

[*] *Creare* est ex nihilo aliquid producere; sed *Facere*, praeter *productionem Operis cujusciam*, etiam *faciendi* h. e. *dandi, solvendi, numerandi, judicandi, ambulandi, reddendi, aliarumque rerum*, & *actionum* CAUSAM complectitur.

Creditum, & *Mutuum* L. I. & 2. D. de Reb. cred. ita differunt, ut *Genus*, & *Species*. Nam Creditum etiam consistit extra res eas, quae *pondere, numerô, mensura* continentur: sicuti si eandem rem recepturi sumus, *Creditum* est. (ii) At *Mutuum*, si non eandem rem, sed aliud tantundem, id est ejusdem naturae, & qualitatis cum eô, quod dedimus. (kk) Item *Mutuum* non potest esse, nisi proficiscatur res aliqua, & de meô tuum fiat: *Creditum* autem fit interdum, etiamsi nihil proficiscatur, veluti si post nuptias dos promittatur, aut stipulatio ad obligationem comparandam interponatur, ut est in Libris *Jurisconsultorum*.

(ii) *Creditum* significat usuras quoque, de quibus fidem habere dicebatur *Creditor*, quod eas suo tempore non exegisset. sors ipsa non tàm *credita*, quàm usuris occupata, & locata erat. Conf. *Scbardii* Lexicon Juridic. p. 257. col. b.
(kk) Ideòque *pariter*, atque *aequaliter respondens* haud inconcinnè dicitur.

Crimen (ll) est fraus capitalis, quâ *Respubl.* laeditur, veluti *Caedes, Falsitas, Adulterium.* (mm) *Delictum* verò privata noxa, quâ privatim quisque laeditur, (nn) veluti *Furtum, Injuria.* L. 17. §. 16. ff. *de aedil. Edict.*

(ll) *generaliter* notat Factum, quod malum judicatur; deindè
(mm) vel quando quis contra *Principem*, vel *Urbem* aliquid molitur, aut qui profugit ad *Hosteis*, vel illos juvat qualicunque causa, scilicet *armis, consilio, vel pecunia.*
(nn) Vndè, & *Delictum*, & quidem ex *Ciceronis* mente, *domesticum, atque vernaculum crimen* optimè appellatur.

Crustae sunt Laminae inauratae, quae *Poculis*, aut *Va-*

sis

sis inferuntur, ut vix refelli possint. (oo) *Emblemata* (pp) sunt Ornamenta pretiosa, quae *Scyphis*, *Speculis*, *Absidibus*, *Vasisque* affiguntur, ita tamen, ut sint exemtilia. Cicero Lib.6. in Verrem: Crustae, *aut* Emblemata *detrahebantur*: *Sic* Haluntini, *excussis delitiis*, *cum argentô purô domum revertuntur*. Paulus ad Vitellium *Lib.2.L.32.§.1.ff.de Auro argen. Cymbia argentea* crustis *aureis illigata*. Ibidem: *Aurea* Emblemata, *quae in absidibus argenteis essent.*

(oo) *Propriè* verò denotant tegumenta duriuscula, quae carni assatae plerumque obducuntur.

(pp) Aliàs *Emblemata*, quae *Graeci* ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, hoc est, ab *interserendo* derivant, *trifariam*, distinguuntur, ut quae in *Parietibus* fiunt *vermiculata*, MVSIVA; quae in *Lignis*, SEGMENTATA; & quae in *Pavimentis*, TESSELLATA plerumque appellentur.

Cubicularius est, qui cubiculum custodit: (qq) quod nomen summae Dignitatis fuit apud *Romanos*, maximè temporibus *Imperatorum*, ut testatur *Svetonius*, qui nominat AVGVSTI, & NERONIS *Cubicularios*, & DOMITIANI Decurionem *Cubiculariorum*, qui scilicet ad similitudinem Militiae *Cubiculariorum* Ordinem ducebat. *Cubicularis* est aptus Cubiculo, ut Lectus Cubicularis, in quô Veteres dormiebant, sicuti in Tricliniari accubantes cibum sumebant. Cicero Lib.6. in Verrem: *Hunc vestri janitores, hunc* Cubicularii *diligunt.* Idem L.2. de Divinatione: *Quidam somniavit ovum pendere è fascia lecti sui* Cubicularis.

(qq) hoc est, Minister Cubiculi, seu qui nobis administrat in Cubiculo.

Culmus est ipse calamus; (rr) *Stipulae* verò folia, quae ambiunt *culmum.* (ss) Servius.

(rr) *Frugum*, seu *Frumenti* imprimis, à radice nempè ad spicam usque, quem Veteres à *colendo* COLVMNVM dixerunt. Vndè & *Columen* primò, posteà *Colmen*, seu *Culmen*, quod non solùm Tectum è culmo stramineum, sed & Tecti cujusdam, seu cujuslibet rei Cacumen denotat.

(ss) In *specie* autem *Stipula* id denotat, quod post messem in campo remanet.

Cujus ad PERSONAM refertur; *Cujatis* UNDE signi-

gnificat. Attius in Telepho: (*) p.39. Fragm. *Vett. Poetar.*

Qui, *neque* Cujatis *esset unquam*, *potuimus multi*
Rogitantes rescìscere.

Cultus est in Vestibus, gemmis, aurô, & argentô; *Ornatus* est in curâ comendi Capitis, poliendaeque, & ornandae Cutis, ut ostendit Tertullianus in Libro de Habitu muliebri: *Habitus*, inquit, *Foeminae duplicem speciem circumfert*, Cultum, *&* Ornatum. Cultum *dicimus*, *quem Mundum muliebrem vocant*; Ornatum, *quem Immundum muliebrem convenit dici*. Ille *in Aurô*, *& Argentô*, *Gemmis*, *& Vestibus deputatur*; iste *in Capillorum*, *& Cutis*, *& earum partium Corporis*, *quae oculos trahunt*. Alteri *ambitionis crimen intenditur*, alteri *prostitutionis*. Cicero in Curionem, & Clodium: *Tu verò festivus*, *tu elegans*, *tu solus urbanus*, *quem decet muliebris* Ornatus, *quem incessus Psaltriae*. Livius Lib.14. *Munditiae*, *&* Ornatus, *&* Cultus *haec Foeminarum insignia sunt*, *his gaudent*, *& gloriantur*; *hunc Mundum muliebrem appellarunt Majores nostri*. Cyprianus de Disciplinâ, & Habitu Virginum: *Ad* Cultum, *atque* Ornatum *tuum justè fine moderandum*. Sed interdum utriusque Vocabuli notio latissimè patet, & *Ornatus* significat omne, quod Ornamenti gratiâ adhibetur; *Cultus* verò omnia continet, exceptô victu, quibus utuntur homines, vel *Ornamenti*, vel *Commodi*, vel *Delectationis* etiam causâ.(*tt*) Svetonius in Caligulâ: *Triumphalem quidem* Ornatum *etiam ante expeditionem assiduè gestavit*. Cicero in Oeconomico: *Quid si vestem*, *& caeterum* Ornatum *muliebrem pretii majoris habeat*, *quàm tu habes*? Idem ad Varronem: *Eundem* Cultum, *eundemque victum esse*. Et Lib.1. Officior. *Student parare ea*, *quae suppeditant*, *& ad* Cultum, *& ad victum*.

(*tt*) Alii aliam inter CULTUM, & ORNATUM constituunt *Differentiam*, dicendo: CULTUM propriè ad *Rem rusticam* pertinere; nonnunquam etiam extra *Rem esse rusticam*. Cùm verò sit extra *Rem rusticam*, vel *activam*, vel *passivam* significationem in se habeat. ORNA-

NA-

NATVS autem dicitur cultus ipse, quo quis ornatur: ut, cùm dicimus aliquem Tragico, vel Comico ORNATV prodire. Et haec propria videtur esse *Ornatus* significatio; extra quam tamen saepissimè egreditur, refertur que ad alia: ut, cùm appellamus *Ornatum Orationis*, & intelligimus vel *Verborum splendorem*, vel *Sententiarum gravitatem, atque lumina*. Vid. Doleti Phrases, & Formulae elegantiores L. L. fol. b. col. 1.

Cupido (*uu*) inconsideratae necessitatis; *Amor* verò judicii. (*xx*) Plaut. in Bacchid.

Cupido *te conficit*, *anne* Amor?

Cupiditas levior est, quàm *Cupido*. Lucilius Lib. 23. Cupiditas *ex homine*, Cupido *ex stulto nunquam tollitur*.

(*uu*) Poëticè CVPIDO, est ardens Cupiditas, & propterea.

(*xx*) AMORES autem in *Plurali Numero* semper pro *turpibus*, atque *Venereis*, immò & pro *Deliciis* sumuntur. Alias AMOR *Pietatem, Gratiam, Benevolentiam*, ac *Studium* etiam designat.

Cupio est cùm vehementi affectione appeto. (*yy*) *Volo* modestè (*zz*) desidero; adeòque *Hoc* simplicem animi motum, *Illud* ingens desiderium notat. Cicero Lib. 2. de Republicâ: *Non gravarer*, Laeli, *nisi & hos velle putarem*, *& ipse* cuperem, *te quoque aliquam partem hujus nostri sermonis attingere*. Idem in Catone: *Speramus*, Volumus *quidem certè*, *Senes fieri*. Ibidem: Volumus *sane*, *nisi molestum est*. Item: Cupimus *mala*, *& turpia*. Volumus *bona*, *& honesta*. Afranius: Amabit *sapiens*, cupient *caeteri*. Quae tamen differentia non semper observatur, ut ex *Cicerone*, & *Terentio* ostendit Augustinus Lib. 14. de Civitate DEI his verbis: Apud Auctores secularium Litterarum *talis istorum verborum indifferentia reperitur*; *Ait enim* Cicero *Orator amplissimus*: CVPIO, Patres conscripti, *me esse clementem*. *Quia hoc verbum* in bono *posuit*, *quis tàm perversè doctus existat*, *qui non eum* CVPIO, sed VOLO *potius dicere debuisse contendat*. *Porrò apud* Terentium *flagitiosus Adolescens*, *insanâ flagrans cupidine*: *Nihil* VOLO *aliud*, inquit, *nisi* Philumenam. *Quam* Voluntatem *fuisse libidinem*, *responsio*, *quae ibi servi ejus senioris inducitur*, *satis indicat*.

(*yy*) Vn-

(yy) Vndè apud *Ciceronem* pro Sext. Rosc. Amerin. *summè aliquid cupere*; & apud *Terentium* in Adelph. Act.V. Sc.IX. v.36. *impensè cupere* (h.e. quaecunque lubent) legitur.

(zz) seu *rationabiliter* aliquid appeto, vel

Cura est in conservatione Bonorum; (*a*) *Sollicitudo* in metu Malorum. (*b*) Terent. in Phormione: *Quanta me* curâ, & sollicitudine *afficit gnatus*. Cicero de Lege agraria: *Ad* curam, sollicitudinemque *multò magis*. Plinius Lib.5. Epistolar. *Amavi* curam, & sollicitudinem *tuam*. Svetonius in Caligulâ: *In testificanda* sollicitudine, & curâ *de incolumitate ejus*. *Curatio* propriè Medicorum est; *Cura* reliquorum. *Curatio* & Medicinae, & Mentis; *Curatura* Diligentiae.

(*a*) Ideòque *Cura* de re quapiam rectè expedienda dicitur attenta cogitatio. *Rodulfus Goclenius* in *Observationibus* L.L. p.228. CVRAM adjungit OPERAE, dicendo: ILLAM esse *animi*; Hanc verò ad *corpus*, & ad *animum* simul, sicut & *Diligentiam*, pertinere.

(*b*) Vndè & pro ipso *metu*, atque *angore* ponitur; & dicitur aliàs CVRA, *Mentisque inquietudo*.

Curatores sunt, (*c*) ad quos spectat cura *Puberum*, & eorum, qui negotiis superesse non possunt, quales sunt *prodigi*, *furiosi*, *dementes*, ac *perpetuô aliquô morbô impediti*. (*d*) *Tutores* dantur *Impuberibus*, qui se per aetatem defendere non possunt. Illorum munus *curatio* (*e*) appellatur; Horum *Tutela*, de quibus prolixè tractant *Jurisconsulti Tit. Instit. de Tutel. & de Cur.* & alias horum Verborum Differentias tradunt ad Jus pertinentes, quas nihil est necesse heîc referre. Sed alii *Auctores*, & maximè *Poëtae*, hanc *Differentiam* confundunt, apud quos *Tutelae* Nomen *generale* est. Horat. Lib.2. *Serm.* (*f*)

- - - *Interdicto huic omne adimat Jus*
Praetor, & *ad sanos abeat* Tutela *propinquos*.

(*c*) quibus mandatur rei alicujus Curatio, seu

(*d*) Hinc CICERONIANVM illud, *Curatorem* constituere.

(*e*) *Curatio* quoque munus est à nobis susceptum, ad quod exequendum Curae nostrae feruntur. Competit & *Medicis*, quoniam in ea diligens versatur cura.

(*f*) Satyr.3. v.218.

Custodiae appellatione solâ publica intelligitur, quâ Rei continentur. (*g*) *L.224.D. de Verb. Sign. Vincula* tàm pri-

privata sunt, quàm publica. Itaque in *custodia* esse dicitur, qui in carcerem detrusus est, vel aliquâ publicâ custodiâ coërcetur: In *Vinculis* autem, quicunque vinctus est, sive publicè à Magistratu, sive privatim, (*h*) ut *Captivus* à Latronibus, aut Praedonibus, *Servus* à Dominô. Quae *Differentia* à *Jurisconsultis* tradita ab aliis quoque *Auctoribus* observatur. *Plautus in Captivis*: (*)Ita vinculis, custodiisque *circummoeniti sumus*. Cicero Orat. I. in Catilinam: *Sed quàm longè videtur à* carcere, *atque à* vinculis *abesse debere, qui seipsum jam dignum custodiâ judicaverit*. Sallust. in Catilinâ: *Publicandas eorum pecunias, ipsos in* Vinculis *habendos per Municipia*. Ibidem: *Pecunias eorum publicandas, ipsos per Municipia in* Custodiis *habendos*.

(g) Veteres minimè incommodè dixerunt *Custodelam*. Et quoniam hoc Vocabulum non solum est *Actionis*, sed & *Personae*, fit ut (1.) pro *fide ejus, qui rem* CVSTODIT (2.) *pro eo, cui rem damus in* CVSTODIAM, accipiatur.

(*h*) Ideòque VINCVLA ponuntur quoque pro *Carcere*, in quo noxii vincti servantur. VINCVLVM autem in singulari Numero *Ligamen* designat.

(*) Act. 2. Sc. 2. v. 4.



AU-

AUSONII POPMAE
DE DIFFERENTIIS VERBORUM,
LIBER SECUNDUS.



Amnati ad GLADIVM (1) erant, qui in LVDVM dabantur, ut confestim, aut certè intra annum à *Gladiatoribus* ferrô consumerentur. *Damnati ad* GLADII LVDVM, sive, ad LVDVM GLADIATORIVM, qui Poenae causâ in LVDO depugnabant, & expletô temporе legitimô veniam, atque missionem à *Magistratibus* consequebantur. *Illud* inter supplicia, quae vitam adimunt; *Hoc* in mediocrium poenarum numerum referebatur. Vlpianus Lib.8. de Officio Pro-Consulis: *Est Differentia inter eos, qui ad* GLADIVM, *&* *eos, qui ad* LVDVM damnantur. *Nam ad* GLADIVM damnati *confestim consumuntur, vel certè intra annum debent consumi; Hoc enim mandatis continetur. Enim verò, qui in* LVDVM damnantur, *non utique consumuntur, sed etiam Pileare, & Rudem accipere possunt post intervallum, siquidem post quinquennium Pileare; post triennium autem Rudem induere eis permittitur.* Paulus Lib. 5. Sententiar. *Summa supplicia sunt* Crux, Crematio, Decollatio; *Mediocrium autem delictorum poenae sunt* Metallum, LVDVS, Deportatio: *Minimae* Relegatio, Exilium, Opus publicum, Vincula. *Sane qui ad* GLADIVM *dantur*, intra *annum consumendi sunt*. Capitolinus in Macrino: *Servos, qui à Dominis fugissent, repertos ad* GLADII LVDVM deputabat.

(1) Alias vocantur *Damnati ad Ferrum*, sicuti tradit *Alciatus* Lib. 1. *Parerg.* Cap.23. Conf. *Barnabae Brissonii* Lib. 5. de *Formulis*, & *Solennibus P.R. Verbis* p.486.

Damnati in Metallum dicebantur, qui arctioribus vinculis alligati in *ipsis Metallorum Fodinis* tenebantur, nec se indè poterant movere. (*k*) *Damnati in Opus Metalli*, qui duntaxat *Operi Metallico* addicti, & mancipati levibus vinculis coërcebantur. Nam inter hos Differentia in *Vinculis* tantùm est, ut scribit *Ulpianus* L.28.§.6. *D. de Poen.*

(*k*) Vid. *Schardii* Lexicon Juridicum p.268. col.a. ubi legendum; quòd *Ulpianus* hanc Differentiam quam fusissimè explicet.

Damnum significat amissionem, & ademtionem quarumcunque rerum, quas habuimus; (*l*) *Detrimentum* autem diminutionem, vel attenuationem, (*m*) quod quidem minus est, quàm *Damnum*. Cicero Lib.3. in Verrem: *Etiamne haec tot* Detrimenta, *atque* Damna *cum maximis injuriis, contumeliisque perferetis*? Hinc *Damnum* etiam significat *sumtum*, & *expensas*, quòd Patrimonia absumunt, & minuunt; & *Damnosus* sumtuosum, profusum. Juvenalis: (*n*)

Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum. - - - - -

Horatius: (*o*)

Nos, nisi damnosè *bibimus, morientur inulti.*

Plautus in Truculentô (*p*)

Et minus damnosorum *hominum, quàm nunc sunt,*
Siet.

Svetonius in Nerone: *Non in aliâ re* damnosior, *quàm in aedificandô. Detrimentum*, quod usu detritum est; *Dispendium* detexitur in ponderibus; *Jactura*, quod jacitur ex onere navis. *Corn. Fronto.*

(*l*) Ideòque videtur nomen habere à *demtione*, cùm minùs re factum, quàm quanti constitit.

(*m*) & est quasi *detritu* factum *damnum*. Leg. *Varronis*. Lib.4. de L.L. col.1074.

(*n*) Satyr.6. vers.507. 508.

(*o*) Lib.2. *Sermon.* Sat.IIX. v.34.

(*p*) Act.1. Sc.1. v.44.

Dapes Regum sunt; *Epulae* Privatorum; vel: *Dapes* Deorum sunt; (*q*) *Epulae* Hominum. *Serv.*

(*q*) Heic notandum, quòd DAPES non *Deorum* duntaxat sint *Epulae*,

dae, aut *nostrae* in DEORVM sacrificiis adhibitae, sed *largiores*, & *opipari apparatus* quoque. Conf. *Virgilii* Lib.4. *Georg.* v.133. DAPS autem in *Singulari Numero*, quod & nonnunquam pro *Epulo* ponitur *opiparo*, apud *Antiquos* dicebatur *Res divina*, quae fiebat, aut hyberna semente, aut verna. Quod Vocabulum ex *Graeco* deducitur, apud quos id genus *Epularum* Δαὶς vocatur. Conf. *Festi* Lib.4. *Antiqu. Romanar.* col.1145.

Dare est transfundere in alium Dominium rei. *Tradere* est nudam rei Possessionem alteri cedere, non Proprietatem. Itaque si quis stipuletur rem suam sibi *dari*, erit *inutilis Stipulatio*; at contrà *utilis*, si tradi stipuletur. Interdum tamen haec duo confunduntur, ut in *Contractu Emtionis*, in quô cùm juncta, & nexa sint *Possessio*, & *Proprietas*, *illa DARI*; *haec TRADI principaliter*, & *factô ipsô* dicitur, ut scribunt *Jurisconsulti* l.82.87. D.de Verb.obl. Sed *Donatus* dicit: *Dare* est, quod repetas; *Dedere*, ad perpetuum: (r) *Damus* nos Amicis, *Dedimus* tantùm Hostibus.

(r) Itaque *Deditum esse alicui* significat non tantùm à *mandato* alicujus, sed velut etiam *nutu* pendere, quod est *Imperii prorsùs absoluti*, & consequenter *servitutis extremae*.

Decem Numerum simplicem, hoc est, *decem* Unitates significat; (s) *Dena* verò cuilibet *Decem*, (t) ut si quis *Titio*, & *Sejo* legavit DECEM, simpliciter *Decem*, hoc est, cuilibet quinque; at si *Titio*, & *Sejo* DENA dari jusserit, cuilibet *Decem* legavit. Sed interdum *Dena* sunt *Decem*; ut *Trina*, vel *Terna*, una tria; & similiter *Septena*, *Octona*, *Centena*. Plinius Lib.8. *Vivunt octonis annis, & partum undenis mensibus ferunt.* *Paulus Lib.3. Quaestionum* L.126. *p. D. de Verb. Oblig. In annos singulos* Dena *dari spondes, post triennium conditione existente triginta peti poterunt.*

(s) seu DECEM constituit unam *Decadem*, hoc est, Vnitatem *decies* repetitam; sive Numerum *denarium*, in quo qui decimùm occurrit, *decimus* est.

(t) Vndè *Denarius* Numerus, *decem* in se continens.

Decerno, *Jubeo*, *Volo*, fuerunt Verba solennia in *Rogationibus*, quae hoc differunt, quòd *Decernere* est, causâ cognitâ, certam proferre sententiam; (u) *Jubere*, *Velle*,

le, pro imperiô aliquid statuere: ILLUD est *auctoritatis*. HAEC sunt *potestatis*. AUCTORITAS autem erat in *Senatu*, POTESTAS in *Populô*, ut loquitur Cicero Lib. 2. de Legibus: *Ita* DECERNEBAT Senatus, JUBEBAT, & VOLEBAT populus, id est *suffragiis suis comprobabat*. Sallust. in Jugurthâ: *Quantâque vi rogationem* jusserit, decreverit, voluerit. Livius Lib. 30. *Tribuni plebis ad Populum tulerunt*, vellent, juberentne *Senatum* decernere. Arnobius Lib. 7. *Tantum esto mactus, quantum* volo; *tantum amplificatus, quantum* jubeo; *tantum honoris assumito, quantum te habere* decerno, *& verborum circumscriptione* definio.

(*u*) seu *certò tandem*, quid aliquid sit, *determinare*.

Decipere est dolô malô circumvenire. (x) *Fallere* est à vero abducere, frustrari: fitque *propriè* verbis, cùm nimirum contra facimus, quàm diximus. (*y*) Cicero pro Muraena: *In eo quidem* fallis, *&* decipis. Ulpianus ad Edictum XI. D. de Dolô malô Leg. 1. *Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum*, fallendum, decipiendum *alterum adhibitam*. Cyprianus de *Idolorum* Vanitate: *Horum autem omnium ratio est illa, quae* fallit, *&* decipit, *& praestigiis celantibus veritatem, stultum, & prodigum* vulgus inducit.

(*x*) seu *verbo, factove* aliquem *capere*; & propterea *deludere*, atque *defraudare*. Vndè *Terentius* in *Phormione* Act. 5. Sc. 8. v. 34.

- - *Non est aequum, me propter vos* decipi.

(*y*) Ideòque, & à *fando*, hoc est, *veri fuco aliquem in errorem inducendo*, à nonnullis *Criticis* non prorsus ineptè deducitur. Sic FALLAX appellatur, qui *mentiendo* decipit. *Fallit* enim multos *fallaciter* conficta *fallacia*, qui ab illo FALSI *falsa* quoque spargere, *& falsitatem* ad alios propagare solent.

Decreta Senatus (z) à *Consultis* distinguuntur, quòd *Decretum* sit Particula quaedam *SCti*, ut cùm Provincia alicui decernitur, ita, ut *Decreta* sint specialia, *Consulta* generalia. (*aa*) Fest. ex *Ael. Gallô*. *Decretum à Sententia definitâ* differt, quòd HAEC sine litis contestatione esse nequeat, *Tit. C. ut lit. non contest.* sed bene DECRE-

CRETUM. *Gl. in L.* Sancimus, *ibi per contumaciam C. ad S.C. Trebell.* SENTENTIA in absentem ferri nequit, *L. de uno ff. de Re jud.* sed DECRETUM *l. recusare pr. ff. ad S.C. Treb.* SENTENTIA necessariò habet annexam *Absolutionem*, vel *Condemnationem*, *L. 1. de Re jud.* non DECRETUM.

(z) hoc est, Ea DECRETA, quae à SENATU sunt *constituta, definita*, atque *judicata.*

(aa) Fiebat autem SENATUS CONSULTUM, aut per *Rogationem*, cùm rogabantur unusquisque sententiam, quam verbis efferebat; aut per *Discessionem*, quando plerique idem sentientes in unam partem pedibus ibant.

Decus honoris, (bb) *Decor* formae, *Decorum* actionis. *Corn. Front.* *Decor* communis est omnium, & is facit decentiam speciei; *Species* propria est cujusque. Itaque *Decor* in Habitu est: (cc) Species in Membris: *Decus* in Gestu est, & Motu corporis: *Formosus* àb excellenti *Specie* dicitur.

(bb) Ideòque significat illam, (*ut ita loquar*,) Honorificentiam, quam ex benè gestis rebus assequimur.

(cc) & describitur, quòd sit quasi pulchritudo quaedam ex decentia *Rerum, Personarumque* in *Locis*, & *Temporibus*, sive in *agendo*, sive in *loquendo*.

Dedecoratur, quod honestum est in *animô*: Horat. Car. Lib. 4. Od. 4. v. 36.

Dedecorant *benè nata culpae*:

Turpatur, quod honestum est in *corpore*. *Donat.*

Deduco est persequor; (dd) *Diduco*, divido, (ee) *Servi.*

(dd) Propriè autem idem est, ac ex *loco superiori deorsum* duco; *Ciceroni* verò idem est, ac quod ARITHMETICIS *abstraho* est, ac *detraho.*

(ee) seu *separo*, hoc est, *in diversas Parteis duco.*

Deficit Socius, (ff) *Prodit* Parens, *Deserit* (gg) Patronus. Sallust. *Post* defectionem *Sociorum*, & *Latii*. Terent. in Adelph. Act. 4. Sc. 5. v. 57.

Prodidisti *te*, *atque illam miseram*, & *gnatum*,
Quòd in te erat.

Plaut. in Curcul. Act. 4. Sc. 3. v. 16.

Qui Libertos habent, & *eos* deserunt. *Donat.*

(ff) hoc est, *deest mihi socius*, seu potius *discedit à me Socius* in calamitate. Est autē turpis *Defectio*, cùm defector à Domino suo *deficit.*

(gg) hoc eſt, *derelinquit*, *& non amplius quaſi in* Patronorum ſerie haeret.

Defungi eſt liberari moleſtiis, & periculis. (hh) *Perfungi* eſt pervenire ad exitum, ſive honorum, ſive laborum. ILLUD ſemper denotat *Finem adverſarum rerum*; HOC & *bonarum*, & *malarum*. Virgil. Lib. 6. Aeneid. (*) v. 83.

O tandem magnis pelagi defunčte *periclis*.

Livius: Defuncta *morbis corpora ſalubriora eſſe coepere.* Cic. Lentulo: *Cùm & honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis* perfuncti *eſſemus*. Idem Luccejo: *Nullâ* perfuncti *propriâ moleſtiâ.*

(hh) *Livius* in ſenſu contrario *Defungi poena*, pro *Subire poenam* dicit his verbis: *Ante omnia libera corpora placere ſine mora* Locrenſibus *reſtitui, non levi* defunctorum *poena.*

Degredi eſt ex ſuperiore locô deſcendere; *Digredi* ex aliquô locô diſcedere. Salluſt. in Jugurthâ: *Monte* degrediens *cum exercitu.* Ibidem: *Propter multitudinem à parentibus* digreſſi.

Digredi eſt *generale*, dum de *Perſonâ*, & de *Viâ* dicitur. *Degredi* autem *ſpeciale*, dum *Locum* ſaltem deſignat.

Delator eſt, qui crimina defert; (ii) *Mandator* (kk) verò, qui mandat *Delatori* accuſationem, ſuggeritque probationes, & indicia. Svetonius in Titô Cap. 8. *Inter adverſa temporum &* Delatores, Mandatoreſque *erant ex licentia veteri*. Marcianus de *Delatoribus* L. 24. D. de Jure Fiſci: *Non tantùm* Delator *punitur, ſi non probaverit, ſed &* Mandator, *quem exhibere debet* Delator.

(ii) ac idem eſt, atque *occultus accuſator.*

(kk) *generaliter* vocatur, qui aliquid *agendum* committit; *ſpecialiter* verò, qui alicui eſt *auctor*, & omninò *mandat*, ut pecuniam det mutuò, aut tempus ſolutionis proroget. Sed *Mandatarius* eſt, qui *mandatum* ſuſcipit ad *implendum.* Vid. *Scbardii* Lexicon Juridicum p. 561. col. 1.

Deligere eſt è multis *idoneis* aliquem *eximium* adſumere. *Diligere* eſt *ſeorſum*, & *diſtinctè* legere, (ll) ut fit in delectu Militum, cùm *nominatim*, & *ſigillatim* citantur, & ad *Nomina* reſpondent. Cui contrarium *Negli-*

gligere, id est, nullum *dilectum* habere, nec curare, quid deceat facere. *(mm) Eligere* verò est è quavis multitudine *unum* secernere, vel ad eligentis emolumentum, vel ad illius, qui eligitur, dignitatem. Itaque plus est *Deligere*, quàm *Diligere*, & *Eligere*. Cicero in Laeliô: *Amare autem nihil est aliud, quàm eum ipsum* deligere, *quem amet*. Idem de Lege Agrariâ: *Universi* deligant, *quem Populo Rom. maximè consulturum putant*. Ibidem: *Si vobis ex omni populo* deligendi *potestas esset data*.

(ll) quasi dicas, in *utramque partem* legere, hoc est, *studiosè* curare.
(mm) sive non *studiosè* legere, sed *per incuriam* optima relinquere.

Delictum committitur *negligentiâ*, cùm non fit, quod fieri debet. *(nn) Peccatum opere*, cùm fit, quod non debet fieri, sicut: Qui *deliquit*, non fecit, quod facere debuit; Qui *peccavit*, hoc fecit, sed parùm rectè. Gellius: *(oo)* Peccata *quoque hominum*, *&* Delicta *non sustentanda*. Interdum tamen contrà *Delictum* grave Crimen significat; *Peccatum* leve Erratum, ut Peccatum *Memoriae*, *Scripturae*. Aliàs *Delicti*, *Maleficii*, *&* *Noxae* Vocabula propria facta sunt admissis minoribus, sive privatis Delictis; *Criminis*, publicis, & majoribus. *L.* 17. §. 18. *de Aedil. ed. l.* 131. *fin. ff. de V. S.*

(nn) Maffaeus dicit, *Delicta* fieri aut *proposito*, aut *impetu*, aut *casu*. *Proposito* delinquunt Latrones, qui *factionem* habent. *Impetu* autem, cum per Ebrietatem ad *manus*, vel ad *ferrum* venitur. Sed *casu*, cùm in venando *telum in feram immissum* hominem interficit.
(oo) Lib. 6. *Noct. Atticar.* Cap. 14. p. 224.

Delubrum propriè est Aedicula, in qua deliberatum (* h. e. *dedicatum*) DEI Simulacrum; *(pp)* **Templum** verò est Aedificium DEO sacratum. Ita *Delubrum* est parvum Templum, vel pars Templi.: sicut *Capitolium* fuit Templum, in quo tria *Delubra* communi pariete claudebantur, JOVIS, JUNONIS, MINERVAE. Cicero pro Domô: Templorum, *&* Delubrorum *religiones*. Idem Orat. 3. in Catilinam: *Deorum* Delubris, *atque* Templis. & alibi: *Omnia* Templa *Deorum*, *atque* Delubra. Arnobius Lib. 6. *Quorum* Delubra, *&* Templa *mortuorum superlata sunt bustis*. Idem Lib. 7. *Cur*

Templa *post condita, sibique exaedificata* Delubra, &c. Sed haec ferè confunduntur, maximè apud *Poëtas*. *Delubrum*, in quô homines pericula sua diluunt; ponunt enim vel *Pileum*, vel *Scutum*, vel alia suscepta votis. *Sacellum* parvulum aedificium *Diis* consecratum. *Templum* in loco inauguratô. *Lucus* locus fulmine ictus, & arborum spissitate tectus. *Fanum (qq)* FAUNO consecratum; unde FAUNI appellabantur prius illi, qui vagabantur, Fanatici. *Bidental* locus fulmine tactus, & ove expiatus; *Bidentes* enim oves appellantur. *Corn. Front.*

(pp) Sicut enim locum, in quo figerentur candelae, Latini *Candelabrum* dixerunt: ita, in quo Deum ponerent, *Delubrum*. Leg. *Perotti* Lib. 1. *Cornu Copiae* Epigramm. 1. col. 17. lin. 37.

(qq) Hanc vocem nonnulli à *fando* deductam putant, quoniam *Pontifex* in *Dedicatione Templi* certa verba praefari olim erat solitus. Alii ἀπὸ τȣ̃ φανορȣ̃, quod manifestum significat, quoniam è *Fano* responsa quondam data constat. Vndè à Veteribus (ut inquit Festus) *Prophetae* dicti sunt FANORVM ANTISTITES, atque ORACVLORVM INTERPRETES.

Deludere dicuntur *Gladiatores*, cùm ob aliquod membrum laesum, aut luxatum desinunt ludere; *Diludere* cùm inter commissiones interquiescunt. Undè *Diludia* sunt intervalla, & intermissiones ludendi. Cicero *pro* Rosciô Amerinô: *Deinde aliquanto lentiùs nihil agere, atque* deludere. *Plinius Lib.* 36. *Licet videre Gladiatores, cùm* deluserint, *hac juvari potione*. Horat. *(rr)*

Displicet iste locus, clamo, & diludia *posco*,

(rr) Lib. 1. Epistol. 19. ad *Maecenatem* v. 47.

Deluit, qui purgat; *(ſſ) Diluit*, qui temperat. Livius *de* Morte Mithrid. *Quod cum* deluisset, &c. *Agraet.*

(ſſ) Gellius utitur verbo *Diluere* in sensu *Metaphorico*, & quidem *Lib.* 15. *N. A. c.* 2. *p.* 476. ubi sic infit: *Et calefacto simul refotoque animo, si quid in eo vel frigidae tristitiae, vel torpentis verecundiae fuerit*, diluamus. Conf. *Oberti Giphanii* Observationes singulares in *L. L.* p. 63. seqq.

Deos perpetuos dicimus; *Divos* ex hominibus factos, quasi diem obierint. *(tt)* Vndè *Divos* IMPERATORES vocamus. Juvenal. *(uu)*

Respice Rivales Divorum. - - -

Sed

Sed *Varro*, & *Attius* contra sentiunt, dicentes *Divos* perpetuos; *Deos*, qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt DII Manes; quod attingit Virgilius (xx) sic canens:

- - Turni *sic est affata sororem*
Diva *Deam, stagnis quae, fluminibusque sonoris*
Praesidet. Servius.

(tt) *Job. Ludov. de La Cerda* Tom.3. Commentar. ad *Virgil.* vers. CXXXIX. Lib.XII. *Aeneid.* p.684. col.a. DEOS, seu DIOS, *aeternos*; DIVOS autem ex *hominibus assumptos* esse dicit.
(uu) *Satyr.* 6. v.115.
(xx) Lib.12. *Aeneid.* v.138. seqq.

Deponere est rem alicui custodiendam (yy) dare, sive custodiae tantùm causâ, sive ad evitandum cursum usurarum. *Sequestrare. L.pen.* D.*Depos.* quod elegantius dicitur *Sequestro dare*, vel *deponere apud Sequestrem*, est rem controversam alteri tradere, donec, finitâ lite, constet, cui debeatur. *Hoc* semper fit à *pluribus*, & possessionem rei depositae transfert in Sequestrem; *Illud* etiam ab *unô* potest fieri, nec mutat possessionem, aut proprietatem, quam *deponens* retinet. Itaque Verbum DEPONENDI generalius est ita, ut omnis, qui *sequestro* dat, etiam deponat; at non contrà. *Florentinus Instit.* 7. L.17. D. *Depositi*: *Licèt* deponere *tàm plures*, *quàm unus possunt*; *attamen ad* Sequestrem *non nisi plures* deponere *possunt*. *Nam tùm id fit*, *cùm aliqua res in controversiam deducitur*.

(yy) Vndè *Depositum* est alicui commendatum, vel creditum, sive fidei datum. Sic *Pecuniam depositam* vocamus, quae apud *Sequestrum* tutò est collocata.

Deportare est deponere; (zz) *Apportare* aliquid afferre; (a) *Comportare* in unum locum conferre; *Exportare* de locô tollere. *Agraetius*.

(zz) *Deportare* PROPRIE videtur esse *nauticum* Verbum, de iis dictum, quae *navibus* aliquò eportantur, hoc est, *Merces*, *Homines*, *Animantes*, & quaelibet alia Onera.
(a) *à loco nempe ad locum*. Vid. Terent. *Phorm.* Act.3. Sc.3. v.18.

Deportatus est, qui poenae causâ in *perpetuum* ablegatur in *Insulam*, quam Princeps adsignavit, & omnia sua

Ju-

Jura, & Bona, praeter *Libertatem* amittit. (*b*) *Relegatus* est, qui aut certô locô concluditur, aut *Urbe*, *Provinciâ*, *aliôve*, quô *locô* prohibetur ad *tempus*, vel in *perpetuum*; & tamen omnia Jura sua, & Bona, praeterquam, si quae *Bonorum pars* ademta erat, integra servat. (*c*) De quibus multa *Jurisconsulti L.* 17. *l.* 2. *de* publ. Jud. Ð. *de* Interd. & Releg.

(*b*) *Leg. Cornelii Nepotis* ALCIBIADES Cap. 4. §. 3.
(*c*) Conf. Festi Lib. 16. de *Verborum Vett. Significatione*. col. 1201. lin. 29. seqq.

Deripere est *deorsum* rapere, & detrahere. *Diripere* est diversè, & in *varias partes* rapere, ut fit in expugnationibus Urbium. Plautus in *Menaechm*. (*d*)

Sed quis hic est, qui me capillô hinc de curru deripit?

Idem in Rudente: (*e*)

De *ara Capillô jam* deripiam.

Varro in Eumenid. *Ubi vident, se cantandô, ex ara excantare non posse*, deripere *incipiunt*.

(*d*) Act. 5. Sc. 2. v. 117.
(*e*) Act. 3. Sc. 5. v. 5.

Despicere est *deorsum* aspicere. *Dispicere* est *diversè*, *diligenterve* inquirere, providere, & tanquam in omnem partem animum, oculosque intendere. (*f*) Terent. in Andriâ: (*g*)

Jam aliquid dispiciam.

Cicero Lib. 1. Tusculan. Quaest. *Tamen acie mentis* dispicere cupiebant.

(*f*) h.e. ut breviter dicam, *in varias parteis videre*. Sic qui Amicum expectat, *dispicit* tantò attentiori *dispicientia*, quantò avidior est expectatio.
(*g*) Act. 3. Sc. 5. v. 16. ubi *Dispicere* (per *Metonym.* nempe *Anteced.* pro *Consequ.*) idem esse videtur, ac *Invenire*.

Detrimentum est quasi deminutio rerum, quam aliquis patitur. (*h*) *Intertrimentum est* commune damnum facientis, accipientisque. Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. Detrimentum (inquit) *à detritu dicitur, quòd ea, quae trita sunt, minoris pretii sunt. Eadem ratione* Intertrimentum *ab eô, quòd duo, quae inter se trita, & deminuta sunt*. Terent. in Heautontimor. (*i*)

Nunc,

Nunc, cùm sine magnô intertrimentô *non potest*
Haberi, quidvis dare cupis.

Cicero in Verrem : *Cùm eo sine ullô* intertrimentô *convenerat jam, quemadmodum traderetur* . In quem Locum Pedianus : Detrimentum , *inquit*, *unius partis est*; Intertrimentum verò *dantis, & accipientis.*

(*b*) seu de *tritu* factum damnum, (& quidem *proprijssimè.*)
(*i*) Act.3. Sc.1. v.39. seq.

Dicimus , quod volumus ; *Loquimur* invicem ; (*k*) *Narramus*, quod ignoratur. *Corn. Fronto.*

(*k*) *Varro* autem Lib.5. de L.L. col.1080. lin.52. seqq. inter *Loqui*, & *Fari* hanc Differentiam interesse scribit, quòd *Fatur* is . qui primus significabilem vocem ore emittit , *nullo verborum ordine servato* . Unde *Pueri*, antequam id faciant, *Infantes* dicuntur. *Loquitur* autem is, qui suo loco unumquodque verbum *sciens* ponit.

Dictum , & *Promissum* in Venditione discernuntur; ut in Edictô Aedilitiô: *Adversus quod* dictum promissumve *fuerit* . Nam *Dictum* est, quod verbô tenus pronunciatum est , nudôque sermone finitur . *Promissum* autem & ad nudam promissionem , sive pollicitationem , & ad solennem stipulationem refertur . Itaque plus est *Promissum*, quàm *Dictum* , (*l*) auctore *Ulpiano.*

(*l*) *Dictum* licèt de *omni sermone* sit intelligendum ; *specialiter* tamen *facetias* significare, *Perottus* Lib. 1. *Cornucop.* Epigr.3. col.434. lin.32. seq. est auctor.

Dies genere virili unius Diei cursum significat, ut *hic*, vel *ille* Dies, *primus* Dies, *meus natalis* Dies; *muliebri* autem temporis spatium , uti *summa* , *infanda* Dies, apud Virgilium . (*m*) *Annua, bima, trima* Dies , id est, tempus *Anni, Biennii, Triennii*, apud *Jurisconsultos. L.* 3. §.14. *ff. de* Statut. Quae Differentia ab optimis *Auctoribus* ferè servatur; licèt vetustissimi *Poëtae* , quorum testimoniis *Nonius* contrà nititur, dixerint *Hanc Diem.*

(*m*) Lib.2. *Aeneid.* v.324. & 132. Sic *Toxilus* Servus apud *Plautum* in *Persa* Act.1. Sc.1. v.34. seq. etiam infit sic dubius:
- - *Haec* Dies summa *hodiè est*, *mea Amica sitne libera,*
An sempiternam servitutem serviat. - -
Vid. in hunc Locum *Taubmanni* Commentar. p.1119. col.1. & 2. Edition. poster. & in *Pseudoli* Act.1. Sc.3. v.CXL, p.978.

Die quartô, (*n*) *de praeteritô* tempore; *Die quarte*, aut

quar-

quarti, de *futurô* usurpari solitum tradit Gellius Lib.10. N.A. Cap.24. (*) p.334. Plautus in *Menaechm*. (o) Die septimi *auctio fiet*. Idem in Persâ: (p) *Ibi mercatum esse dixit* die septimi. Ego arbitror, haec nihil omninò differre, & Veteres propter affinitatem Litterarum E,I, & O, sine discrimine dixisse: *Die quarto*, & *Die quarte*, vel *quarti*, tàm de *praeteritô*, quàm de *futurô*, & *praesenti*.

(n) (quod *Graeci* εἰς τετάρτην dicunt.)
(o) Act.5. Sc.9. v.95. ubi nonnullae Editiones pro *Die* non prorsus incommodè *Manè* legunt.
(p) Act.2. Sc.3. v.8.

Differre est rem in aliud tempus conferre, nulla cùm dies antè praefinita fuisset. *Proferre* est diem constitutam prorogare. (q) Itaque, Qui *profert*, idem *differt*, non contra. Paulus *Lib.5.Sententiarum L.*18.§.*pen*.D.*de Quaest. Adeò ut propterea* & differantur, *&* proferantur custodiae. Terent. in Andriâ: (r)

- - - *Saltem aliquot dies*
Profer, *dum proficiscor aliquò*. - -

Cicer. Mario: *Si quod constitutum cùm Podagra habes, fac in alium diem* differas.

(q) Propriè autem est in *diversas partes* ferre. Denotat quoque idem, ac rei alicui *Dissimilem* esse. Sic *differre* rumorem *differas*, donec rescicas, annon *differas* à veritate.
(r) Act.2.Sc.2. v.29. seq.

Dignitas plus est, quàm *Existimatio*. Nam *Dignitas* Honoribus comparatur, *Existimatio* Virtutibus, aut praeclarè Factis. (s) In *illa* inest splendor; in *hac* laus, Virtutis nota. Cicer. Bruto: *Quod sentiebam &* Dignitati, *&* Existimationi *tuae maximè conducere*. Et Sulpitio: *Nec reliquô tempore ullo aut rei, aut* Existimationi, *aut* Dignitati *tuae deero*. Praettereà *Existimatio* sine Dignitate esse potest. *Dignitas* sine *Existimatione* esse non potest; Undè Jurisconsulti *Existimationem* quasi partem, & effectum *Dignitatis* accipiunt. Callistratus de *Cognitionibus* 1.L.5.§.1.D.de var.& extra.Existimatio *est* Dignitatis *illaesae status, legibus, ac moribus* com-

comprobatus, *qui ex delictô nostrô auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur*. Minuitur *Existimatio*, quoties, manente Libertate, circa statum *Dignitatis* poenâ plectimur. Dignitas quatenus contradistinguitur *Venustati*, competit Viris; *Venustas* Foeminis. Cic. Lib. 1. Offic. Venustatem *muliebrem dicere debemus*, Dignitatem *virilem*.

(*s*) Ideòque *haec* pro ipsa *auctoritate*, *commendatione*, ac *fama* passim usurpatur. *Illa* autem describitur, quòd sit singularis *honoris* gradus, ex quo *splendor*, ac *amplitudo* nascitur. Leg. *Doletus* loc. cit. p. 57.

Diligentia est in diligendô, & discernendô; (*t*) *Industria* versatur in agendô: (*u*) alterum est *ingenii*, & *judicii*; alterum *laboris*, atque *operae*. *Studium* est attentio animi. Cicero in Verrem 3. *In quô meam* industriam, & diligentiam *spectari volo*. Idem Torquato: *Omnia* studiosè, diligenterque *curabo*. Svetonius in Domitianô: *Jus* diligenter, & industriè *dixit*. *Diligentia* à diligendô singula, Huic *Negligentia* opponitur, nec recipit errorem. *Cura* animi est, quae anxium facit hominem, & tàm honestae, quàm inhonestae rei est. *Corn. Fronto*.

(*t*) & idem est, ac *dilectae rei* cura; sicuti *diligere* idem, ac in *utramque partem* legere, hoc est, *probè*, ac *studiosè* curare.

(*u*) Ideòque & pro *studio*, atque *vigilantia ipsa* nequaquam iniquè ponitur.

Dimidium dicitur de rebus, quae separatae sunt; (*x*) *Dimidiatum* autem de rebus, quae *continuae* sunt, & *non separantur*, quasi *dismediatum*, & in *partes duas pares* Divisum; cujus Differentiae exempla suppeditat Gellius Lib. 3. (*) N. A. C. XIV. p. 130. seq.

(*x*) seu est portio *Dimidiati* alterutra.

Directum est in latera aptatum; *Derectum* in rectum vadens. Agraetius.

Discidium significat Distractionem, interdum etiam Divortium, à *discindendô*, id est, *dirimendô*; ut Excidium ab *exscindendò*. *Dissidium* verò Dissentionem, à *dissidendô*. Illud *corporis* est; Hoc *animi*. Terent. in Andriâ: (*y*)

- - - - - - *Valeant*,

Qui

Qui inter nos discidium *volunt*. - -

Idem in Haecyrâ: (z)

Neque culpâ evenisse (aa) discidium *hoc meâ*.

Cicero pro Domô : *Deflevi conjugis miserae* discidium.

(y) Act.4. Sc.2. v.13. seq.
(z) Act.3. Sc.5. v.26.

(aa) Ita enim pro *causa*, quae vox in multis hujus *Auctoris* Editionibus pro CVLPA est reperienda, legunt Editiones *Aldino-Veneta*, *Bonbommeano*, & *Gryphiano-Lugdunenses*, *Haynecciana*, *Pareiana*, *Victoriano-Heidelbergensis* atque plures aliae. Sed *Plantiniano-Antverpiensis*: Neque *Culpa* hoc mea; legit.

Disertus, & *Eloquens* (bb) quid differant, ostendit *Cicero* de Oratore, his verbis: Disertus *est, qui potest satis acutè, atque dilucidè apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere*. Eloquens *verò*, *qui mirabiliùs*, & *magnificentiùs augere potest*, *atque ornare*, *quae vult*; *omnesque omnium rerum*, *quae ad dicendum pertinent*, *fontes animô*, *ac memoria continet*.

(bb) *Exertus* autem ab *Eloquente* sic differt, ut, *Isidoro* Lib.10. *Origin.* col.235. teste, *hic* sit profusus *eloquio*; *iste* autem in *loquendo* expeditus.

(*) *Discordia* est privatorum; *Bellum* multitudinis, & (*frequenter*) publicum. *Goclenius* in *Observ. L.L.* p.230.

Dispungere, & *Expungere*, verba usitata in *Rationibus*, hoc differunt, quòd *Dispungere* est conferre accepta & data, sive excutere, & examinare Rationes: Undè *Dispunctio*. (cc) *Expungere* (dd) est Rationes peractas, absolutasque tollere, debitum inducere. *Hoc* est posterius, & *illius* quasi effectum. Seneca Lib.2. de Beneficiis: *Apud me istae acceptorum, expensorumque Rationes* dispunguntur. Tertullianus Lib.4. adversus Marcionem : *DEus meritorum judex*, & dispunctor. Plautus in Cistellariâ: (ee)

Nunc, quod reliquum restat, volo persolvere,
Ut expungatur *nomen*, *ne quid debeam*.

(cc) *Hanc* ipsam *Rationis Cancellaturam* vulgò à *Jurisconsultis* dici constat.

(dd) *Budaeus* dicit, quod *Expungere* sit punctis circumducere, & tollere, & quasi rem confectam eximere è codice. Vndè *expunctus Miles*

les dictus, qui è suorum numero est exemtus, atque aere dirutus.

(*ee*) Act.1. Sc.3. v.40. seq.

D*iversorium*, *Hospitium*, *Tabernam*, vulgus putat esse *eadem*, cùm sint *diversa*. Nam *Diversorium*, & *Hospitium* sunt *gratuita*, & sine pretiô *Amicis* tantùm, & *Hospitibus* praebentur. Sed ILLVD plerumque *brevioris* commorationis est, HOC *diuturnioris*. (*ff*) *Taberna* (*gg*) autem est *mercenaria*, & *ignotos* etiam, atque *peregrinos* quaestûs gratiâ accipit, uti *Caupona*. Vndè *Tabernam diversoriam* dixit Plautus in Milite, & Svetonius in Nerone: *Dispositae per littora*, *&* *ripas* diversoriae Tabernae parabantur. Praeterea *Diversorium* nobismet quoque ipsis alibi paramus, quòd in alienô locô ad *Hospitem*, aut ad *Cauponam* nolumus divertere; *Hospitium*, (*hh*) & *Taberna* aliis semper parantur. Cicero Fabio Gallo: *Multò libentiùs emerim* Diversorium TERRACINAE, *ne semper hospiti molestus sim*.

(*ff*) *Diversorium* propriè est, quò advenae divertunt. Nam cùm in itinere locum aliquem quis declinat, *divertit* à via; cùm autem se reficere vult, *divertit* in *diversorium*, & est acceptus *diversor*, si antè quoque ibi *diversari* est solitus. *Lex. Jan.*

(*gg*) quam *propriè* Aedificium ex *Tabulis*; in *specie* autem, ubi res variae venduntur, *Philologi* nequaquam ineptè nuncupant.

(*hh*) Hoc *Antiquis* Domus erat, quae *gratis*, *liberaliterque* venienti Hospiti patebat. Vndè & pro *Amicitia* quàm frequentissimè, testante *Budaeo*, ponitur.

Divinitus (*ii*) cum dicimus, ex DEI mente factum significamus; *Diviné* verò, cùm laudamus. *Fl. Sosip.*

(*ii*) Vtitur hac voce *Plautus* quoque in *Curculione* Act.2. Sc.1. v.33. *Solus hic homo est qui sciat* divinitùs.
In quem locum ex *Lambino* videndus *Taubmanni* Commentarius p.276. Edition. prioris, ubi extant verba sequentia: *Quasi dicat*: Ego scio conjecturam facere de somniis, non ex *disciplina hominum*, sed *afflatu divino*, ut Vates.

Divortium L.2. *D. de* DIVORT. est distractio Matrimonii, vel à *diversitate* mentium ita dictum, vel quòd in *diversas* partes eunt, qui dirimunt Matrimoniū. *Repudium* non modò *Nuptiarum* diremtionem, sed & *Sponsaliorum* renunciationem significat. *Illud* inter *Virum*, *&* *Uxorem* tantùm fieri dicitur; *Hoc* etiam *Sponsos* concernit, ut auctor est *Modestinus* Differentiar. 20. l.101.

l. 101. & 192. D. de Verb. Sign. (*kk*) Sed & *Divortium facere* dicimus; *Repudium mittere*, *renunciare*, vel *dicere*. Cato de Dote: *Vir cum* divortium *fecit*. Terent. in Phormione: (*ll*)

- - - *Illis* repudium *renunciet*,
Hanc ducat. - - - -

Paulus ad Edictum 31. L. 3. ff. de Divort. *Per calorem missô* Repudiô. Tacitus Lib. 3. Annal. *Post dictum* Repudium *adhuc infensus*.

(*kk*) Conf. *Joannis Seldeni* Vxor Hebraica Lib. 3. Cap. 18. p. 310. seqq. *Schardii* Lexicon Juridicum p. 305. col. a. & *Schildii* Commentarius ad *Suetonii* AVGVSTI Cap. LXII. p. 259. col. b. & ad NERONIS Cap. XI. p. 341. col. b. ubi *Repudium*, & *Divortium* etiam inter *absentes* non modò *civili*, verùm etiam *divino* Jure fieri dicit.

(*ll*) Act. 4. Sc. 3. v. 172. 173.

Doctus est, qui optimarum Artium scientiâ excellit: (*mm*) *Eruditus*, qui aliquâ est humanitate imbutus, quasi minimè rudis; *Litteratus*, qui est sciens, & peritus litterarum. (*nn*) Itaque *Doctus* plus est, quam *Eruditus*, aut *Litteratus*, (*oo*) sicut *Doctrina* plus est, quàm *Eruditio*, & *Doceo* plus est, quàm *Erudio*. Cicero Lib. 2. Officior. *Occurritur autem nobis*, *&* *quidem à* Doctis, *&* Eruditis. Idem Lib. 1. *Aut praeclara* eruditione, *atque* doctrinâ, *aut utraque re ornati*. Ibidem: Studiosos *discendi* erudiunt, *atque* docent. Idem Bruto: *Balbi* docti, *&* eruditi *hominis in utroque*. Gellius Lib. 3. *Sed* eruditiori, doctiorique. In Poemate veteri *Romanô*:

Doctâ, eruditâ *poenae Musarum manu*.

(*mm*) Ideòque *Doctus* potest facilè *docilem docere*, ut *docilitatis* suae *documentum* edat firma comprehensione doctrinae.

(*nn*) hoc est, *Litterarum Doctor*, antiquè *Litterosus* dictus. Quapropter Tu si evadere vis non *Litterator*, hoc est, vix *litterulas* exarare gnarus, sed verè *Litteratus*, disce omneis bonas *Litteras*; licèt has quidem *illiterati* fatui *oblitterare*, aut etiam *oblitteratas* esse optarent, *Lex. Jan.*

(*oo*) Hodierni politiori, atque solidiori eruditione imbuti Viri hanc *differentiam* prorsus invertunt meritò, dicentes, *Litteratum* atque *Eruditum* longè plus esse Docto, quoniam non omnes *Docti* sunt *Litterati*, atque *Eruditi*, sed quilibet *Litteratus*, atque *Eruditus* est, (& quidem meo judicio) *propriè*, ac *solidè DOCTUS*.

Dolor est aegritudo animi afflicti, vel ex *Mali* alicujus prae-

praesentiâ, vel absentiâ *Boni*; Moeror (*pp*) est demissio, & contractio animi. *Ille* & interior, & gravior, asperiorque; *Hic* levior est, & extrinsecus apparet. Cicero Lib. 12. ad Atticum: Moerorem *minui*, Dolorem *nec potui, nec si possem, vellem*. Idem pro Muraenâ: *Qui bujus* Dolor? *qui illius* Moeror *erit*? Tacitus lib. 3. Annal. *Convenisse recenti* dolore *luctum, & ex* moerore *solatia*.

(*pp*) Hoc Vocabulo maximè utimur, cùm *perditum*, & *afflictum rerum statum* expressiùs designare volumus. Leg. *Terentii* Andr. Act. 4. Sc. 2. v. 10.

Dolorem, & *Laborem* diversa esse putat Cicero Lib. 2. Tusculanar. Quaest. in eoque *Graecos* reprehendit, quòd haec suâ linguâ non distinguant. Cui videtur accedere Terentius in Andriâ: (*qq*)

Ejus labore, *atque ejus* dolore, *guato ut medicarer tuo*.

Similiter separat alibi *Dolere*, & *Laborare*: quae tamen reipsa nihil differunt omninò. Nam *Labor* est è *Dolore*, quô afficitur, qui laborat.

(*qq*) Act. 5. Sc. 1. v. 12.

Dolus L. 1. §. 2. D. de Dol. est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. (*rr*) *Fraus* est levior captiuncula, ex quâ aliquis sibi adquirit, sive alterum fraudandô, sive se ipsum, ut ille apud Plautum *in* Aulularia: (*ss*)

- - - *Egomet me* fraudavi,
Animumque meum, Geniumque meum. - -

Ergò *Dolus* gravior est, quoniam in eo *Fraus* continetur. Cicero *pro* Domô: *Ne qua* fraus, *ne quis* dolus *adhibeatur*. Tacitus Lib. 4. Historiar. Fraudem, & Dolum *obscura, eòque inevitabilia*. Paulus ad Edictū 32. l. 3. §. *ult*. D. pro Socio: *Societas si* dolô *malo, aut* fraudandi *causa coita sit, ipso jure nullius momenti est, quia fides bona contraria est* fraudi, & dolo. Julianus ad Edictum 1. l. 1. D. de his, qui not. infam. *De* dolo *malo, &* fraude *suo nomine damnatus*. (*tt*) Sunt, qui putant, DOLUM *opere* fieri, FRAUDEM, *verbis*; quos satis refellit, ut alia

omittam, elegans locutio *Dolô dicere*, id est, *fictè*, & *simulatè, non ex animi sententia*, quâ usus Plautus in Trinummô: (uu) *Non tibi dicam* dolô. Cui contrarium, *bona fide* dicere. Idem in Aululariâ: (xx) *Dic* bonâ fide. & in Pseudolo: (yy) Bonâne fide *istuc dicis*?

(rr) Et *hoc vocabulo* nunc tantùm in *malis* utimur; etiamsi *Antiqui* etiam in *bonis rebus* eo sint usi. Vndè adhuc dicimus: *Sine dolo malo*, quoniam & *bonus* quoque dici solebat *dolus*.

(ss) Act.4. Sc.9. v.14. seq. Vid. idem *Plautus* in *Rud.* Act.5. Sc.2. v.31. & 60. & in Trinum. Act.2. Sc.4. v.11. *Cicero* pro *Sext. Roscio Amer.* Cap.42. §.3.

(tt) Sed *Fraudi esse* apud *Antiquos* idem significabat, quàm *vitio dari*, unde *aliqua poena* proveniret. Quapropter etiam *Fraus* antiquè *Poena* est vocata. Conf. *Doleti* Formul. L.L. p.65.

(uu) Act.2. Sc.4. v.79.

(xx) Act.2. Sc.2. v.35. seq.

(yy) Act.4. Sc.6. v.33.

Domicilium est habitatio *certa*, & *fixa*, in qua Larem, rerumque ac fortunarum suarum summam Paterfamilias constituit. (zz) *Domus* interdum est *temporaria, propria*, vel *aliena*. (a) *Sedes* est possessio *antiqua*. Itaque ubi *Domicilium*, ibi *Domus*. At non ubi *Domus*, ibi *Domicilium* quoque est semper. Et *Domus*, & *Sedes* alterum sine altero esse potest. Cicero *Memmio*: Sedem, Domicilium, *vestigia summorum hominum*. & *Valerio*: *Eorum ego* Domicilia, Sedes, *Rem, Fortunas*, &c.

(zz) Vndè ex *JCtorum* mente *mutare domicilium* dicuntur illi, qui *migrant*, ut aliam Vrbem habitent, tanquam illius *Cives* futuri. Nam qui *ad tempus* habitat, mox inde discessurus, *Domum* quidem potest habere, quam conduxit; *Domicilium* autem non habet.

(a) Quomodò autem *Domus* differat ab *Aedibus*, suprà Lib.1. p.19. prolixè est expositum.

Donamus modicè, & nostra: (b) *Largimur* profusè, & aliena. (c) Sallust. Lib.1. Historiar. *Igitur venditis proscriptorum Bonis, aut* dilargitis. Tacitus Lib.1. Historiar. *Quòd sine modo, sine judicio* donaret *sua*, largiretur *aliena*.

(b) & quidem *Perotto* loc. cit. col. 303. lin. 38. seq. judicante, plerumque *praemii* gratia.

(c) Sic *Largè* est *profusè* liberaliter. *Largitio* autem *expensa* est, quae fit ad *aucupandum favorem* in petitione *Magistratuum*.

Do-

Donum, & *Munus* saepe conjunguntur. Plautus in MiliteGlorioso: (*d*)

- - - *certatim* dona *mittunt*, & munera.

Cicero in Catone: *Huic divino* muneri, *ac* dono. Idem *pro* Archia: *Deorum aliquô* donô, *atque* munere *commendati*. Haec *Grammatici* ita separant, ut *Donum* dantis sit, *Munus* accipientis. *Illud* à dando; *Hoc* à muniendo, vel movendo dicimus. *Agraetius*. Vel, ut *Donum* sit, quod *Deorum* placandorum causâ *Aris* infertur; *Munus*, quod *Hominibus* datur. Quam tamen Differentiam ferè semper confundunt *Historici*, atque *Poëtae*, qui DONA Hominum dicunt, ut *Dona militaria*, *Coronae*, *Hastae purae*, & *alia*; MUNERA Deorum. *Corn. Front.* Varro Lib. 2. de *Vita* Pop. Roman. *Delphos* APOLLINI munera *missa*. *Virgil. Aeneid.* 1. v. 636.

Munera, *laetitiamque DEI.*

Ovidius: (*e*)

Munera (*crede mihi*) *capiunt hominesque, DEosque:*
Placatur donis JUPPITER *ipse datis.*

Livius Lib. 31. Dona *ampla data*, *quae ferrent Regi*, *Vasa aurea*, *argenteaque*. & idem alibi saepe. Jurisconsulti *L.* 194. *L.* 214. eod. D. de *Verb. Sign.* volunt, *Donum* esse omne, quod datur *quâcunque* ex *causâ*; *Munus*, quod *officii* gratiâ exhibetur. Ita *illud* Genus, *hoc* Speciem esse. Vel, *Donum* significare id, quod, nullô jure, officiôve cogente, *spontè* praestatur; *Munus* esse, quod *necessitatis*, aut *officii* causâ exhibetur, ut sunt MUNERA *natalitia*, *sponsalitia*, *nuptialia*. Quae posterior Differentia vera est, & perpetua. (*f*) Plin. in Epist. *In causis agendis non modò pactione*, donô, munere, *verùm etiam* Xeniis *semper abstinui*. Ulpianus de *Officiô* Procõsulis 1. l. 6. §. 4. D. de *Offic.* Proc. *Mandatis continetur*, *ne* Donum, *vel* Munus *ipse Procõsul*, *vel qui in aliquô officiô erit*, *accipiat*. Idem *ad* Sabinum 18. l. 7. §. 3. D. de Oper. Libert. *Jurare autem debet*, *operas*, donum, munus *se praestaturum*.

 (*d*) Act.

(d) Act. 3. Sc. 1. v. 120.
(e) Lib. 3. de *Arte amandi*, v. 653. sequ.
(f) Leg. *Petri Victorii* Lib. 11. *Var. Lect.* Cap. 22. p. 170. *Wolf. Lazii* Lib. 10. *Commentar. de R. R.* Cap. 13. p. 1012. Edition. *Oporiniano: Basil.* atque *Balduini Walaei* Commentar. perpetuus in *Matthaei* Cap. 5. v. 23. p. 47. col. b. Heic notes velim, quòd *Donum* donetur ab Amico; *Donativum* à Principe; *Donarium* à quocunque devoto. *Lex. Jan.*

Duco Verbum honestum est. (g) *Adducitur* quis ad rem *inhonestam*; *Perducitur* ad *studia*; *Deducitur* ad *honorem*. Agraetius. *Ducitur* quis ad *supplicium*, *Deducitur* ad *laetitiam*. *Ducimus* volentes; *Abducimus* invitos. *Ducimus* apud *alios*, & palàm; *Subducimus* apud *nos metipsos*, & *secretò*. Donat. *Ducto* nequitiam, & dissolutionem denotat. Itaque *Ducitur* Uxor; Meretrix *ductatur*. Plaut. in Asinaria: (h)

Nunc quia nihil habes, maledictis ductare *meam* (i) *postulas.*

Idem in Menaechm. (k)

Nisi feres argentum, frustrà me ductare *non potes.* Terentius in Phormione: (l)

Ut phaleratis dictis ducas *me*, & *meam* ductes *gratiis?*

Similiter *Ducere Exercitum* est militari more, & ordine movere; *Ductare Exercitum* dissolutè, & raptim trahere, quod genus locutionis familiare *Sallustio*, ut *in* Catilinâ: *Quòd* L. Sulla Exercitum, *quem in Asiâ* ductaverat, *quò sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriosè, nimisque liberaliter habuerat.* & in Jugurthâ: *Ipse quasi vitabundus per saltuosa loca, & tramites* Exercitum ductare. *Quintilianus* notat, hoc non sine rubore legi in *Sallustiô*, in quô illi non adsentior. Cùm enim verbum *Ductare* significet *Dissolutionem*, aptè, & propriè *Sallustius* dixit, *Ductare Exercitum*, pro *sine Ordine ducere*: sicut *idem* dixit *Agitare aetatem, vitam*, cùm tamen *Agitare* sit *voluptarium*, *auctore* Donatô.

(g) Differt autem à *Traho* hunc in modum, quòd *Trahimus* eum, qui non est sequuturus, *Ducimus* autem spontè sequentem. Sumitur & *Ducere* aliquando *Metaphoricè* pro *avocare*, & *delectatione quadam* quasi *demulcere*.

(h) Act. 1. Sc. 3. v. 37. Sic *Ductare labiis* extat apud eundem *Plautum*

tium in *Milit.Glorios.* Act.2. Sc.1.v.15. quod *propriè* MERETRICVM est, quando *Amatores suos* contumeliosiùs solent subsannare. *Graecis* dicitur διαμωκᾶσθαι καὶ τὰ χείλη διαστρέφειν. Vid. *Philippi Parei* Lexicon Criticum p.391. col. a.

(*i*) *Lambinus*, & ex eo *Dousa*, atque *Taubmannus* in utraque Editione pro MEAM h.l. nequaquam ineptè TV EAM legunt.

(*k*) Act.4. Sc.3. v.20.

(*l*) Act.3. Sc.2. v.15.

Ductus, *Imperium*, & *Auspicium* jungit Plautus in Amphitr. (*m*)

Ut gesserit Rempublicam ductu, imperiô, auspiciô *suô*.

Ubi est DUCTU per *se*; IMPERIO *militari potestate*; AUSPICIO per *alios*, ut Legatos, Praefectos. Svetonius in Augustô: *Domuit autem partim* ductu, *partim* auspiciis *suis* Cantabriam. Vetus inscriptio apud *Plinium L.3. Quod ejus* ductu, auspiciisque *Gentes* Alpinae *omnes, quae à Mari superô ad inferum pertinebant, sub imperium P.R. sunt redactae. Ducit* Vir, *Nubit* Mulier, quia palliô obnubit caput suum, genasque. *Clarus.*

(*m*) Act.1. Sc.1. v.41. & ibid. Act.2. Sc.2. v.23. Sic *Dux* Militum *ducit ducendos* Milites per viam, quam rectam esse *ducit*. Operarii verò *ductant* (licèt *ductim*) *ductario* fune molem aliquam *ductilem*. Lexic. Jan.

Durè significat crudeliter; *Duriter* sine sensu laboris: & *Durè* in alterum; *Duriter* in nos aliquid facimus, ut tradit *Donatus*. (*n*) Sed meô judiciô non benè. Nam haec Adverbia solâ terminatione differunt, ex antiqua consuetudine, quâ Nomina in *us* bina ferè Adverbia habebant; ut HUMANUS, *Humanè*, *Humaniter*; LARGUS, *Largè*, *Largiter*; DURUS, *Durè*, *Duriter*, & alia multa, de quibus infrà monuimus.

Terent. in Andriâ: (*o*)

Primùm haec pudicè vitam, parcè, ac duriter
Agebat. - - - - - - -

Quod cum quâdam licentiâ dici, & usitatiùs esse *Durè*, & *Humanè*, notavit *Augustinus in Libro de* Grammaticâ.

(*n*) Conf. Perotti Cornucopiae Epigr. LXXII. col.945. lin.7. seqq. & Nonii Marcelli Propr. Serm. col.1418. lin.37. seqq.

(*o*) Act.1. Sc.1. v.47. seq.

E.

E*Boreum*, & *Eboratum*, & *Eburnum* (*p*) *Fl. Sosipp.* distingui placet; ut Eboreum sit ex solidô *Ebore* confectum; *Eboratum* extrinsecùs *Ebore* ornatum; *Eburnum* à similitudine *Eboris* aptatum.

(*p*) seu *Eburneum*, quod est ex *Ebore*, sive instar *Eboris* album. Vagina *eburnea* legitur apud *Virgilium* Lib. 9. *Aeneid.* v. 305. & Ensis *eburnus* ap. *eundem* Lib. 11. Aeneid. v. 11.

Ebrius, & *Ebriosus* quid inter se distent, ostendit *Seneca* ad *Lucilium* his verbis: *Plurimum enim interesse concedes inter* Ebrium, *&* Ebriosum. *Potest, & qui* ebrius *est, tunc primùm esse, nec habere hoc vitium; & qui* ebriosus *est, saepe extra* ebrietatem *esse.* (*q*) Similiter differunt *Ebrietas*, & *Ebriositas*. Cicero Lib. 4. Tusculanar. Quaest. *Et inter* Ebrietatem, *&* Ebriositatem *interest; aliudque est* amatorem *esse, aliud* amantem.

(*q*) *Ebrius* est temulentus, vinolentus, & qui se nimio potu oneravit, & proptereà mente est alienatus; *Ebriosus* verò saepissimè fit *ebrius*. *Hic* gaudet *ebriari*; *Ille* se *inebriavit*. Sic *Ebrietas* est accidens; *Ebriositas* vitium, quia est *inebriandi* consuetudo. *Haec* est è *moribus*; *Illa* ex *causa*. *Haec* in *proclivitate*; *Illa* in *actione* consistit.

Ecclesia aliud est, quàm *Templum*: siquidem *illa* Contentum, i.e. *Concionem* ipsam populi; *hoc* continentem Locum, i.e. *Aedes*, in quibus colligitur *Ecclesia*, denotat. (*r*)

(*r*) Sic *Curia Hostilia* etiam erat *Templum*, licèt *sacra* non esset. Deindè Aedes sacrae *Templa* quoque sunt appellata. Vndè & in Coelo *Templa* dicuntur, quasi *DEORUM Aedes*.

Edicta l. 2. §. 10. D. de Origin. Jur. dicuntur Formulae Jurisdictionis, quas *Praetores*, *Proconsules*, & alii *Magistratus* proponebant, & edicebant se in Jure dicendo observaturos. Interdum significant *Mandata*, quae, prout res inciderat, arbitriô suô promulgabant. *Interdicta* autem vocantur Denunciationes, aut Effata *Praetoris*, quae inter *Litigatores* interponebat, maximè in controversiis *Possessionum*, donec pleniore judiciô de pro-

prie-

prietate cognosceret. Veluti cum ita interloquebatur: *Uti nunc possidetis eum fundum, quo minus ita possideatis, vim fieri veto.* Vel: *Unde tu illum dejecisti, eò restituas.* Itaque nomen *Edictorum* generale est, & in eô, velut *Species*, continentur *Interdicta*, de quibus pleni sunt Libri Jurisconsultorum *D. Libr.* 43. & aliorum veterum Auctorum. (*s*) *Donatus* in *Hecyram* Terentii inter *Edico*, & *Interdico* hoc interesse dicit, quòd *Edicimus*, quod fieri jubemus; *Interdicimus*, quod fieri vetamus. *Edicimus* uni generi Hominum; *Interdicimus* diversis. Itaque PRAETORIS *Edicta*, & *Interdicta* dicuntur. *Edictum* est, quod Princeps propriô motu constituit, *L.* 3. *C. de LL. Decretum*, quod, causâ cognitâ, inter partes litigantes decidit, *L.* 1. §. 1. *ff.* de Const. Princ. *Interlocutio*, quod de planô absque sententiâ definitivâ interlocutus est, *d. L.* 1. §. 1. *Oratio*, quam ex ejusdem jussu recitavit *Quaestor* in *Senatu*. *Mandata* sunt ejusdem Praecepta, & Monita data *Praesidibus*, aut *Procuratoribus*. *Jussiones* datae *Comitibus Consistorianis*, vel *Tribunis*, vel *Referendariis Palatii* perferendae ad *Praesides Provinciarum*, *L.* 1. *C. de Mandat.* Princ. *Rescripta* sunt Responsa ad preces facta vel *Annotatione*, i.e. Subscriptione *Principis* in Libello negotii; vel *Epistolâ* scriptâ ad *Praesidem* de relatione alicujus Dubii; vel *Pragmaticâ Sanctione* de publicô aliquô negotiô juxta preces alicujus universitatis, *L. ult. C. de divers. Rescr.*

(*s*) Leg *Justiniani Imp.* Institut. Lib. 4. Tit. 15. d. *Interd.* §. 4. & in eund. *Wilhelmi Ludwelli* Comment. p. 643. num. 6. seqq. & *Georgii Franzkii* Commentar. in *eund. loc.* p. 677. n. 8. seqq. Aliàs de *Edictorum* variis *Argumentis*, & *Generibus*, eorundemque *Verbis*, ac *Formulis solennibus*, immò & de *Edictorum*, quae ad *interdicta* pertinent, *Speciebus*, vid. *Barnabae Brissonii* Lib. 3. de *Formul.* p. 274. seqq.

Educere (*t*) est extra trahere; (*u*) *Educare*, enutrire, & provehere. (*x*) Varro in Cat. vel de Lib. Educ. *Educit* enim Obstetrix; *Educat* Nutrix; *Instituit* Paedagogus; *Docet* Magister. *Marcell.*

(*t*) Hujus Verbi *Opposita* studiosè collegit ex classicis Auctoribus *Augustinus Gambarella* in ita dicta ANTITHETORUM *amica simili-*

multate, eaque *Mediolani* An. CHR. M.DC.XIX. in quart. f. maj. impr. p. 229.

(*u*) Sic *Plautus* in *Epidico* Act. 3. Sc. 4. v. 36. seq. hunc in modum infit:

- - - *Heus foras* educito,
Quam introduxisti, fidicinam!

(*x*) Vbi notandum, quòd *Educator* non sit decernendus is, qui, loquente *Frantzkio* Commentar. in Lib. 1. *Justin.* Instit. Tit. 20. d. *Attil. Tut.* §. 7. p. 106. n. 21. & 23. *Successionem* sperat, vel qui *Pudicitiae impuberis* insidiatur.

Effigies ab *Imagine* ita differt, ut Species à Genere. Nam *Imago* omnem Similitudinem comprehendit, tàm *pictam*, quàm *fictam*; *Effigies* autem est, quae *fingitur*, non quae *pingitur*, ab effingendo (*y*) dicta. Itaque *Effigies* (*z*) omnes sunt *Imagines*, (*aa*) non contrà. Afranius in Vopiscô: (*bb*)

- - - *Cujus te suscitat*
Imago? *cujus* Effigia? *Hoc natus Patre.*

Cicero Lib. 1. de *Naturâ* Deorum: Effigies *hominis*, & imago *DEUS*. Livius Lib. 1. *En nobis*, inquit, *Juvenem filium tenens* Effigiem, *atque* Imaginem *ejus*. Tacitus Lib. 15. Annal. *Gymnasium ictu fulminis conflagravit*, Effigiesque in eo Neronis *ad informe aes liquefacta*. Idem Lib. 16. *Quòd inter* Imagines *Majorum etiam* C. Cassii Effigiem *coluisset, ita inscriptam*: *DUCI PARTIUM.*

(*y*) h. e. *ad similitudinem alterius fingendo*,

(*z*) h. e. *aptè affictae rei facies*,

(*aa*) Differt autem *Imago* (1.) ab *Exemplo* hunc in modum, quòd *Exemplum* ponitur, ut aliquid tale fiat; *Imago* autem nullum talem finem habet, sed (loquente *Jul. Caes. Scaligero* Lib. 3. *Poët.* c. 49. p. 292.) ut duae res sub una aequali intellectione comprehendantur propter *assimilationem*, quae dicitur ὁμοίωσις. (2.) ab *Idolo*, ut *Genus à Specie*. Nam omne penè *Idolum* est IMAGO, sed non IMAGO est *Idolum*. Longè alterius Definitionis est *Idolum*; alterius *Imago*. HAEC fit ad ornamentum, vel ad res gestas demonstrandas; ILLVD autem ad miserorum animas sacrilego ritu, & vana superstitione illiciendas, vel injiciendas, quem modum testatur *Henricus Hoepffnerus* Sect. 3. p. 441.

(*bb*) Hic locus habetur in *Poët. Vett. Latinor.* Fragmentis Edition. *Stephanianae* p. 60. ubi pro *hoc natus Patre*, ex Nonio, *Cognatus Patre*, legitur.

Egestas est indigentia *omnium rerum*, etiam *earum*, quae ad *victum*, *cultumque corporis* sunt necessariae; *Inopia*

pia est defectus cùm *rerum necessarium*, tùm etiam *consilii*, & *amicorum*; *Paupertas* est tenuitas *rei familiaris* vitam *arctè* sustinens. Ita *Egestas* plus est, quàm *Paupertas*; *Inopia* (*cc*) plus, quàm *utrumque* istorum. Cicero in Paradoxis: *Istam* Paupertatem, *vel potius* Egestatem, *ac* Mendicitatem *tuam nunquam obscurè tulisti*. Idem *in* Catilinam 2. *Praesidia nostra cum illius latronis* inopiâ, *atque* egestate *debeo conferre*. Seneca *ad* Lucilium: *Non est*, *quòd* Paupertas *nos à* Philosophiâ *revocet*, *ne* Egestas *quidem*. Ibidem: *Quanta verborum nobis* Paupertas, *immò* Egestas *sit*. Similiter *Egens* est, cui necessaria desunt. *Inops* dicitur, qui est sine opibus, & ope, atque auxilio. *Pauper* est, qui parum possidet, quasi parvi Laris. Ut *Ingenuus*, si rem minorem habeat Sestertiorum quinquaginta millium, id est, Aureorum quinquaginta: *Libertinus*, si minus habeat, quàm triginta Sestertiorum millia, sive triginta Aureos. (*dd*) Plautus *in* Rudente: (*ee*)

Sed hìc pauperes res *sunt*, inopesque *puellae*:

Ovidius: (*ff*)

Nempe quòd alter egens, *altera* pauper *erat*.

Svetonius *in* Nerone: Inops *atque* egens *apud amitam* Lepidam *nutritus est*. Arnobius Lib. 2. *Cùm sit* inops, pauper *Lare*, *&* *tugurii* pauperis.

(*cc*) cui addendae *Penuria*, atque *Indigentia*; quae *Egestate*, atque *Paupertate* verè sunt *generaliores*, & ad *omneis res* commodè referri possunt.

(*dd*) Leg. *Joann. Rudingeri* Centur. 1. *Singular. Observation. diversor. Jurium*, Observ. 33. num. 1. p. 60. *Hugo Cardinalis*, tria haec Vocabula *Inopis* nempè, *Egeni*, atque *Pauperis*, sic distinguit, ut *primus* sit sine ope gratiae; *alter*, qui tribuit auctori DEO gratiam, quàm habet quasi *mendicatò* acceptam; *tertius*, qui adhuc est imperfectus, nec ei sufficit, quod habet. *Glossa* ex *Cassiodoro* tradit, conditionem generis humani calamitatibus pressi his tribus indicari, *Inopem* hominem esse, quia *mortalis* effectus est; *Egenum*, quia in *labore*, & *sudore* panem quaerit; *Pauperem*, quoniam de *Sapientia*, & *Puritate* dejectus solam tenuem, & umbratilem ratiunculam possidet.

(*ee*) Act. 1. Sc. 5. v. 24.

(*ff*) Lib. de *Remedio Amoris*, v. 748.

Egere est carere aliquâ (*gg*) re, ita ut *impotenter* desidе-

sideretur ; *Opus habere* est carere aliquâ re, *facili*, & *aequô* animô. *Illud* est cupiditatis, & necessitatis; *Hoc* moderationis, & utilitatis. Itaque dicebant *Stoici*, Sapientem nullâ re *egere*, sed *opus habere* interdum quibusdam rebus, ut Victu, Vestitu, & similibus: Contrà *egere* Stultum, qui angitur cupiditate, & indigentiâ earum rerum, quas si habeat, nesciat uti. Quam *illorum* sententiam luculenter explicat Seneca *ad* Lucilium: *Volo tibi*, inquit, *Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait*, Sapientem *nullâ re indigere* ; *& tamen multis illi rebus opus esse*: *Contrà* Stulto *nullâ re opus est*; *Nulla enim re scit uti*, *sed omnibus* eget. Sapienti, *& manibus*, *& oculis*, *& multis ad quotidianum usum necessariis* opus est; *Sed* eget *nulla re*. Egere *enim* necessitatis *est*; *nihil autem* necesse Sapienti. Similiter Cicero loquitur de Sapiente, *Illum nihil requirere*, *nullô* egere, *suôque contentum esse.*

(gg) (*necessaria* nempè, ac *maximè utili*.)

Elinguis habet linguam, sed usu ejus caret; (hh) *Elinguatus* eam amisit. (ii) *Corn. Fronto.*

(hh) quoniam *fari non capax*, sive *potens* est.
(ii) Ideòque idem est, ac *Lingua* prorsus privatus.

Eloquentia est perfecta vis Orationis: *Eloquium* pars supposita commodè eloquendi. (kk) *Corn. Fronto.*

(kk) Ponitur enim nonnunquam pro *Sermone commodo*, ac *gratos* nonnunquam quoque pro *Facundia*, atque *Elogio*, hoc est, *honoris de aliquo testificatione.*

Eludere, (ll) & *Praeludere* sunt verba *Artis gladiatoriae*, quae hoc differunt, quòd *Eludere* dicuntur *Gladiatores*, cûm petitiones Adversariorum corpore declinant, & effugiunt; *Praeludere* cûm ventilant lusoria Arma ante pugnam. (mm) Cicero Lib.2. de Oratore: *Atque ejusmodi illa* praelusio *esse debet*, *non ut Samnitium*, *qui vibrant hastas ante pugnam*, *quibus in pugnãdo nihil utuntur*, *sed ut ipsis sententiis*, *quibus* praeluserunt, *vel pugnare possint*. Ovidius Lib.3. de *Arte amandi* (*) v.515. sequ.

Sic

Sic ubi praelusit,*rudibus puer ille relictis,*
Spicula de pharetrâ promit acuta suâ.

Manilius Lib.5. *Astronomici.* (*) v.163. seq.

Ille cito motu rigidos eludere *cestus*;
Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas.

Sed interdum *Eludere* significat idem, quod *Praeludere.* Cicero de optimô genere *Oratorum* : *Non enim in acie versatur, & ferrô quasi rudibus ejus* eludit *oratio.*

(ll) *proprie*, & quidem ex *Donati* mente, non solùm est finem *ludo* imponere, sed & *ludendo* decipere. Conf. *Schardii* Lexicon Juridicum p.328. col.1.

(mm) Ideòque idem est, ac actionis feriae *tentamen*, quasi *ludicrum* praemittere. *Lex. Jan.*

Eluxit, qui luctum deponit. (nn) *Illuxit*, cùm lumen apparuit. *Agraetius.*

(nn) seu finem lugendi fecit.

Em, (oo) cùm ostendis; *En*, (pp) cùm increpas. Cicero: En *cui tamen quoque liberos tutò committas!* Sed *Hem*, cùm dolor iram moverit, aut cùm admiratio, cogitatioque stuporem. *Agraetius.*

(oo) EM pro *Eam*, & EUM pro *Eorum* Veteres quoque dixisse, *Festus* Lib.5. *Antiquit. Rom.* col.1148. lin.18. haud incertus auctor est. Vid. *Perotti* Cornucopiae Epigr.2. col.106. lin.53.

(pp) (quod & pro *Eum*, à Nominativo IS, Veteres, eod. *Festo* loc. cit. testante, dixerunt.)

Emere est pretiô acquirere. (qq) *Parare* verò est pecuniis, vel gratiâ, vel aliâ quâvis ratione usui suo adjungere. Sallust. in Jugurthâ: *Servi aere* parati *injusta imperia Dominorum non perferunt*. Terent. in Eunucho: (rr)

Cupio aliquos parare *amicos beneficiô meô.*

Jurisconsulti haec paulò aliter distinguunt, & *Emtum paratum*, quae in Legatis Uxoris adjiciebantur, ita volunt differre, quòd in EMTO *Paratum* sit; in PARATO *Emtum* non contineatur, Ulpianus ad Sabinum 22. l.45. ff. de leg.3. & leg.47. *Item interest ipsius causâ* parata *sint ei Legata, an ipsius causâ* emta. Paratis *enim omnia continentur, quae ipsius usibus fuerunt destinata*; Emtis *verò ea sola, quae propter eam* emta *fecit Maritus.*

tus. Livius L.34. *Inde si quid* emtum, paratumque *pupillis, ac viduis foret, à* Quaestore *proscribebatur*.

(qq) Vnde & antiquis JCtis pro Accipere frequenter ponebatur. Ejus Opposita leg. apud *Gambarellam* in ANTITHEOTORVM *amica Simultate*, p.238.

(rr) Act.1. Sc.2. v.69.

Emerita sunt Stipendia, quae Militibus emeritis, atque solutis labore militiae solvuntur; (*ss*) *Praemia* sunt Donativa ultra emerita Veteranis dari solita. *Illa* debentur ex Formulâ militari; *Haec* gratuitò dantur ex liberalitate Principis. Arrius Menander de Re militari 5. *l*.5.§.*pen*.*D*.de Re mil. *Ut Veteranus erit restituendus*, *&* Praemia, *&* Emeritum *capiet*. Svetonius in Augustô: *Item alias immodestè missionem postulantes, citra commoda* Emeritorum Praemiorum, *exauctoravit*. Ibidem; *Devictisque his, & confiscatis, promissa Veteranis* Praemia persolverentur.

(*ss*) seu, quae peracta sunt, cùm jam Milites *missionem*, ut *Veterani*, impetraverunt.

[*] *Eminere* habet significationem praestantiae, & excellentiae; *Enitere* claritatis. *Goclenius*.

Emplastra l.18. §.10. *D. de* Fund. *instr*. sunt Medicamenta, quae liquati aliquid accipiunt, tùm vulneribus imponuntur. *Malagmata* sunt Fomenta, quae contusa, & super cutem injecta, ulcera dura mollificant, & matura faciunt. *Pastilli* arida sunt Medicamenta, quae aliquô humore delinuntur, deinde vulneribus imponuntur, ut prolixè tradit Celsus Lib.5. Plinius Lib.21. *Imponuntur* Emplastra *vulneribus*; Malagmata *super integram cutem injiciuntur*; Pastilli *autem illinuntur, aut alicui molliori, ceratove* miscentur.

(*)Ἔπαινος, & Ἐγκώμιον hunc in modum differunt, ut *hoc* sit pusilla quaedam Panegyris, ἐν ταῖς Κώμαις, hoc est, in Vicis, *Tribulibus* audientibus, in laudem alicujus prolata; *Illud* autem tùm *vera*, tùm *falsa* Oratio de cujuspiam perfectione, modò sit sine *ornatu*, *simplex*, ac *brevis*, Conf. *Scaligeri* Lib.3. *Poëtic*. Cap.109. p.370.

Epicedium est, quod dicitur, cadavere nondum sepultô. (*tt*) *Epitaphium* post completam Sepulturam dicitur. Servius.

(*tt*) Leg. *Virgilii* Ecl.5. v.29. & 43.

Epu-

Epulum est publicum Convivium, ut *triumphalis*, *pontificalis*, (uu) *auguralis*, vel *funebris* Coena. *Epulae* sunt Convivia privata, item Cibi affluentiores. Cicero in Vatinium: *Ita enim illud* Epulum *est funebre, ut munus sit funeris*, Epulae *quidem* ipsae dignitatis.

(uu) Hujus Descriptionem vid. ap. *Stuckium* Lib.1. *Antiqu. Convival.* Cap.18. p.45. b. Quomodo autem *Epulae* olim sunt divisae, tradit *Fulvius Ursinus* in *Appendice* ad *Petri Ciacconii* Librum de TRICLINIO p.74.

Ergastulum, & *Ergastulus*, ut *genere*, ita & *intellectibus* differunt. Nam *neutrô*, Carceris locus est; (xx) *Masculinô*, Custos loci poenalis. Lucilius Lib.15. *Satyr*. p.170. *Non* Ergastulus *unus*, & *alius Judicem apposuit*, *ut nemo sententiam libere quasi* Ergastulus *possit dicere*.

(xx) Propriè autem est Locus, ubi Lapides, Metallave fodiuntur. Sed quoniam ad haec opera damnati ad Ergastula mitti solebant, ut illic Metalla eruerent, factum est, ut Ergastulum pro Carcere sit positum.

Eripere est de manibus auferre per raptum, & vim; *Eximere* est quoquô modô auferre, ut puta, si quis non rapuerit quem, sed moram fecerit, quô minùs in jus veniret, ut scribunt *Jurisconsulti*. Terent. in Adelphis: (yy) *Domo me* eripuit, *verberavit*. Quintilianus in Declamat. *Tu illũ* exemisti, *cùm ad Magistratûs eductus est*.

(yy) Act.2. Sc.1. v.44.

Erga ad *affectum* refertur, ut: Erga *Illum sum* benignus. *In* ad *simultatem*, (zz) ut: In *illum sum* saevus. *Fl. Sosip.*

(zz) HOC plerumque in *malam*; ILLVD autem in *bonam* partem sumitur, quoniam *motum officiosum* denotat.

Erro est, (a) qui frequenter sine causâ vagatur, & tempore in res nugatorias consumtô, seriùs domum redit. *Fugitivus* autem est, qui eô animô discedit, ut non redeat, auctore Vlpiano *l.4. D.de Re mil.* Seneca Lib.2. de *Beneficiis*: *Dum vagus, atque* erro *vernaculis congregatur*, & *ludit*. Arrius Menander Lib.2. de Re militari. leg.4.§.pen.D.de Re milit. *Levius itaque delictum emansionis habetur, ut* Erronis *in servis*; *defectionis gravius, ut in* Fugitivis.

(a) incertis vagans sedibus, seu

Errare est per loca sola, & ignota discurrere; *Vagari* per diversa. *Illud* solitudinem; *Hoc* dispersionem exprimit: Cicero Lib. I. de Oratore: *Ne* vagari, *&* errare *cogatur Oratio*. Pacuvius in Periboeâ: (*b*) *Incertè* errant, vagant. Horat. Lib. I. (*) Epist. 12. v. 17.

Stellae sponte suâ, jussaene vagentur, *&* errent.

(*b*) p. 251. ubi commodiùs ex *Nonio* legitur: *Incertè errans vagat*, pro *vagatur*.

[*] *Errare*, & *Decipi* hunc in modum differunt, ut posterius turpius sit priore. Nam erramus ipsi opinione lapsi; decipimur autem ab alio prudentia victi. Credulitas saepè nos inducit in errorem; sed infidi, fallaces, atque callidi nostram spem fallunt. Goclenius p. 231.

Erraticus, (*c*) & potest errare, & solet; *Erraticus animus* est, qui solet errare, & desinit. *Erratio animi* est repentina commotio. *Corn. Fronto.*

(*c*) qui & *Errabundus*, atque *Erroneus*, hoc est, *Errore errans*, dicitur.

Error (*d*) est rei vitium, ut *Amor*, *Dolor*; *Erratio* incertae viae. *Corn. Fronto*. *Erratio* est pecudum; *Error* animi est, & loci, in quô erratur. *Donat.*

(*d*) Ponitur & haec Vox pro ipsa *Erratione*, *Errato*, *Peccato*, *Lapsione*, *Prolapsione*, *Fraude*, *falsa Opinione*, *Culpa*, atque *Flagitio* passim apud *Plautum*, *Terentium*, atque *Ciceronem*.

Esse, & *Extare*, ut diversa, posuit Paulus *ad* Edictum 2. *l.* 4. *D. de Usufr. Ususfructus in multis casibus pars Dominii* est; *&* exstat, *quod vel praesens, vel ex die dari potest*. *Ubi minus valet* esse, *quàm* exstare, *quod est* (*e*) perseverare, *&* permanere, *ut* constare. Vetus Poëta apud *Ciceronem* Lib. I. Tusculanar. Quaestion.

Ubi rigida constat *caligo inferûm.*

Ulpianus ad *Edictum* 10. *l.* 29. *D. de Oper. Liber. Etsi haeres non* exstat, *id est, non perseverat haeres esse*. *Sed* Est *etiam id, quod in obscurô lates*; Exstat *id, quod in apertum, lucemque profertur, & in vulgus manat.*

(*e*) propriè *actu esse*, *&* *verè existere*.

Eventus est successus rerum nondum ad finem deductarum. (*f*) Exitus (*g*) est finis rei, qui sequitur *Eventum*, & absolvit. *Cicero* Torquato: *Si mihi alterutrum de* Eventu, *atque* Exitu *rerum promittendum esset.*

(*f*) & non *ratione*, sed plerumque *casu* fit. EVENTUM autem in Neu-

Neutro *Genus* esse, & de *quacunque re*, quae *acta* erit, dici posse, *Nonius Marcellus* de *Propriet. Serm.* col. 1301. nequaquam vanus auctor est.

(g) Quam vocem JCti praeter *vulgatam significationem* etiam pro *Effectu*, atque *Morte* ponunt.

Eunuchus est, qui necessariâ ad generandum parte deminutus est, sive *naturaliter* ita progenitus sit, sive *ante pubertatem* excisus, isque Latinô vocabulô dicitur CASTRATVS. (*h*) *Spado* propriè est, qui valetudine aliquâ, vitiôve corporis praepeditus generare non potest. (*i*)Cajus Institut.1.L.2.§.3.D.de Adopt.*Qui generare non possunt, quales sunt* Spadones, *adoptare possunt*, castrati *autem non possunt*. Vlpianus ad Sabinum 5.L.6. D. de Lib.& Post. Spadonem *quoque posse posthumum haeredem scribere, &* Labeo, & Cassius *scribunt*, *quoniam nec sterilitas ei rei impedimento est*. *Sed si castratus sit*, Julianus Proculi *opinionem secutus*, *non putat*, *posthumum haeredem posse instituere*. *quô jure utimur*. Ejus autem juris ratio est, quòd *Eunuchi*, cùm testibus careant, omninò generare non possunt; *Spadones*, qui temporali sterilitate laborant, vel propter frigiditatem, vel quia vias seminis obstructas habent, ut censent *Physici*, si his, aut similibus impedimentis liberentur, procreare possunt. Porrò *Spadonum* appellatio interdum *generalis* est, quâ omne genus eviratorum continentur, ut auctor est *Vlpianus L.128. D. de Verb. Sign.*

(h) Nonnulli putant, *Eunuchum* aliquando per *Catachresin* significare potentem quendam aulicum, qui non exectus, quemadmodum *Ebedmeloch*, & *Candaces*, *Aethiopes* illi aulici in ipsa *Scriptura Sacra* dicti sunt *Eunuchi*. Ex quo apparet, non semper *castratum* tantùm, sed saepè quoque *officium* denotare. Sic *Andramytes* (& non *Andamites*) LYDORVM Rex etiam *mulieres* fecit *Eunuchas*, hisque loco *Virorum eunuchorum* usus est, sicuti refert ex *Xandi Lydii* Lib.2. *Rer. Lydar.* ATHENAEVS Lib.12. *Deipnosoph.* c.4. p.651.Edition. ex *Natalis Comitis* interpretatione *Lugdun.* in 8.

(*i*) Conf. *Schardii* Lexicon Juridicum p.869. col.a. ubi *varia*, & in primis p.868. col.b. *tria* SPADONVM constituuntur genera.

Ex quidam referunt ad locum, unde eximus, ut: *Ex fundô* venio, *ex agrô* venio. (*k*) *De* ad id, quod Graeci περὶ dicunt, quasi *de Marcellô*. Fl. Sosip.

(*k*) *Ex* quoque est Particula, quae nominibus *Dignitatum*, *Magistra-*

*ſtratuum*que adjicitur, & *functionem praeteritam* ſignificat, qualia nomina ſunt *Ex-Conſul Ex-Rector, Ex-Decanus, &c.*

Exanimatus eſt perturbatus, afflictus, perculſus; *Exanimus*, mortuus. Cicero ad Paet. *Miraris, me tantâ perturbatione valetudinis tàm graviter* exanimatum *eſſe*. Virgilius: (*l*)

Corpus ubi exanimum *poſitum.* (*)

(*l*) Hunc locum in *Virgilio* minimè extare ideò opinor, quoniam ſtudioſè inquirendo eum invenire nullus potui. Sed Lib.1. *Aeneid.* v.484.& Lib 6.v.149. *exanimum Corpus* legitur. *Juvenis* autem *exanimus* extat Lib.11. *Aeneid.* v.51. & *Socius Exanimus* Lib.6. v.161. immò, & LAVSVS *exanimus*, Lib.10. v.841. NB. Vid.Lib.Aeneid. 11. v.30.

(*) Virgilii locus, quem nullibi extare opinatus eſt Hekelius, reperitur Aeneid.11. v.30.

Corpus ubi exanimum poſitum Pallantis Acoetes
Servabat ſenior. - - - - - - - -

Vt in Veteribus legere eſt. Sed longè melius eſt, *Exanimi Pallantis*; quia *poſitum corpus* ſatis habet, abſque alterius adjectivi inculcatione.

Exauctorare eſt militem ſacramentô militiae, & ſtipendiô ſolvere, ut nihilô tamen minùs ſub vexillô retineatur, donec emerita accipiat. *Miſſionem dare* eſt penitùs ab armis, caſtriſque dimittere; ſive *honeſtâ* miſſione poſt emerita ſtipendia, ſive *cauſſariâ* propter morbum, aut imbecillem valetudinem, ſive *ignominioſa* ob delictum. (*m*) Tacitus Lib.1. *Annal.* Miſſionem dari *vicena ſtipendia meritis*; Exauctorari, qui *ſena dena feciſſent*. Livius Lib.25. *Velut* exauctoratus morte *Ducis ab ſignis diſceſſit*. Sed quia *Exauctoratio*, ut plurimùm *ignominiae* causâ fiebat, inde *Exauctorare* aliquando ſignificat *ignominioſè mittere*. Vlpianus ad *Edictum* 6.L.2.§.3. D.de his, qui notant.infam. *Sed ſi eum ita* exauctoraverit, *ut inſignia militaria detraxerit, inter infames efficit*. Arrius Menander Lib.2. leg.4. D.de Re militari: *Erit* exauctoratus, *id eſt, militia remotus, caſtris ejicietur.*

(*m*) *Turnebus* Lib.3. *Adverſar.* c.3. Tom.1. col.76. ſeq. de *hac differentia* hunc in modum ſcribit: Exauctorantur, *qui ſolvuntur ſtipendio; nec tamen dimittuntur, ſed habentur ſub vexillo, non ſub Aquila, aut Signis Legionis, neque jam Legionarii ſunt; retinentur tamen, donec emerita ſolvantur, aut agri aſſignentur.* Miſſio verò iis datur, *qui penitus dimittuntur.*

Ex bonis alicujus dicitur eſſe res, in quam nonnihil ju-

juris quis habeat, etiamsi deposita tantùm sit, vel commodata, aut pignori data. *In Bonis* verò esc res, quae in Patrimoniô alicujus est, sive Dominium ejus habeat, sive bonâ Fide possideat. Nam eadem sunt *Esse in Bonis, Esse in possessione Bonorum, Bona possidere.* (*n*) Cicero pro Domô: *Dominum se* in meis Bonis *esse voluisset.* Ulpianus ad Edictum 56. L.2.§.22.D.de Vi bon.rapt.*Sive* in Bonis *sit, sive non sit; si tamen* ex Bonis *sit, locum haec actio habebit. Quare sive commodata res sit, sive locata, sive etiam pignorata proponatur, sive deposita apud me sit sic, ut intersit mea, eam non auferri, sive bonâ fide à me possideatur, sive usumfructum in eâ habeam, vel quod aliud jus, ut intersit mea, eam non rapi, dicendum est, competere mihi hanc actionem, non ut dominium accipiam, sed illud solum, quod* ex Bonis meis, *hoc est,* ex substantiâ meâ *res ablata esse proponatur.* Idem Lib. 59. l.49. D. de Verb. Sign. In Bonis *autem* nostris *computari sciendum est, non solùm quae dominii nostri sunt, sed etsi bonâ fide à nobis possideantur, vel superficiaria sint. Aequè* Bonis *adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persequutionibus; Nam haec omnia* in Bonis *esse videntur.*

(*n*) Alii inter *Jurium Antistites, sanctaeque Themidis Custodes*, sic dicunt: IN BONIS esse *propriè* dicuntur ea, quae *situ, & positione intra rem aliquam nostram* continentur; EX BONIS verò, quae *ὄντως*, h.e. *naturaliter* sunt *extra rem*, sed tamen ad *eam* pertinent. Sic decem Nummi Joachimici, qui sunt in Marsupio meo, IN BONIS MEIS esse dicuntur; at quos *Sempronio* dedi mutuos, MEIS sunt EX BONIS.

Excommunicatio est censura *Ecclesiastica*, excludens aliquem à Communione Fidelium.(*o*) Can. nihil sic debet. Caus. 11. Quaest. 3. *Bannum* Poena *Politica*, excludens aliquem à Communione Civium.

(*o*) Undè *Excommunicare* idem est, ac è *Communione* (aliquem) *excludere.*

Excubiae sunt diurnae, (*p*) & nocturnae; *Vigiliae* tantùm nocturnae, eaeque in quatuor partes divisae, quarum singulae horis tribus constant, ut *Vigilia prima,*

secunda, tertia, & quarta: cujus rei crebriora sunt, quàm ut adscribi debeant, testimonia.

(p) Sic *Ales Gallus* vocatur *Excubitor*, quia *pervigil* horas cantu indicit. Leg. *Perotti* CORNVCOPIAE Epigr. 19. col. 738. lin. 18. seq.

Exemplum est, quod proponitur, ut sequamur, aut vitemus; (q) Exemplar est, ex quô similis efficitur aliqua species, quae & *Imago*, & *Simulacrum* appellatur. *Illud* animô aestimatur; *Hoc* oculis conspicitur, auctore *Festô*. Seneca ad Lucilium: *Volo* Imaginem *tuam facere*, Exemplar *Picturae te habeo*, *ex quo capit aliquem*, *ut habitum mens*, *quem veluti operi suo imponat*. Plinius Lib. 6. Epistol. 21. ad Caninium: *Audii Verginium Rom. paucis legentem*: *Comoediam ad* Exemplum *veteris Comoediae scriptam tam benè, ut esse quandoque possit* Exemplar. Sed hanc Differentiam *Valla* refellit, & aliā ipse affert non multò sanè meliorem. Confunduntur ut enim plurimùm haec duo; ut cùm dicitur *Exemplum*, & *Exemplar* Eloquentiae, pro *Imagine*, & *Praescriptione ad imitandum*; & *Exemplar*, vel *Exemplum* Litterarum, Chirographi, Testamenti, pro *Forma*, & *Descriptô*, quod vulgò *Copia* vocatur. Differunt autem multùm, cùm *Exemplum* significat id, quod adhibetur *rei probandae*, aut *illustrandae* causâ, ut *Exempli gratiā*: Vel cùm sumitur pro *Consequentiis*, quô modô dixit Ulpian. Instit. 50. l. 1. D. De const. prin. *Hae sunt, quas constitutiones vulgò appellamus*: *Planè ex his quaedam sunt personales, quae nec ad Exemplum trahuntur*. Vel cùm maximae gravissimaeque poenae, quae possunt caeteris documento esse, dicuntur *Exempla*, ut Terent. in Eunuch. (r)

Quae futura Exempla *dicunt in eum indigna*.

Caesar Lib. 1. de Bellô Gallicô: *In eos omnia* Exempla *cruciatus edere*. Hae enim Notiones non conveniunt *Exemplari*.

(q) Ideòque *Exemplum* aliis describitur, quòd sit Historia priorum, serviens instructioni sequentium: seu est Res gesta, qua docetur, quid gerendum sit. Sic VALERII MAXIMI Historiae Memorabiles *Dictorum, Factorumque*, in priscis Libris EXEMPLORVM inscribuntur. Inde *Exempla* sunt ipsi homines ad aliorum instructionem,

nem, qui vixerint; de quo *Cominius Firmus* in Epitaphio *Puellae cujusdam pudicae*, sic canit:

Exemplum *periit, castae lugete Puellae.*

Sic sibimet ipsi *Exemplum* est, qui nullo praevio aliquid conatur. Ex quo apparet, *Exemplum* esse non solùm id, *quod* sequimur, sed id quoque, *quo* sequimur. Vid. *Barthii* ANIMADVERSIONES in *Claudii Claudiani* Lib. 2. de *Laudib. Stilichonis* v. 304. p. 329. Edition. *Hanoviensis* in 8.

(r) Act. 5. Sc. 5. v. 4.

Exercitum laboribus; *Exercitatum* studiis dicimus. Agraetius.

Expergitus est ab *aliô* excitatus, quem solemus dicere expergefactum. *Experrectus* est, qui *per se* vigilare coepit, ut *Festus* tradit. (s) Ego arbitror haec omninò eadem esse, neque in ullâ aliquâ re differre. Nam Veteres dixerunt *Expergo*, & *Expergor*, quod nos *Expergiscor*. Ab illô fit *Expergitus*, ab hoc *Experrectus*. Lucilius Lib. 3. Satyr. (t)

E somno pueros cùm mane expergitu' *clamo.*

Varro Lib. 6. de Lingu. Lat. *Cùm non modò* Epimenidis *corpus post annos quinquaginta* expergitum *à multis non cognoscatur*. Arnobius Lib. 5. Expergitos*que illos statim perdocuisse Regem.*

(s) Contrariam hujus distinctionis sententiam suppeditat nobis *Schoppius* Lib. 4. *Susp ectar. Lection.* Epist. 2. p. 244.

(t) pag. 155. ubi *Henric. Stephanus* pro *E somno* non incommodè legit ET SOMNO, &c.

Expectamus tam Bona, quàm Mala; *Speramus* Bona tantùm. *Expectamus* ante diem; *Speramus* ad diem. *Expectatio* est certorum; *Spes* incertorum. *Expectatio* rerum propinquarum; *Spes* longinquarum. *Expectatio* destinat tempus; *Spes* non destinat. *Donat.*

Expilatores sunt Fures atrociores, qui ne pilum quidem spoliato relinquunt, l. 1. §. 1. de effr. & expil. (u) *Grassatores*, qui in viâ homines spoliant. *Saccularii*, qui ex alienis sacculis, magicis artibus, suppilant pecuniam. *Zonarii*, qui sacculos abscindunt. *Apertularii*, quibus nihil tam est obseratum, quod non aperiant. Pac. Isag. Tit. de Effract. *Directarii*, qui in aliena Coenacula scandunt, fenestras hamis, uncinis, vel aliis malis artibus aperientes.

(*u*) Nam dum domos *expilant, suppilant* quicquid possunt, & *compilant.* NB.

Expleri est tantummodò plenum esse. *Satiari* supra modum, & abundãtiam. Lucretius Lib. 3. v. 1015. & seq.

Deinde animi ingratam Naturam pascere semper,
Atque explere *bonis rebus,* satiare*que nunquam.* (*x*)

Cicero Lib. 6. de Rep. *Nec* expleri, *nec* satiari *ullô modô possunt.*

(*x*) Aliàs *Natura* est *satiabilis, satiari* patitur facilè; *prava* autem *cupiditas inexsaturabilis* est, cui ad *satietatem* nihil sufficit.

Explorator est, qui inter hostes versatur, & eorum secreta cognoscit, ut suis renunciet. (*y*) *Speculator* est, qui ante exercitum speculandi gratiâ mittitur. *Ille* proditoris locô habetur, & capitalem poenam subit; *Hic* munus Belli honestum praestat. Caesar Lib. 2. de Bellô Gallicô: *Hâc re Caesar statim per* Speculatores *cognitâ.* Arrius Menander de Re militari Lib. 3. D. de Re mil. Leg. 6. §. 4. *Exploratores,* qui secreta nunciant hostibus, Proditores *sunt, & capitis poenas luunt.*

(*y*) Ideò & *Comenius* haud ineptè sic infit: EXPLORATORES explorant *hostem, ne* inexploratus *repente opprimat.*

Expostulare est querelam apud eum ipsum deponere de eô ipsô, qui fecit injuriam. (*z*) *Postulare* autem querelam dicere de alterô apud alterum. *Donat.*

(*z*) Hoc Verbum pro *flagitare,* atque *expetere* etiam poni, *Tacitus* Lib. 13. Annal. auctor est his verbis: *Quippe sublatis portoriis, sequens ut Tributorum abolitio* expostularetur.

Exprobrat, qui commemorat, quae praestitit; *Opprobrat,* qui *Opprobrium* dicit, hoc est, vitium. (*aa*) Clarus.

(*aa*) Si autem vacas *probro,* OPPROBRIUM non erit tibi *probro,* sed ille potiùs fiet *probrosus,* qui tibi falsa *Exprobratione opprobraveris.* NB.

Expromissor L. 9. & 10. D. de pign. Act. L. 53. de Contr. Emt. L. 4. §. 3. D. de Re judic. est, qui pro aliô promittit, & se obligat, sive fidejussione, sive novatione, sive delegatione id fiat. *Fidejussor* est, qui pro aliô fidem suam obstringit solennibus per stipulationem interpositis verbis hoc modô: Fide meâ spondeo esse futurum. *Hic* cum aliô obligatur, nec liberat reum; *Ille* solus obligatur,

tur, & liberat debitorem principalem, ut scribunt Jurisconsulti. *Sponsor*, qui etiam aliis contractibus, pactis, aut (* *promissionibus*, sive) pollicitationibus accedit. (*bb*) *Constitutor*, qui per pactum nudum, epistolam, vel nuncium se firmiter obligat, aliquando etiam exempto reo principali. *Mandator*, qui praecedenti commissione alteri contractum mandat.

(*bb*) Quapropter *Praedem*, qui spondet vel pro *se*, vel pro *alio*, denotat.

Extruere (*cc*) est in altum struere; Instruere aciem, vel actionem; *Adstruere* affirmare; *Construere* struendô conjungere; *Substruere* est aliquâ substernere superpositâ re. *Agraet.*

(*cc*) *Exstruere* Sepem *structilem*, non magnae artis *structura* est. Sed *construere* Arces, & illis *circumstruere* Muros, & *adstruere* Turres, & *praestruere* Propugnacula, & *obstruere* Flumina molibus, & denique ita *substruere*, ne *structa destrui* opus sit, ars est, ad quam *instrui* opus habent homines bona instructione. *Comenius.*

Extinguere minus est, quàm *Opprimere*. Cic. de Amic. Extinctas *potiùs*, *quàm* oppressas, *dicit* Amicitias. Quasi quod *extinguitur*, possit renovari, quod *opprimitur*, non queat.

Extraneus dicitur, qui est ex alienâ terrâ, quasi exterraneus. *Extrarius* est alienus, qui extra Focum, Jus, & Sacra Familiae est, veluti extra Aream. Terent. in Phormione: (*dd*)

Nam hanc conditionem si cui tulero extrario.

Afranius in suspectâ: (* p. 58.) *Ut me esse in hac re ducat abs te* extrarium. Lucretius lib. 4. (* v. 278.)

Post extraria *lux oculos perterget:*

Sed haec Differentia, etsi *Festum* auctorem habet, mihi tamen non probatur, videnturque haec duo eadem esse, neque plus differre, quàm *Proletarius*, & *Proletaneus*, *Praesentarius*, & *Praesentaneus*, *Vicarius*, & *Vicaneus*, quae Veteres propter affinitatem Litterarum indifferenter protulerunt. (*ee*) Hinc iisdem appellantur *Extrarii*, & *Extranei* Haeredes, quicunque scilicet Testatoris juri subjecti non sunt, vel *generaliter*, qui nul-

nullô cognationis vinculô Testatori junguntur. Svetonius in Claudiô: *Ne haeredem quidem, nisi inter tertios, ac poenè* extraneos, *è parte sexta nuncuparit.* Javolenus Epist.8.L.36.D.de Bon.libert. *Libertus, qui solvendo non erat, praeterito Patrono* extrarios *reliquit haeredes.* Papinianus Responsor.9.L.78.D.de Leg.2.§.3. Quòd *haeredem* extrarium sine liberis decedens habuit. *Externus* est exterae Gentis; *Alienus* non locô, sed re differt; *Extraneus*, qui extra eandem Januam est. *Corn.Fronto.*

(dd) Act.4. Sc.1. v.13.

(ee) Conf. *Gifanii* Observationes in *L.L.* p.91.

F.

F*Acere* est in opere esse: *(ff)* *Efficere* perfectionem designat. *Donat.*

(ff) Et sic sumitur *absolutè* pro *officium facere.* Leg. quae sup. p.25. seq. quaeque ad Not. 5. §.2. Cap.2. *Libell. nostri Historico-Philol.* de POETAR. CORON. p.45. *Edition. Cygn.* ex aliis annotavimus. Contrà NON FACERE est *Segnem esse*, sive *nihil facere.* Sic Cicero in Bruto: *Aut si auditor omninò, tanquam equus,* non facit.

Facetus est, qui facit verbis, quod vult; *(gg)* *Lepidus*, qui politus est, ut λεπτὸς; *Lautus*, qui mundus, & splendidus est. *Donat.*

(gg) *Plautus* in *Mostell.* Act.1.Sc.1.v.43. FACETUM idem quoque ac *lautum* esse dicit his verbis:

Neque tam facetis, *quàm tu vivis, victibus.*

Vid. *Taubmannus* in h. *Plauti* loc. p.612.col.1.B. ubi *Jo. Wowerium* è Vet. Codic. *Florentino* pro FACETIS, legere malle *f. lectis*, inquit.

Facies est naturalis oris species, quae *(hh)* eadem semper manet; *Vultus* est habitus faciei adscititius, qui pro motu animi, & voluntatis mutatur. Ex quô longa, aut lata facies; vultus laetus, vel tristis dicitur. Cicero pro Cluentiô: *Recordamini* faciem, *atque illos ejus fictos, simulatosque* vultus. Sallust.in Catilinâ: *Prorsus in* facie, vultuque *Vecordia inerat.* Tacitus Lib.12.Annal. *Non ut hominum* vultus, *ita locorum* facies *mutantur.*

(hh) (*nunquam mutatur*, sed)

Facinus, Flagitium, Scelus hôc differunt, quòd *Facinus*

nus vi, aut malitiâ committitur. *Flagitium* (*ii*) fit libidine, vel nequitiâ: Unde *Flagitiosi* dicuntur Impudici, Adulteri, Ganeones, Aleatores, Facinorosi, Parricidae, Sicarii, Sacrilegi, Perjuri, atque id genus alii. *Scelus* utrumque comprehendit. Cicero Orat. 1. in Catilinam: *Quod* Facinus *à manibus unquam tuis*, *quod* Flagitium *à totô corpore abfuit?* Idem Varroni: *Cùm omnes in omni genere & Scelerum, & Flagitiorum volutentur*. Sallust. in Catilinâ: Flagitiis, *atque* Facinoribus *coopertus*. Ibidem. *Omnes, quos* Flagitium, *aut* Facinus *domo expulerat*. Livius Lib. 39. *Nihil ibi* Facinoris, *nihil* Flagitii *praetermissum*. Praeterea quamvis levia sint *Flagitia*, graviora *Facinora*; tamen *Facinus* interdum bonum est, *Flagitium* semper malum, & turpe. Sallust. in Catilinâ: *Qui aliquô negotiô intentus, praeclari* Facinoris, *aut bonae artis famam quaerit.* Idem de Rep. ordinanda: *Tametsi domi, militiaeque praeclara* Facinora *egisti*.

(*ii*) Alias hujus Vocis significationes suppeditat nobis eruditus *Janus Dousa* Lib. 2. *Centurionatus*, sive *Plautinar. Explanation.* Cap. 17. in *specie* ad *Epiced.* p. 191.

Factio (*kk*) est discessio hominum in diversas partes; *Seditio* verò est repens, & tumultuaria dissensio multitudinis, quâ alii in alios hostili animô feruntur. *Illa* ferè est ab Optimatibus, quibus Populus catervatim adhaeret; *Haec* à Vulgo, aut ait Virg. Lib. 1. Aeneid. (*) v. 148. seqq.

Ac veluti magnô in Populô cùm saepe coorta est
Seditio, *saevitque animis ignobile vulgus;*
Jamque faces, & saxa volant; furor arma ministrat.

Sallust. in Jugurthâ: *Omnes, eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. Sed haec inter Bonos* Amicitia, *inter Malos* Factio *est*. Livius Lib. 41. *Ut Patavinorum in Venetia* Seditionem *comprimeret, quos certamine* Factionum *ad intestinum Bellum exarsisse & ipsorum Legati attulerant.*

(*kk*) (faciendi actum *propriè* designans.)

Facultas locupletis, (*ll*) *Facilitas* artificis est. Itaque

Dives *Facultatem* habet multa vel emendi, vel redimendi; Artifex opera perficiendi *Facilitatem*, Corn. Fronto.

(ll) (seu *Exercitationis* quoque, in primis si respectum ad ipsam *Facilitatem* sumus habituri. Cui *differentiae* additur & *Ratio*, quae singularis artis est.)

Falsum est, quô tegitur id, quod (mm) factum est; *Vanum*, quod fieri non potest; (nn) *Fictum*, quod non est factum, sed fieri potest. Falsum est fictum Mendacium simile veritati; *Vanum* nec possibile, nec verisimile; *Fictum* totum sine Vero, sed verisimile. *Falsum* loqui Mendacis est; *Fictum* Callidi; *Vanum* Stulti. *Falsum* loqui culpae est; *Fictum* virtutis; *Vanum* vecordiae. *Falsis* decipimur, *Fictis* delectamur, *Vana* contemnimus.

(mm) (addamus *fallacia*.)
(nn) Ideòque idem est, ac *prorsus usu vacuum*.

Fama, & *Rumor* saepe conjunguntur. Cato in Q. Thermum: Rumorem, Famam *flocci fecit*. Varro Lib. 4. de Vita Pop. Romani: Rumores Famam *differant licebit*. Ea nonnulli ita distinguunt, ut *Fama* sit, cum tota Civitas, seu Vicinia, aut certè major Pars aliquid dicat; (oo) *Rumor*, si saltem pars aliqua. Quae tamen Differentia non semper observatur. Livius Lib. 3. *Manat tota Urbe* Rumor. Fenestella Lib. 22. Historiar. *Secundo quidem Populi* Rumore *coepit*. Quare veriùs est hoc differre, quòd *Rumor* est sermo quidam (pp) sine ullo certo auctore dispersus, cui Malignitas, ut *Quintilianus* ait, *initium* dedit, *incrementum* Credulitas; *Fama* est communis quaedam, ac consentiens opinio, & tanquam publicum Civitatis testimonium. Cicero ad Cassium: *Quotidiè, quae volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore*, rumore *nunciô*. Livius Lib. 45. Rumores *temerè sine ullis auctoribus orti falsis vera miscebant*.

(oo) Vnde *Fama projecta*, de qua *Gaspar Scboppius*. Lib. 3. *Suspect. Lection.* Epistol. 20. p. 229.
(pp) (particularis, in Populo recens natus, &)

Fa-

Familia est series omnium Agnatorum, qui ex eadem Gente, ac Domo proditi sunt, & *cognomine* distinguuntur. (qq) *Gens* in se continet universum Genus, ad quod omnes stirpes referuntur: (rr) Ut *Julia Gens Patricia* habuit JULOS, & CAESARES. UNDE *duae* JVLIAE GENTIS *Familiae* fuerunt, una JULORUM, altera CAESARUM. Svetonius in Caesare. *A* Venere JULII, *cujus Gentis* Familia *est nostra*. Idem in Nerone: *Ex Gente* DOMITIA duae Familiae *claruerunt*, CALVINORUM, & AENOBARBORUM. Livius Lib.9. *Duodecim* POTITIORUM Familias *fuisse*, *cum* Gens POTITIA *tota interiit*. Idem Lib. 38. P. SCIPIO NASICA *habuit orationem plenam veris decoribus, non communiter* CORNELIAE Gentis, *sed propriè* Familiae suae. Interdum tamen FAMILIAE appellatio laxior est, & *Gentem* significat. Lib. 2. de Fabiis: *Omnes unius* Gentis. Et *mox: Ibant unius* Familiae *Duces*. Festus: Familia *antea in liberis hominibus dicebatur, quorum Dux, & Princeps generis vocabatur* Pater, & Mater Familiâs. *Unde* Familiae *nobilium* Pompiliorum, Valeriorum, & Corneliorum.

(qq) Conf. *Rudolfi Godofredi Knichenii*, Viri politissimi, Lib.1. *Oper. Politic.* Cap.4. Thes.2. col.192. seqq. & *Schardii* Lexic. Juridic. p.365. col.a. ubi *ex Lege* 144. *sequ. de V.S.* extat, FAMILIAE appellationem non solùm ad *Personas*, sed & interdum ad *Rem* referri, inque hac posteriore relatione *haereditatem*, sive *res haereditarias* denotari. Leg. *Wilhelmi Ludvelli* Commentar. ad Lib.3. *Instit.* Tit.28. §.4. p.641. Edition.2. Quis autem *Familiae Emptor* olim (imprimis apud *Romanos*) fuerit, tradit *Antonius Hotmannus* in de *Vet. Ritu* Nuptiar. *Observatione* Cap.25. p.312. Edition. *Amstelod.* in f. 12.

(rr) Ideòque idem est, quod *Natio*, vel *Populus Regionem quandam incolens.*

(*) *Familiaritas* consistit in ratione vitae, atque quotidiana consuetudine, & est *potissimùm* propter usum; *Necessitudo* in Conjunctione singularis amicitiae, voluntatis, sanguinis, atque affinitatis; *Societas* in privata fere rerum communione; *Collegium* in publico instituto; *Sodalitas* in hilaritate. Goclenius.

Famulus dicitur, quicunque in ministeriô est, sive Servus sit, sive Liber, bonâ fide nobis serviẽs; (ſſ) *Servus* est, qui alieno Domino subjicitur. Ulpianus Lib.1. ad

Edi-

Edictum Aedil. Curul. l. 25. §. Familiae D. de Aedil. Edicto. FAMILIAE *appellatione omnes, qui in* servitute *sunt, continentur, etiam liberi homines, qui bona fide ei serviunt.*

(*ss*) * & est *propriè* domesticus Minister mercenarius.

Fanum propriè est Area, & Solum, certis, atque solennibus verbis quasi *fandô* sacratum; (*tt*) *Templum* verò Aedificium sacrum. Vel, *Fanum* est Templum minus, ut *Sacellum*. Cicero Orat. 4. in Catilinam: *De Aris, de Focis, & Fanis, ac* Templis. Svetonius in Caesare: *In* GALLIA Fana, Templaque *Deûm donis referta expiavit.* Arnobius Lib. 6. *Spatiola* Templorum *defanata ponebant.* Sed haec ferè semper confundi, nemo mediocriter harum litterarum peritus ignorat.

(*tt*) seu est Templum in loco edito, à *φαινὸν conspicuum.*

Fari, & *Loqui* hôc differre *Varro* tradit, quòd *Fatur* is, qui primam significabilem vocem ore emittit, ut solent *pueri*; (*uu*) *Loquitur* autem is, qui suô locô quodque verbum sciens ponit. Quae Differentia apud *Auctores*, maximè *Poëtas* non observatur.

(*uu*) Rectè proindè *Comenius*: Fari *discit* Infans fanda *Verba in* Infantia.

Fas (*xx*) ad Religionem; *Jura* pertinent ad Homines. *Serv.*

(*xx*) (h. e. quod *fari*, & *facere* licet, & propterea Justum est.)

Fastus de Superbiâ, (*yy*) & facit Genitivum *Fastuum*. *Fastus* de Libris, & facit Genit. *Fastorum*. *Agraet.*

(*yy*) Est enim affectata *verbis*, & *gestu* eminentia.
(*) *Fateor* minùs, & sponte; *Confiteor* saepè coactè; *Profiteor* publicè.

Fatigatus propriè dicitur is, qui vexatione, aut molestiâ aliquâ ad corporis lassitudinem deductus est, ut qui tempestate jactatus, aut curru, equôve duriter vectus; *Fessus* est, qui labore, onere, morbo, aut angore deficit. Itaque plus est *Fessus*, quàm *Fatigatus*. (*zz*) Livius: *Longô itinere* fatigatum, *& onere* fessum. Idem: Fessi *morbis*, & *longitudine viae*. Sallust.

in Jugurtha: *Itinere, atque opere castrorum, & praeliô fessi. Servius* ita distinguit: *Fatigatum* corpore dicimus; *Fessum* quoque animô; cùm tamen FATIGATUS de *animô* etiam dicatur. Cicero ad Terentiam: *Te nec animi, nec corporis laboribus* defatigari. *Diomedes* verò, FATIGATUS *est (inquit) cum quis per alium laborare compellitur, ut* Lassatus; FESSUS verò, *cùm quis labore deficit,* ut Lassus. Quibus verbis quid sibi velit, non satis adsequor.

(zz) Nam *Fatigatur* Lassus; *Defatigatur*, qui deficit.

Fatuus est, qui desipit omninò; *Stultus*, qui ineptè, & imprudenter, vel agit, vel loquitur; (a) *Stolidus* hebes, & vecors. Plautus in Bacchid. Act. 5. Sc. 1. v. 2.

Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. Afranius: *Ego meipsum* STULTUM *etiam existimo,* FATVVM *esse non opinor.* Arnobius Lib. 1. *Nos hebetes,* stolidi, fatui, *obtusi pronunciamur, & bruti.*

(a) Aliàs *Stultus* est, qui corde est hebetior; *Fatuus* autem, qui obtusis plane sensibus. Quomodo autem *Stultus ab Insipiente* differt *Theologicè*, vid. apud *Lorinum* Tom. 2. Comm. in *Psalmi* XCI. vers. 7. p. 760. col. 2. F.

Feci quasi facinus. *Facere* enim quis & homicidium dicitur. *Commerui* minoris culpae est; *Peccavi* multò minoris, vel levioris. Terent. in Andr. Act. 1. Sc. 1. v. 112.

Quid feci? *quid* commerui, *aut* peccavi, Pater?

Felix ita natus est; *Fortunatus* cum opibus nomen accepit. Ita *Felix* naturae bonô fruitur; *Fortunatus* commodô temporis. *Corn. Fronto.*

(*) *Felix* Naturae bono fruitur; *Fortunatus* Temporis; *Prosper* dat Felicitatem.

Femina sunt partes inferiores, mollioresque, quae se contingunt; *Femora* exteriores, ut *Valla* censuit. Quae Differentia nullius est momenti, nec unquam observatur. Nam, ut rectè *Servius*, & *Charisius* annotârunt, *Femur* tantùm dicitur, & ab eô declinantur *Femoris*, & *Feminis*, pro eâ parte corporis, quae est à coxâ ad flexum pedis. (b) Tibullus: (c)

Implicuitque femur femini. (*) - - -

Sve-

Svetonius in Titô: *Equô quadam acie sub* feminibus *amissô.*

(b) Aliis *Femur* dicitur pars superior *Pedis* à *Natibus* ad *Genua*, quo *tegendo* serviunt *Femoralia.*

(c) Heic falsò, & frustrà ab *Auctore* TIBVLLVS est citatus.

(*) Non omninò frustrà, ut Hekelius censet, nec falsò citatus ab Auctore Tibullus videtur, qui lib. 1. Eleg. 9. v. 26. scripsit: *Femini conservuisse femur*, legatur quod ad hunc versum notat Achilles Statius.

Ferre propriè est corpore suô bajulare; *Portare* lecticâ, aut jumentô secum ducere; (d) *Agere* ante se pellere, ut scribunt Jurisconsulti. Livius Lib. 39. *Postremò omnia, quae* ferrent, agerentve, *adempta*. Idem: *Quae* ferre, *atque* agere *possent, prae se* agentes, portantesque. Et lib. 33. *Saucios vehiculis tolli*, portarique *jubet.* Seneca ad Lucilium: *Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana, ac peregrina* portantium. Quanquam PORTARE interdum *generaliùs* accipitur pro *Ferre*, *Adducere*, & *Vehere.* Terent. in Andriâ: (e)

Mi homo, quid istuc obsecro est? Quò portas *puerum?* Sallust. in Jugurthâ: *Quas paraverat copias, secum* portaret.

(d) Perottus in *Cornucopiae* Epigr. 35. Col. 851. lin. 51. seqq. dicit, quòd PORTARE *duobus modis* sumatur, *uno*, cùm jumentis, aut curribus aliquid nobiscum ducimus; *altero*, cum nostro corpore, imitatione jumentorum, portamus. (e) Act. 4. Sc. 3. v. 6.

Ferre, & *Referre*, sunt Verba propria, & solennia in Rogationibus; alterum ad *Populum*, alterum ad *Senatum* pertinet. Et *Ferre* ad *Populum* (f) est Rogationem, aliamve Rem populo proponere, ut eam suffragiis suis jubeat, aut vetet; *Referre* ad *Senatum* est consulere Senatum, & illius sententias ordine rogare post relationem. Sallust. in Catilina: *Deque ea re postulant, uti* referatur. Livius Lib. 42. *Postulabatur, ut Coss. eam rem ad* Senatum referrent. Idem Lib. 23. Vt T. Sempronius Consul designatus, *cùm primùm Magistratum iniisset, ad* Populum ferret, *ut* FABIUM *Duumvirum esse juberent.* *Ferre* est cum certò tempore; *Perferre* finem exspectat eventûs. *Feruntur* onera; *Sustinentur* supplicia. *Donatus.*

(f) Vid. *Brissonii* Lib. 2. de *Formulis* p. 220.

Ferus est atrox, & saevus; (g) *Ferox* est elatus, animosus,

ſus, vel effrenis, vel etiam fortis. Attius in *Aegiſtô* p. 5.

- - - *Neque* fera *hominum pectora*
Frageſcunt, donec vim perſenſerint imperii.

Salluſt. in Jugurthâ: *Sceleribus ſuis* ferox, *atque praeclarus eſt*. Id. Ibid. *Ille animô* feroci *negat*. Sed & FERUS de *Inanimatis* quoque dicitur; FEROX de *Animatis* tantùm. Ennius Lib. 3. Annal. (*b*)

- - - - - *Scutis*, ferôque
Ornatur ferrô, id eſt, hoſtili.

Siſenna Lib. 4. Hiſtoriar *Partim* ferâ *vite, partim laurô, & arbuſtô, ac multa pinu, ac murtetis abundant:* quod eſt *agreſti vite.*

(*g*) Hujus vocabuli *Antitheta* in primis ſunt *Humanus*, *Manſuetus*, *Miſericors*, *Mitis*, *Civilis*, atque *Sapiens*. Vid. *Gambarellae* Lib. *Oppoſitor*. p. 282. Et ut ASPER ad *tempus* eſt; ſic FERVS *natura*. *Virgilius* Lib. 2. Aeneid. v. 326. ſeq.

- - - - Ferus *omnia* Jupiter ARGOS
Tranſtulit. - - - - - - - - - -

(*b*) p. 76. *Edition. Stephan.* ubi ENNIANORVM *Verborum* diverſa extat Lectio.

Feſtinare eſt temerariâ, & praecipiti celeritate aliquò contendere; (*i*) *Properare* citò, & ſtrenuè progredi, (*k*) ut eo, quò velis, pervenias; *Maturare* eſt neque citiùs, neque ſeriùs, ſed in tempore procedere, ut *Gellius*, & *Macrobius* tradunt. Virgilius Lib. 1. *Georgicor*. (*) v. 259. ſeq.

Frigidus agricolam ſi quando continet imber,
Multa, forent quae mox coelo properanda *ſereno,*
Maturare *datur.*

Salluſt. in Jugurtha: *Animô cupienti nihil ſatis* feſtinatur. Nonius ita diſtinguit, ut *Feſtinare* ſit corporis *neceſſitatibus* obſequentis; *Properare* animi *ſtudioſè* ad res aliquas contendentis. Sed hae ſunt Grammaticorum argutiae, quae Veterum auctoritate refelluntur, apud quos haec tria Verba *promiſcuè* ſignificant *Accelerare*. Tantùm illud FESTINARE *motum*, & *celeritatem majorem* exprimit. Sic quod dixit Cicero pro Cluent. 36. *Huic morti* maturabat *inimicus*. Hoc Lucretius Lib. 6. v. 772.

Mor-

Mortem quae possent accelerare. Tacitus: *Voluntariam mortem* properavisset. Livius Lib. 37. *Profectus cùm quantum* accelerare *poterat*, maturasset *ad portum*.

(*i*) Seu aliquid *celeriter* agere.

(*k*) h.e. *celeriter* ire ἀπὸ τοῦ προπορεύειν, quod *procedere*, seu *porrò tendere* denotat. Notandum autem, quòd ex *Comeniana* mente PROPERANDVM *properè*, ubi *properantia* est opus. Nec tamen ullus sit *praeproperus*, ne res nimis *deproperando* perdat, justumque mereatur *improperium*.

Fidejussor dicitur, qui pro aliô stipulatione se obstringit; (*l*) *Mandator* est, qui alteri mandat, ut credat, vel fidejubeat: Ita tanquam auctor contrahendi negotii, praecedit; *Fidejussor* verò contractae jam obligationi accedit. Cujus Differentiae crebriora in Libris *Jurisconsultorum* D. de Fidejuss. & Mandat. sunt, quàm ut hic adscribi debeant exempla.

(*l*) *Fidejussor* quomodo differat ab *Expromissore*, leg. *Georgii Frantzkii* JCti celeberrimi *Commentar.* in Lib. 3. *Institution. Justin.* Titul. 21. *Princ.* Num. 9. p. 418. *Fidejussores* autem his temporibus difficillimè, atque rarenter reperiri, tradit JCtor. laboriosissimus *Antonius del Re* in *Tractat. novo* de *Juramento Calumniae* Cap. 15. nu. 216. ubi rationem statim addit his verbis: *Quoniam Mundus sit totus dissolutus* Fidejussionibus, *& qui* fide juber, *ponat in primis sibi ante oculos, & proponat, pati mille persecutiones à Creditoribus, à Birruariis, immò à Debitore ipso, pro quo* fide jussit, &c.

Fidens est constans, & fortis; (*m*) *Confidens* est audax, temerarius, atque improbus. (*n*) Cicero Lib. 4. Tusculanar. *Qui fortis est idem* fidens, *quoniam* Confidens *mala consuetudine loquentium in vitiô ponitur*. Lucilius Lib. 10.

Improbus confidens, *nequam*, *malus videtur*.

(*m*) & quidem plerumque in *Bonis*; (*n*) & sic plerumque in *Malis*.

Fides (*o*) aliud est, quàm *Fidelitas*; & *Fidus*, quàm *Fidelis*. Nam *Fides* animo, *Fidelitas* re declaratur. Plautus in Trinummo: (*p*)

Cui fides, fidelitas*que amicum erga aequiparet suum*.

Idem Ibid. (*q*)

Qualin' amico mea commendavi Bona!
Probo, & fideli, *&* fido, *& cum magna* fide.

Ci-

Cicero Sulpitio: *Si quem tuorum* Fidelium *voles ad me mittere.*

(o) Aliàs FIDES *Theologicè* sumpta est Virtus divinitùs infusa, per quam Creatura rationalis firmiter assentitur iis, quae à Deo sunt revelata. FIDES autem *Politicè* considerata circa *Res creditas* plerumque versatur, atque *Contractus*. Conf. *Gifanii* Observationes *L.L.* p.97.

(p) Act.5. Sc.2. v.3.

(q) Act.4. Sc.4. v.3.

(*) FIDUCIA nunquam est sine *conscientia*; CONFIDENTIA verò semper cum *temeritate*.

Fidus in maximis, *Fidelis* in minoribus negotiis. *Fidus* est amicus, (r) *Fidelis* (s) servus. *Fidus* nascitur, *Fidelis* fit.

(r) Cui imprimis fidendum.

(s) qui fidem praestat.

Figura est qualitas, & dispositio totius corporis, ut Hominis figura *recta* est, *prona* Animantium, Mundi *rotunda*; *Forma* (t) est facies cujusque rei, & convenientia partium expleta, atque perfecta, ut in Homine FORMA *regia*, *liberalis*, *mediocris*. ILLA discernit Genera rerum, & in unoquoque à natura eadem una est; Haec species rerum separat, & in aliis alia apparet. Varro Lib.5. de Lingua Lat. *Fictor*, *cùm dicit fingo*, Figuram *imponit*; *cum dicit* informo, Formam. Cicero de Universitate: *A quô enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea* Figura *figuravit, qua una omnes reliquae* Figurae *concluduntur*. Idem Lib. 1. Officiorum: Formam *nostram*, *reliquamque* Figuram, *in qua esset* Species honesta, *eam posuit in promptu*. Lucretius Lib.5. (*) v.731.

Ordine Formarum *certô, certisque* Figuris?

Idem Lib.2. (*) v.777.seq.

Ut saepe ex aliis Formis, *variisque* Figuris.
Efficitur quiddam quadratum, unâque Figurâ.

(t) *Hujus Vocis*, quae aliàs est *media*, variam acceptionem vid. apud *Doletum* in *Formul. L.L.* fol.63. b. & seq. a. Alioquin FORMA *bona* facit formosos; *mala* deformes; *nulla* informes.

Fingere (u) est formare manu, aut ingeniò excogitare rem novam, ut *Figuli*, & *Statuarii*, cùm ex materiâ molli *Statuas*, & *Vasa* ducunt; *Poëtae*, cùm *Fabulas* com-

componunt, *Fingere* dicuntur. *Effingere* est exprimere alterius formam, & imaginem. Cicero Lib. Officior. *Apium examina* fingendorum *favorum causâ congregantur, sed cùm congregabilia naturâ sint*, fingunt *favos*. Idem Lib. 2. de Oratore: *Illum, quem delegerit, imitando* effingat, *atque exprimat*.

(*u*) Aliquando etiam pro *simulare* capitur, quoniam ea, quae *simulamus*, ita formamus, atque componimus, ut *vera* esse videantur.

Flagitare est vehementer, & plerumque cum strepitu, & convitiô (W) poscere; *Postulare* est verecundè, & modestè id, quod jure quôdam debetur, rogare. Itaque FLAGITARE *majorem vim* exprimit. Cicero pro Quintio: *Quanquam haec causa* postulat, *et si* postulat, *non tamen* flagitat. Idem Varroni: *Metuo, ne te forte* flagitent; *ego autem mandavi, ut rogarent*. Conf. L. 1. §. 2. D. de Postul.

(*w*) (h. e. *duris verbis*, ut *flagellis*, instando *postulare*, seu)

(*x*) Sunt qui FLAGITO à *flamma* volunt deductum, qs. *flammas agito*, quoniam FLAGITARE idem sit, ac *vehementer*, & veluti cum *quadam inflammatione animi* petere, Leg. *Perotti Cornucopiae* Epigr. 19. col. 736. lin. 1. seqq.

Flagrat dicimus, quoties incendium significatur, quod flatu alitur, ut

- - - Admovitque pecus flagrantibus *Aris*. (*y*)

Sed quoties odor, qui fractâ specie major est, per R dicimus *Fragrat*, ut

- - - Redolentque *thymô* fragrantia *Mella*. (*z*)

(*y*) Apud *Virgilium* Lib. 12. *Aeneid*. v. 171.

(*z*) Apud *eundem* Lib. 14. *Georg*. v. 169. & Lib. 1. *Aeneid*. v. 436. Conf. *Nicol. Erythraei* Index in hos *Virgilii* Locos, Litt. F.

Flere est lacrymis dolorem suum testari, quod cùm fit effusiùs, dicitur *Lacrumare*. *Gemere* est (*aa*) crebra suspiria cum lugubri sonô edere. *Lamentari*, sive *Miserari* est cum ejulatu aegritudinem animi aperire. (*bb*) *Plorare* verò est voce flebili, & querelâ dolorem ostendere. Ennius in Annal. 1.

Flentes, plorantes, lacrumantes, *ac miserantes*.

Terentius in Phormione Act. 1. Sc. 2. v. 46.

Suam matrem lamentari *mortuam*.

Se-

Seneca ad Lucilium: Lacrumandum *est*, *non* plorandum. Idem de Consolatione: *Nullum finem per omne vitae suae tempus* flendi, gemendique *fecit*.

(aa) *(moestè* suspirare, seu)

(bb) Huc referendum *Queror* quoque, quod idem est, ac *Lamentor*. Nam *lamentando*, quae res sit, quae nos angat, explicare solemus. Quidam tamen *Lamentor* à *Queror*, sic distingui dicunt, ut *Lamentari* sit voce querulà, & tristi oratione cladem suam testari.

Flumen idem fluit, & manet; *(cc) Fluvius* temporibus siccatur. *(dd) Corn. Fronto.*

(cc) Ideòque *caeteris Fluviis* major est. (dd) Quamvis aliis *aquâ perennè defluens* dicatur.

Foedus est, quod jussu *Populi*, atque *Senatûs* auctoritate per *Fecialem Sacerdotem* solemni ritu feriebatur; *Pactio* est conventio paciscendae *Amicitiae*, & *Societatis* causâ certis conditionibus firmata; *(ee) Sponsio* est, quae à *Magistratibus*, & *Imperatoribus* injussu Populi fiebat, atque deditione eorum, per quos facta esset, infirmabatur. Ita *Foedus* Pactione, *Pactio* Sponsione firmior, & stabilior fuit; vel, FOEDUS sanciebatur *religione*, PACTIO, & SPONSIO firmabantur *poenâ*, auctore Caprô. Cicero pro Caecinnâ: *Quod Edictum Magistratûs, quod* Foedus, *aut* Pactio. Idem ad Quirites post Reditum: *Cùm omnium Provinciarum* Pactiones, *cùm omnia cum omnibus* Foedera. Sallust. in Jugurthâ; *Suô, atque Populi injussu nullum potuisse* Foedus *fieri*. Livius Lib. 9. *Consules profecti ad* PONTIVM *in Colloquium, cùm de* Foedere *victor agitaret, negarunt, injussu Populi* Foedus *fieri posse: nec sine Fecialibus, caeremoniâque aliâ solenni. Itaque non, ut vulgò credunt*, Claudiusque *etiam scribit*, Foedere *Pax* Caudina, *sed per* Sponsionem *facta est*. Id. ibidem: *Tam* Sponsiones, *quàm* Foedera *sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas Religiones Fides humana colitur; sed injussu Populi nego, quicquam sanciri posse, quod Populum teneat.*

(ee) Ergò PACTIO est *generale*, FOEDUS *speciale*. PACTIO item est *duorum*, & *plurium*; FOEDUS semper ad *plurimos* attinet. FOEDERA porrò sunt *publica*, PACTIONES autem *privatorum*. Vid. *Goclenii* Observationes L.L. p. 233.

Fora sunt Loca *Nundinationis*, & *Negotiationis*, vel *Judiciorum*, & *Litium* exercendarum sedes; *Fori* sunt tabulata *Navium*, sive spatia in *Navibus* apertiora, per quae incedunt, item *canales angusti*, & *oblongi*. (*ff*) Cicero de Senectute: *Cum alii malos scandant, alii per foros cursitent, alii sentinam exhauriant.* Virg. lib. 6. Aeneid. v.412. *Deturbat laxatque* foros. Varro de Vita Populi Rom. Fori *longi cum operculis.*

(*ff*) Sunt & FORI area Theatri, ubi eduntur Spectacula. FORUM autem in singulari Masculino pro *quolibet Scamno* sumi, testatur *Gifanius* loc. persaepe cit. p.99.

Forcipes sunt *Medicorum*, quibus dentes evellunt, vel spicula vulneribus extrahunt. Item *Fabrorum*, quibus ferrum, ignem, aliudve quid tenent, (*gg*) quasi *Forvicapes*, quòd FORVUM, id est, *calidum* capiunt. *Forfices* sunt *Sartorum*, & *Tonsorum*, quibus pannos, fila, & crines incidunt, vel amputant. Lucilius lib.19. Satyrar.

Quivis forcipibus *dentes evellere.*

Virg. Lib.12. Aeneid. (* v.403. seqq.)

- - - - *Nequicquam spicula dextrâ*
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe *ferrum.*

Idèm Lib.8. Aeneid. (* v.453.)

- - - - *Versatque tenaci* forcipe *massam.*

Columella Lib.12. *Si quae sunt in ea vitiosa grana*, forficibus *amputant*. Charisius, & Papirianus Grammatici volunt dici FORPICES *Tonsorum*, quòd pilum secant. Sed haec vox apud idoneos Auctores nullibi exitat.

(*gg*) Vid. *Virgilius* Lib.4. Georg. v.175. ubi de VULCANI *Cyclopibus* extat, quòd

- - - *Versantque tenaci* forcipe *ferrum.*

Forica est secessus publicus, in quem onera ventris dejiciuntur; à quô *Foricarii* appellati, qui foricatum vectigal conducebant. (*hh*) *Latrina* est privata, & familiarica sella. Juvenalis Satyra 3. (* v.36. seqq.)

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas.

Pau-

Paulus Jurisconsultus l.17.§.5 D.de Usuris:*Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit; ut solet à* Foricariis, *qui tardiùs pecuniam inferunt.*

(bb) Aliàs FORICARII *foricas*, aliaque *res sordidas* tractant.

Fornax est Balneatorum, Pistorum, & Figulorum, à quô *Fornicarius*, qui *Fornacem* custodit; & *Fornicator*, qui in *Balneô* accendendi ignis curam habet. *(ii) Furnus* est Pistorum tantùm. Unde *Furnarius* ἰπνοκαύσης, sive χαμινοκαύσης, & *Furnaria* ministerium *Furnarii*. Svetonius in Vitellô: ANTIOCHI *cujusdam* furnariam *exercentis filia.* Ulpianus ad Edictum 18.L.27.§.9. D.ad Legem Aqu.*Si* fornicarius *Servus coloni ad fornacem obdormisset.* Paulus ad Vitellium 2.L.14. D.de Fundo Instr. *Continetur autem* & fornicator.

(ii) In *genere* autem describitur *Fornax*, quòd sit focus occlusus, calefaciendo conclavi destinatus.

(*) *Formosus* est *forma* praestans; *Speciosus* saepe pro *pulchro* ponitur. *Ulpianus* tamen *Speciosas Personas* dici affirmat *clarissimas Personas utriusque sexus*. Immò & FORMOSUM *fortem* quoque denotare. *Dousa Fil.* Lib.3. *Plautin.Explanation.* Cap.13. (in spec.ad *Milit. Glorios.*) pag.267. auctor est.

Fors est fatorum lex; *Fortuna* est eventus incertus. *Illa* est Graecorum εἱμαρμένη; Haec τύχη. (*kk*) *Fors Fortuna* est fatalis eventorum causa. Attius in Andromeda: (*ll*)

Quibus natura prava magis, quàm Fors, aut Fortuna obfuit.

Lucilius Lib. 13. Satyr.

Aut Forte *omninò*, *ac* Fortunâ *vincere bello.*

Terent.in Phormione:(*mm*)O' Fortuna, ò Fors Fortuna, *quantis commoditatibus*! In quem locum Donatus, FORTUNA, inquit, *dicta est incerta res*; FORS FORTUNA *eventus* Fortunae *bonus*. Interdum tamen *Fors* pro *ipsa Fortuna* ponitur. (*nn*) Catullus: (*oo*)

Agnoscam, cùm te reducem Fors *prospera sistet.*

Tibullus: (*pp*)

Fors *juvat audentes*, - - - (*)

Ovidius Lib.1. de Arte v.26.

- *Audacem* Forsque, *VENUSque juvant.*

L 2 quod

quod est in veteri Proverbiô: *Fortes Fortuna adjuvat.*

(kk) Inde & FORTVNA pro *Bonis*, atque *Facultatibus* nonnunquam usurpatur. Sic *Cicero* statim ab initio fermè *Orationis* pro *Rabirio* sat mirè dicit, *Fortunae Opes.*

(ll) p.9. ubi *Stephanus* ex *Nonio* addidit, quòd FORS sit *casus temporalis*; FORTVNA verò *ipsa Dea.* (mm) Act.5. Sc.6. v.1.

(nn) *Fors*, & *Fortuna*, inquit *Comenius*, videntur esse *fortuita*, & *fortuitò* contingere; quae tamen non *forte* eveniunt, quia DEVS est, qui alium prae alio *fortunat*. Aliàs fuere nonnulli ex *Antiquis*, quibus neque FORTVNA, neque CASVS quicquam essent praeter *Fatum*; Omnia enim ex causarum connexione pendere putarunt. Alii maluere talia esse quaedam; quaedam verò sine causa necessaria evenire. Quae si esse possent in *consultatione* posita, FORTVNAM fecerunt auctorem; Sin *temerè*, atque ab *inanimis* proficiscerentur, v.g. *Montis ruina*, CASVM nominarunt. Haec *Jul. Caes. Scaliger*. Lib.3. *Poëtic.* Cap.1. p.188. Edition 5. Ex quo apparet, FORTVNAM *Physicè* sumtam esse in rebus secundùm *electionem*; CASVM verò in iis rebus, quae fiunt sine *electione*.

(oo) In Nuptiis Pelei, & Thetidos v.237. ubi utraque *Horatii Tuscanellae* Editio, *Basileensis* nempè, atque *Hanoviensis* pro FORS malunt legere Sors.

(pp) Haec verba *Tibullum* nequaquam auctorem agnoscunt.

(*) simile quiddam legitur in Virg. Aeneid. 10. v.284. *Audentes Fortuna juvat.*

Fratres dicuntur, qui *eôdem patre* nati sunt; *Germani*, qui *eandem Matrem* habent. Quam Differentiam tradidit Varro Lib. 1. de Gradibus: GERMANUS, inquit, *de* eadem Genetrice *natus est*, *non ut multi de eodem germine*, *qui tantùm* Fratres *dicuntur*. Sed, quod pace *Varronis* dicere liceat, vana est haec Differentia, nec ab idoneis Auctoribus observatur. (qq) Terentius in *Adelph.* Act.2. Sc.4. v.4. & seq.

- - - *Te habeam* Fratrem: O' *mi* AESCHINE!
O' mi Germane! - - - -

Idem in Andriâ: (rr)

Si te in Germani Fratris *dilexi loco.*

Hoc ergò differunt, quòd *Germani* sunt, qui eundem utrumque Parentem habent. *Fratrum* nomen generale est, quô & *Fratres Germani* continentur, & *Fratres Consanguinei*, qui de unô Patre nati sunt, licèt diversas Matres habeant; & *Fratres Uterini*, qui ex eadem Matre tantùm geniti sunt; item *Fratres Patrueles*, qui ex duobus Patribus procreantur, quae omnia in *Jurisconsul-*

sultorum, (Leg. 1. D. de *Gradib. Novell.* 118. c. 2. & 3.) & aliorum *Auctorum* Libris passim occurrunt.

(*qq*) Aliàs datur inter FRATRES *propriè sic dictos* haecce Differentia, ut alii sint GERMANI, qui ex *eodem Patre*, & eadem Matre procreati. Alii VTERINI, qui ex *eadem Matre*, sed ex *diversis Patribus* nati. Alii verò AGNATI, qui ex *eodem Patre*, sed ex *diversis Matribus*, orti. Vt verò *Matris* amor, quàm *Patris* erga *Filios* longè est tenerior; ita inter *Fratres* habere se videtur. Nam qui *eadem Matre* sunt geniti, & VTERINI vocantur, plusquam de substantia eadem participant. Vid. *Lorini* Tom. 2. *Comment.* in vers. 9. *Psal.* 58. p. 264. col. 1. B.

(*rr*) Act. 1. Scen. 5. v. 57.

Fremere est emittere sonum varium, & turbulentum, (*ſſ*) qualis exaudiri solet in tumultu populari, in hostili congressione, & in mari furentibus ventis. Unde & *Fremor*, qui est rumor Hominum, *Fremitus* Ferarum. *Frendere* est strictis, & concussis dentibus minaciter sonare, ut faciunt irati, & furiosi. Virgilius (*) Lib. 1. *Aeneid.* v. 559.

- - *Cuncti simul ore* fremebant.

Idem (*) Lib. 3. *Aeneid.* v. 664.

Dentibus infrendens *gemitu*. - - -

(*ſſ*) (seu Murmur edere prae *ira*.)

Frondes sunt Arborum; *Folia* sunt tàm Herbarum, & Florum, quàm Arborum. (*tt*) Lucretius lib. 5. v. 970.

Circum se foliis, & frondibus *involventes*.

(*tt*) Cur autem FRONDES *Arboribus*, atque *Plantis* datae, leg. *Rhodiginus* Lib. 32. L. A. Cap. 26. col. 1529. E.

Frondeum est totum de frondibus, ut Truncus; *Frondosus* verò est Lucus. *Servius*.

Fruges (*uu*) sunt, quae siliquâ, seu folliculô continentur, ut *Faba*, *Lupinum*, & reliqua Legumina; *Frumenta*, (*xx*) quae aristam habent, ut *Triticum*, *Avena*, *Hordeum*, & alia, quae nondum demessa, appellantur Segetes. Cicero: *Olei*, & Frugum *minutarum*. Vlpianus ad Sabinum 17. L. 12. §. 1. D. de Vsu, & Hab. *Neque foliis*, *neque oleo*, *neque* frumento, *neque* frugibus *usurum*. Sed interdum FRVGIS nomen generale est. (*yy*) Nam *Plinius* Lib. 18. facit duo genera *Frugum*, FRVMENTA, ut *Avena*, *Triticum*, *Hordeum*; LEGVMINA, ut *Fa-*

ba, *Cicer.* Et Julianus Jurisconsultus tradit L. 77. D. de Verb. Signif. FRUGEM *Appellari omnem reditum, non solùm qui ex* Frumentis, *aut* Leguminibus, *verùm etiam qui ex Vino, vel ex Sylvis caeduis, vel Cretae Fodinis, Lapidicinis percipitur*. Quâ notione FRUGES *arbores* dixit Cornificius: *Ut Folia, quae* frugibus arboreis *tegmina gignantur.*

(uu) Antiquo, eosque Litteras *Graecas* ex *Latino* agro planè exstirpantes, pro *Phryges* etiam FRUGES dixisse, *Janus Laurenbergius* in *Antiquario* p. 187. col. a. auctor est.

(xx) A' FRUMENTO fit *Frumentarius, a, um*, & *Frumentaceus, a, um*. HOC est ex *Frumento*; ILLUD in *Frumento*. Sic *Blattae* dicuntur *Frumentariae*; *Frumentaceae* autem non dicuntur. Edunt enim *Frumentum*, non fiunt è *Frumento*. Goclenius.

(yy) Quandò nempe denotat, quicquid, teste Spigelio, ex fructu terrae in alimoniam vertimus.

Frui est omnem rei fructum, & commoditatem percipere, neque ad necessitatem modò, sed & ad delectationem, & compendium convertere; *Uti* ad necessarium vitae usum, cultumque accommodare. Itaque plus est *Frui*, quàm *Uti*. (zz) Cato: *Si quid est, quô* utar, utor; *si non est, ego sum, cui per me* uti, *atque* frui *licet.* Cicero ad Curionem: *Id cujusque est proprium, quô quisque* fruitur, *atque* utitur. Livius Lib. 2. Fruantur, utantur *annona, quam furore suo fecerunt.*

(zz) HOC enim respicit *caduca*; ILLUD verò *constantia*; juxta illud AUGUSTINI: Utendum *est terrenis*, *sed* fruendum *coelestibus*. Aliàs *fruimur* nostris rebus; *utimur* autem alienis. Conf. *Schardii* Lexicon Juridic. p. 390. col. b. Quod autem FRUI etiam *Passivè* usurpetur, docet *Josephus Scaliger* in Appendice ad *Conjectan.* in *Varronis* de *L. L.* Lib. p. 196. Edition. *Stephan.*

Frustror (a) Verbum commune utrumque significat, FALLO, & FALLOR; *Frustra sum* est FALLOR, & DECIPIOR, in quibus verbis multifariam implicatis facetè lusit Ennius in Sat. ut refert Gell. lib. 18. cap. 2.

Nam qui lepidè postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra *eum dicit*, frustra *esse*.
Nam qui sese frustrari, *quem* frustra *sentit*,
Qui frustratur, *is* frustra *est*; *si non, ille est* frustra.

Quorum versuum sensus est: *Qui studet alium lepidè* fallere,

lere, *non statim potest dicere*, eludi *ac* falli *eum*, *quem ipse* fallere *vult*. *Nam ubi quis sentit* frustrà *alium operam dare*, *ut se* fallat· *tum nisi* fallitur *is*, *cui* fallacia *tenditur*, frustrà *est is ipse*, *qui eum* frustrari conabatur.

[a] Pro *Frustrari* Veteres etiam *Frustrare* dixisse, testatur, *Pomponius* in *Majali* his verbis: *Miseret me eorum, qui sine frustis ventrem* frustrarent *suum*.

Fulget natura, ut Ignis, Sol; *splendet* rasurâ, atque artificiô, ut Aurûm, & Argentum. (*b*) Servius.

[b] *Candet* autem Carbo, & Ferrum.

Fulmen est telum ipsum, quod emittitur. (*c*) Virgilius Georg. Lib. 1. v. 328.

Ipse pater, media nimborum in noctem, Corusca
Fulmina molitur dextrâ. - - - - -

Fulgur est ignis, sive coruscatio cum Fulmine emicans; (*d*) *Fulgetra* est Fulgor tantùm sine Fulmine. Cicero Lib. 2. de Divinatione: *Tum & Fulgura*, *&* Tonitrua *existere*. *Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit*, *id esse* Fulmen. Seneca Natural. Quaest. 1. *Nubes mediocriter collisae* Fulgurationes *efficiunt*, *majore impetu pulsae* Fulmina. Frequenter tamen FVLGVR pro *Fulmine* usurpatur. Cicero Lib. 1. de Divinatione: *De* FVLGVRVM *vi dubitare num possumus?* Svetonius in Augustô: *Cùm expeditione* Cantabricâ *per nocturnum iter lecticam ejus* Fulgur *perstrinxisset*, *servumque praeducentem exanimasset*. Idem in Domitianô; *Continuis octo mensibus tot* Fulgura *facta, nuntiataque sunt*, *ut exclamaverit*: FERIAT JAM, QVEM VOLET. Plinius Lib. 2. *Si in nube luctetur flatus*, *aut vapor*, Tonitrua *edi*; *si erumpat ardens*, Fulmina; *si longiore tractu nitatur*, Fulgetra. Idem Lib. 15. *Colitur ficus arbor in foro ipso, ac Comitiô* Romae *nata*, *sacrô* Fulguribus *ibi conditis*.

[c] Seu est *Fulguratio* cum *ipso Telo* in terras producta. Sumitur & FVLMEN eleganter quoque *Metaphoricè*. Vt cum *Cicero* vocat SCIPIONES Romani Imperii *Fulmina*; vel cum dicit Orationis *Fulmina*. Conf. *Doleti* Phrases, seu Formul L. L. fol. 16. fac. b. col. 2.

[d] *Perottus* in *Cornucopiae* Epigr. 27. col. 791. lin. 57. seqq. dicit, quòd FVLGVR, & FVLGETRVM, immò & FVLGVRATIO dicatur lux illa, & quasi vibratio luminis, quae ante cernitur, quàm *Tonitruum* fragor audiatur, cùm simul fieri certũ sit. Nec mirum est, quo-

L 4 niam

nam lux sonitu longè est velocior. Sed eruditus *Comenius* inter haec vocabula hanc constituit differentiam: *Cùm* fulgurat [*inquiens*] FVLGVR *est; cùm* Fulgura *iterantur*, FVLGETRVM; *cùm* Fulmina *intermiscentur*, FVLMINATIO.

Fultio, cum fit; *Fultura*, cum facta est, dicitur. (e) Corn. Front.

[e] Vt quid stet firmiter, idoneis *fulcitur* FVLCRIS, sive FVLTIONIBVS, *praefulciturque* tempestiva FVLTVRA, antequam ruat.

[*] *Fundatum* dicitur, quod principia habet, in quibus *Prudentiae* signum est; *Constitutum* verò est, quod habet exaedificationem, quod *virtutis* est indicium.

Fundere, & *Effundere* separat Seneca ad Lucilium: FABIANVS *mihi non* effundere *videtur Orationem, sed* fundere, *adeò larga est, & sine perturbatione, non sine cursu tamen, veniens*. Nimirum *Fundere* est sensim in omneîs partes, (*liquorem imprimis) spargere; ut FVNDIT *Sol* radios, FVNDIT *Artifex* metallum. *Effundere* autem est uno impetu sine modo projicere, ut *Populus concitatus se* EFFVNDIT; *Prodigus effundit opes*. Cicero Lib. 2. Officior. *Multi patrimonia* effuderunt *inconsultè largiendo*. *Fundere* est supinâ manu libare, quod fit in Sacris supernis; *Vergere* est conversâ in sinistram partem manu ita fundere, ut supernè convertatur, quod inferius fuit. *Servius*.

[*] *Funestum* est, quod *luctu* dignum est; *Luctuosum*, quod post *mortem* affert *luctum*, ideòque omninò est grave.

[*] *Fungi* est agere; *Defungi* verò perargere, atque perficere. *Agraetius*. *Lucretium* autem FVNGI pro *pati* non iniquè persaepe posuisse, *Scboppius* Lib. 3. *Verisimilium* Cap. 6. p. 153. docet.

Funis (f) est major, crassiorque; *Restis* minor. Vnde in Navibus *Funes*; in Lectis, & Sellis *Restes* dicuntur. Varro Lib. 1. de Re Rust. *Sic quae fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut* FVNES, RESTES, TEGETES. Ibidem: *Sic ubi cannabim, linum, juncum, spartum; unde Lineas*, Restes, Funes, *facias, quibus nectas boves*. Columella lib. 11. Cap. 3. *Illinitur vel nauticis veteribus* funibus, *vel quibuslibet aliis* restibus. Cato de Re Rusticâ: *Lecto* restibus *subtento*. Lucilius Satyrarum 6.

Tres à Deucalione *grabati* restibus *tenti*.

[f] FVNIS *aurea* [in Foemin. gen.] dicit *Lucretius* (*) lib. 2. v. 1154. Quid autem *propriè* sit iste *Funis aureus* tradit *Turnebus* Lib. 5. *Advers*. Cap. 25. col. 165. seq. Tom. 1.

Fu-

Funus (g) est cadaver jam ardens, quod dum portatur; *Exequias* dicimus, crematum *Reliquias*, & *Bustum*; conditum jam, *Sepulchrum*. Servius.

[g] Aliàs *Funebres Umbras* adumbrationem *saepulturae* in *inani Sepulchro* esse, testatur idem *Turnebus* lib.23. *Adv.* Cap.3. col. 809. Tom.2.

Furca, & *Patibulum* olim multum differebant. *Nam Furca* (h) erat lignum geminum in modum literae V, ita ut initium, & caput esset à tergô hominis, qui eam ferret; inde paulatim divaricatum circa pectus, & humeros ad manûs volam pertingebat. *Patibulum* (*) verò erat stipes transversus, quem noxii dispessis in eum manibus circumferebant, priusquam tollebantur in crucem. *Illa* erat levior poena Servorum, qui ob minima delicta (*in exemplum*) circumduci solebant collô furcae insertô, unde FVRCIFERI dicti: (i) *Hoc* erat supplicium damnatorum ad crucem. Svetonius in Nerone; *Cùm comperisset nudi hominis cervicem inseri* furcae, *corpus virgis ad necem caedi*. Plautus in Carbonariâ: (**)

PATIBVLVM *feram per urbem, deinde affigar Cruci.* Sallust. Lib.6. Historiar. PATIBVLO *eminens affigebatur*. Sed posterior aetas FVRCAM usurpavit pro *Patibulô*, quô fures suspenduntur. Isidorus Lib.5. Etymologiar: PATIBVLVM *vulgò* Furca *dicitur*, *quasi ferens caput*; *Suspensum enim*, *&* *strangulatum haec exanimat*. *Sed* Patibuli *minor poena*, *quàm* Crucis; *Nam* Patibulum *appensos statim exanimat*, Crux *autem suffixos diu Cruciat*.

[h] FVRCA *propriè* est instrumentum bisulcum, vel trisulcum, quo aliquid perfossum portatur.

(*) Patibulum *sera*, *qua ostia occluduntur*, quòd hac remota Valvae pateant. Titin. Fullon. *Si quispiam hodie praeter*, *hanc posticum nostrum pepulerit*, patibulo *hoc ei caput defringam*. *Nonius Marcellus*.

(**) In fragmentis v.65. Vbi alii adjectivè legunt *Patibulus ferar*.

[i] Vid. *Scbardii* Lexicon p.395. col.b.

Furiosus est, qui ita jactatur, agitaturque, ut neque corpore, neque animô consistere possit; *Insanus* est, qui non habet mentem integram, & ob hoc non servat modum, minusque sapit, quàm *Stultus*. (k) Nam, ut

ait Plato in Timeo: Δύο δ' ἀνοίας γένη· ἡ μὲν μανία, ἡ δ' ἀμαθία id est, *Duo* Amentiae *genera, alterum quidem* Insania; *alterum verò inepta* Stultitia. Terent. in Eunuchô: *(l)*

Hic homines prorsum ex STVLTIS insanos *facit*. Horatius Lib. 2. Sermon. *(m)*

Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus? Stultus, *&* insanus. - - - - - -

Cicero Lib. 3. Tusculanar. *Itaque non est scriptum: si insanus, sed si* furiosus *esse incipit*.

[k] Vndè patet FVROREM esse *temporis*, INSANIAM *perpetuam*.
[l] Act. 2. Scen. 2. v. 23. [m] Satyr. 3. v. 158. seq.

Furtim, *(n)* cùm incipit; *Furaciter*, quasi artificiosè à consuetudine furandi; *Furtivè*, quod jam ablatum. Ergo *Furtim*, & *Furaciter* Furax, *Furtivè* Locus facit. Corn. Fronto.

[n] i. e. clandestinè, Ejus Opposita sunt *liberè*; & *palàm*. Cicero Lib. 2. de N. D. *Itaque Bestiae* furtim, *ut dixi, fruuntur*; *Domini* palam, & liberè.

Fusco album opponitur; *Nigro* candidum. *Corn. Fronto.*

G.

G*Allus* natione; *Gallicus* ex Galliâ. *Corn. Fronto.*

(*) *Gaudeo* commodô propriô; *Laetor* alienô.

Gaudium est affectio animi modestè, & constanter se efferentis; *(o) Laetitia* verò est exultatio quaedam animi effusè, & inaniter elati, eventu rerum expetitarum. *Haec* cadit in quemlibet; *Illud* in sapientem, ut ait Seneca ad Lucilium: *Imperfectis adhuc interscinditur* Laetitia; *Sapienti verò contexitur* Gaudium. Terentius:

Gaudia *sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet* Laetitia. Sallust. in Catilinâ: *Variè per omnem exercitum* Laetitia, *Moeror*, *Luctus, atque* Gaudia *agitabantur*. Id. ibidem: *Veluti servitute erepta* Gaudium, *&* Laetitiam *agitabat*. Haec tamen confundit Cato in Oratione pro Rhodiensibus: *Adversae res se domant, & docent, quid opus sit facto; Secundae res* Laetitiâ *transversum trahere solent à rectè consulendo, atque in-*

intelligendo. Quô majore opere dico, suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tantô Gaudiô *in potestatem nostram redeamus*. Plautus in Poenulô: (*p*)

Quàm (*q*) *hac me* Laetitiâ *tantâ*, *&* *tantis affecistis* Gaudiis.

Cicero Orat. 1. in Catilinam: *Quâ* Laetitiâ *perfruère? Quibus* Gaudiis exultabis; Livius Lib. 33. *Occupati animi praesenti* Laetitiâ, *nihil, quô vanius fieret* Gaudium *suum, auribus admittebant*. Idem Lib. 36. *Elatum insolentem juvenem immodicô* Gaudiô. *Exultatio* membrorum, atque corporis Laetitiam designat. *Agraetius*. Cicero Lib. 4. Tusc. Qu. *Atque ut confidere decet, timere non decet; sic quidem* gaudere *decet*, laetari *non decet: quoniam docendi causâ à* Gaudiô LAETITIAM *distinguimus*.

[o] Sive *Gaudium* illud dicitur, cùm ratione movetur animus *placidè*, atque *constanter*; cùm autem & *inaniter*, & effusè idem exultat animus, tùm illa *Laetitia* gestiens, vel nimia, dici potest. Cic. lib. 4. Tusc. Qu. Leg. *Doletus* loc. persaepe alleg. fol. 67. fac. b. col. a. *Scalig.* Lib. 1. *Poët.* Cap. 2. p. 9. *Laetitiam* vocat animi in corpore sano affectionem. Differt autem *Laetitia* ab *Exultatione* hunc in modum, ut HAEC sit in *re*; ILLA autem in *spe*, sicuti *Lorinus* Tom. 1. *Commentar.* in *Psal.* 19. vers. 3. p. 126. col. 1. B. ex *Hieronymo* probè annotavit. Conf. *Gellii* Lib. 2. N. A. cap. 27. p. 201. Edition. *Tornaesian.*

[p] Act. 5. Scen. 4. v. 104.

[q] Heic utraque *Taubmanniana* Editio, atque diversae *Lambini* pro *Quam*, commodius CVM substituunt.

Gemma (*r*) est omnis lapillus pretiosus, cujuscunque coloris, vel naturae sit; *Margarita*, sive *Margaritum*, est concharum partus, qui apud rubrum Mare coalescit. Cicero Orat. 6. in Verrem. *Nego ullam* Gemmam, *aut* Margaritam *fuisse*. Svetonius in Augustô: Gemmas*que*, *ac* Margaritas *quingenties* LLS. *unâ donatione contulerit*. Plinius Lib. 7. *Inter spolia* DARII, Persarum *Regis, unguentorum scriniô captô, quod erat Aurô*, Gemmis*que*, *ac* Margaritis *pretiosum*. Servius Grammaticus haec discernit, ut GEMMA diversi coloris sit, MARGARITA alba; ILLA integra, HAEC pertusa. Ulpianus verò ad Sabinum 20. L. 19. §. 17. & seqq. D. de Aurô,

arg.

arg. GEMMAE *sunt*, inquit, *pellucidae materiae*, *quas* (ut refert Sabinus Libris ad Vitellium) Servius *à* Lapillis *eô distinguebat*, *quòd* GEMMAE *essent pellucidae materiae*, *velut* Smaragdi, Chrysolithi, Amethysti; LAPILLI *autem contrariae superioribus naturae*, *ut* Obsiani, Venientani. MARGARITAS *autem nec* Gemmis, *nec* Lapillis *contineri satis constitisse*, ibidem Sabinus ait; *quia concha apud rubrum Mare & crescit, & coalescit*. Quam Differentiam soli *Jurisconsulti* agnoscunt, caeteri *Auctores* non observant, qui *Gemmae*, & *Margaritae* Vocabulis ita, ut priùs dixi, ferè utuntur, & *Lapilli* Nomen communiter tribuunt *Gemmis*, & *Margaritis*, ut Catullus, cùm dixit Carmine 69. v. 4. *Pelluciduli delitiis* Lapidis, GEMMAS intellexit; MARGARITAS Horatius. *(s)*

[r] (*propriè* est *oculus vitis*, quem primo Vere emittit. Deinde per *Similitudinem*.)

[s] Vid. Ejusd. Lib. 1. *Sermon.* Sat. 2. v. 80. & Lib. 2. *Epist.* 2. v. 180. 181. & 182. ubi talia Cimelia videtur prorsus contemnere.

Genae sunt (* palpebrae seu) membranae superiores, inferioresque, quibus oculus aperitur, & clauditur, ut *Ennius* de dormiente, apud Serv. in Aeneid. 6. *Imprimitque* genam genae. *Malae* autem sunt eae faciei partes, quae infra oculos eminent rotundae in speciem Mali. Sed Vetustissimi GENAS pro *Malis* dixerunt, ut observavit Plinius Lib. 11. his verbis: *Infra oculos* Malae, *homini tantùm, quas prisci* Genas *vocabant*, 12. *Tabularũ. Interdicto radi à foeminis eas vetantes*. Et *Malae* appellantur etiam partes intra os. Plautus in Bacchidib. *(t)*

Ne nucifrangibula excussit ex Malis *meis*.

Idem in Trinummô Act. 2. Sc. 4. v. 74.

- - - - *Ambabus* Malis *expletis vorem*.

[t] Act. 4. Sc. 2. v. 16.

[*] *Gena* est membrana, oculos tegens; *Cilium*, quod aliàs extremus Genae superioris est ambitus, habet pilos; *Mala* est pars infra oculos, Ruboris sedes; Bucca quasi follis intra illam.

Generale est, quod omnes Species, quae sub *Genere* sunt, includit, ut HOMO omnes Homines; *Universa-*

le,

le, quod omnia RERUM Genera *universim* continet, ut ANIMAL Homines, & Bruta. Cicero in Academicis: *Qui loquitur de* universis, *nihil excipit*; *Quid enim potest esse extra* Universum. Hinc *Jurisconsulti recentiores* JUDICIUM GENERALE appellant, cùm Actor in *genere* multas, & diversas res simul petit, ut si agit *Negotiorum gestorum*, *Tutelae*, aut pro *Sociô*; quibus Judiciis, qui conveniuntur, hi multas res simul administrârunt: UNIVERSALE, ubi petitur Jus universum, ut in Judiciô *Bonorum Possessionis*, vel *Familiae erciscundae*, in quibus ipsum Jus Possessionis, & Haereditatis, non illa, ex quibus constat, inspicitur. Quae Differentia, etsi magnos Auctores habet, mihi tamen ideò non probatur, quòd Veteres nulla *Universalia* Judicia nominant, sed tantùm *Generalia*, & *Specialia*, ut Paulus ad Sabinum 6. l. 38. D. pro Socio: *Quod* Sabinus *in omnibus bonae fidei Judiciis existimavit*; *sive* Generalia *sunt*, *veluti pro Sociô*, *Negotiorum gestorum*, *Tutelae*; *sive* Specialia, *veluti Mandati*, *Commodati*, *Depositi*.

[*] Heic obiter notandum, quòd *Adverbium* GENERALITER longè fit strictius *Adverbio* VNIVERSALITER, quemadmodum *Philippus Decius* in Enarrat. in *Regul.* 1. *Tit. ff.* de *Regul. Jur.* nu. 18. p. 7. col. b. ostendit.

Genitrix est, quae genuit, (*vel *peperit*,) vel generis originem dedit, ut VENUS Genitrix à *Romanis* culta. *Mater* est tam illa, quae aluit, & educavit, quàm quae genuit: (*u*) quomodo etiam differunt *Genitor*, & *Pater*. Plautus: (*x*)

Ita formâ simili pueri, *ut* mater *sua*
Non internosse posset, *quae* mammam dabat:
Neque adeò Mater ipsa, *quae* illos pepererat.

Arnob. L. 7. Genitrix, & Mater *Superstitionis*, HETRVRIA. Idem Lib. 2. Genitore illo, *ac* Patre *prolatas*.

[*u*] In *genere* dicitur MATER Foemina foetum pariens.
[*x*] In Prologo *Menaechm.* v. 19. 20. & 21.

Genus est initium cujusque Ortûs, quod vel à Patriâ ducitur, vel à Parentibus; (*y*) *Gens* est principium Fami-

miliae; *Stirps* est pars Gentis, ut *Cornelii* omnes unius sunt Gentis, & unô nomine continentur omnes. At verò partes istius Gentis sunt plures, discretae cognominibus, eaeque *Stirpes*, & *Familiae* nominantur, ut CINNAE, DOLABELLAE, LENTVLI, SCIPIONES, SVLLAE. Sic ergo GENS *Genus*, & *Stirpem* continet; non contrà GENVS, & STIRPS *Gentem*. Caesar in Laudatione Juliae Amitae, apud Svetonium in Julio: *Maternum* Genus *ab Regibus ortum; Paternū cum Dîs immortalibus conjunctum est. Nam ab* Anco Marcio *sunt* (y) MARCII *Reges, quô nomine fuit* Mater; *à* Venere JVLII, *cujus* Gentis *Familia est nostra*. Papinianus Quaestionum 3. l. 1. D. de Prob. & Praes. *Quotiens quaereretur*, Genus, *vel* Gentem *quis haberet, nec ne, eum probare oporteret*. Cicero in Laelio: *Qui aliquandiu propter ignorationem* Stirpis, *&* Generis *in famulatu vixerint*. Idem Lib. 2. de Oratore: *Quum* Marcelli *à Liberti filio* STIRPE CLAVDII *Patricii ejusdem hominis haereditatem* Gente *ad se redisse dicerent, nonne in eâ causâ fuit de toto* Stirpis, *&* Gentilitatis *jure dicendum*?

(y) Et sic GENERIS nomine *omneis utriusque sexus* venire, *Decius* in Enarrat. in *Reg.* 2. Tit. ff. de *Regul. Jur.* num. 65. p. 29. col. b. affirmat, allegans *Baldum* in l. 1. de *Prob.* sic dicentem: *De Genere meo dicuntur etiam, qui sunt* cognati. *Genus*, & *Species* aliter accipi à PHILOSOPHIS, aliter à LEGISTIS, *Antonius del Re* in Tract. Novo de *Juramento Calumniae* Cap. 1. num. 11. p. 3. tradit. *Dubium* autem, & *Commune* GENVS apud *Grammaticos*, sic differunt, ut *Commune* sit rerum animatarum; *dubium* verò rerum ferè inanimatarum. Genus & pro *Modo* sumi, videndum est ex *Gifanii* Observationib. L. L. p. 100.

Genus ad Vivos pertinet; *Familia* etiam ad Defunctos. *Genus* ad Nobilitatem; *Familia* ad Copiam refertur. *Donat.*

Gens est multitudo unius Populi, (z) ut *Gens* ROMANA; (aa) *Natio* est genus Hominum ex diversis *Gentibus* collectum, (bb) ut *Natio* GRAECORVM, *Natio* GERMANORVM. Cicero Lib. 1. Offic. *Propior est ejusdem* Gentis, Nationis, Linguae, *quâ maximè conjunguntur*. Idem pro Fontejo: *Exteris* Nationibus, *ac*

Gen-

Gentibus *ostendere*. Et de Lege agrariâ: *Non* Gens *ulla, non* Natio *pertimescenda est*. Tacitus de Moribus Germanorum: *Ita* Nationis *nomen, non* Gentis, *evanuisse paulatim.* Vlpianus L. 1. §. 5. D. de censib. *Prope Barbaras* Gentes, *&* Nationes *collocata*. Sed interdum GENTIS Nomen *latiùs* patet, ut cùm vocamus *Jus Gentium*, quod omnibus Nationibus, & universo Generi humano commune est; & NATIO de singularibus Hominibus quoque dicitur. Cicero pro Sestio: *Quae esset nostra* Natio *Optimatium.* Plautus in Menaechmis:

Nam ita est haec hominum natio Epidamnia,
Voluptarii, atque potatores maxumi.

[z] seu unius generis multiplicata propago.

[aa] *Ecclesiasticis*, seu *Theologis*, GENTES dicuntur Ethnici infideles. *Gifanius* GENTIVM vox (loc. cit. p. 104.) pro *iis* sumi dicit, qui non sunt *Cives* ROMANI.

[bb] seu Hominum ex una Stirpe multitudo.

[*] *Gesta* sunt publica; *Acta* privata.

[*] *Gestus* est vultus, & corporis moderatio; *Gestio* rerum perpetratio.

Glacies est, quae ex coitu aquae constagnat; *Nix* ventorum ritu cadit. (cc) *Corn. Front.*

[cc] Aliàs *Glacies* dicitur congelatus liquor, & *Hyemis* ornamentum; *Nix* verò est pluvia in *lanae* formam concreta.

Gloria est consentiens opinio, & existimatio multitudinis de dignitate cujusquam; (dd) *Laus* est clara, ac illustris alicujus commendatio. *Illa* in tacitâ opinione; *Haec* in aperta praedicatione consistit, & illustrior est. (ee) Cicero Orat. 1. in Catilinam: *Sin autem servire meae* laudi, *&* gloriae *mavis*. Et in 3. *Omnia ornamenta* Honoris, *monumenta* Gloriae, Laudis *insignia condi, & collocari volo*. Idem pro Archiâ: *Ad Populi* Rom. gloriam, laudemque *celebrandam*. Ibidem: *Nullam enim virtus aliam mercedem* laudum, *periculorumque desiderat, praeter hanc* laudis, *&* gloriae. Ad D. Brutum: *Quae ad tuam* laudem, *&* gloriam *pertinebunt*. Tacitus Lib. 4. Historiar. *A* laude, gloriâque *Gentis exorsus*.

[dd] seu est frequens de aliquo fama cum laude, sicuti insit *Perottus* in *Cornucop*. Epigr. 2. col. 57. lin. 38. Comparatur autem GLORIA *glorio-*

riosis actionibus, & tunc vera dicitur. Ne autem *gloriabundus* prorsus vivat *inglorius*, ipse de se & gestis suis *gloriatur*. Graeci Κλέ@- *Gloriam*; Δόξαν Dignitatem vocant, & quidem observante *Scaligero* Lib. 3. *Poëtic.* Cap. 110. p. 371. ubi & τῶ Ἐπαίνυ, καὶ Ἐγκωμίυ p. 370. datur *Differentia*.

[ee] seu rei bene aestimatae praedicatio.

Glorius unius est gloriae; *Gloriator* non habet causam gloriandi, sed tamen gloriatur; *Gloriosus* (ff) pluribus de causis esse cogitur. *Corn. Fronto.*

[ff] Aliàs est *Gloriosus*, qui se vel inaniter jactat, vel alterius *inani laudatione* effertur, & laudari quaerit. *Perottus.*

Graecus, qui in Graeciâ est, ut *Graecus* Homo, (gg) *Graecum* vinum. *Graecanicus*, qui *Graeci* formam, & similitudinem habet, ut Vestis *Graecanica*, Trocleae *Graecanicae* apud Catonem, h. e. *Machinae tractoriae*, quae fiunt ad similitudinem Graecae Litterae θ. *Graeciensis*, qui *Graecis* frequens, & usitatus est. Varro Lib. 9. de Ling. Lat. *Itaque, ut hic alia* Graecâ, *alia* Graecanica, *sic* Analogiae. Gellius Lib. 19. Cap. 10. *Offendimus eum cubantem in Scimpodio* Graeciensi.

[gg] Sic dicimus quoque *Homo Romanus*, *Homo Italicus*, *Homo adolescens*, *Homo novus*, *Homo valens*, &c. qui omnes sunt loquendi modi à divina illa Vetustate celebrati; à supervenienti verò Barbarie, *Hadriano Cardinale* de *Serm. Lat.* p. 195. loquente, neglecti.

Grammaticus, & *Grammatista* ita distinguuntur, ut *Ille* sit absolutè, perfectèque doctus Litterarum; *Hic* mediocriter eruditus. *(hh)* Svetonius de claris Grammaticis: *Sunt, qui Litteratum à Litteratore ita distinguunt, ut* Graeci GRAMMATICVM à Grammatistâ, *&* ILLVM *quidem* absolutè, HVNC mediocriter *doctum existiment*. Idem ibidem: *Legerat in Provinciâ quosdam veteres Libellos apud* Grammatistam.

[hh] ILLE *Latinè* potest scribere; HIC saltem *Latina* intelligit.

Grandis ad partem aetatis pertinet, *(ii)* ut grandis Nata; *Major* generaliter, & ad summam Aetatis refertur. Ponitur etiam ad comparationem Aetatis. *Grande* *(kk)* incremento; *Magnum* amplitudine; *Immane* praecipuae amplitudinis est. *Corn. Fronto.*

(ii) &

(ii) & idem est, ac crescendo factus magnus.

(kk) Ejus DEMINUTIVA sunt *Grandiusculum*, & *Grandiculum*; OPPOSITA verò *Adolescens*, *Parvum*, & *Tenue*. Leg. *Gambarella* l.c. p.308.

Gratias agimus verbis; *Gratiam habemus* animô, & voluntate; *Gratiam referimus*, (*ll*) vel *reddimus* factis; *Gratiam facimus*, cùm remittimus aliquid, ne praestetur, aut praestiti religione solvimus. Cicero ad Terentiam: *Huic utinam aliquando* gratiam referre *possimus*, habebimus *quidem semper*. Plancus Ciceroni: *Immortales* ago *tibi* gratias, agam*que*, *dum vivam*; *Nam* relaturum *me adfirmare non possum*. Svetonius in Augusto: Gratiam fecit *conjurandi cum tota Italia pro partibus suis*, id est, *remisit necessitatem conjurandi*. Idem in Tiberio 35. *Equiti Romano jurisjurandi* gratiam fecit, *ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret*, *quam se nunquam repudiaturum ante* juraverat. Plautus in Rudente: Act.5.Sc.3.v.58. seq.

- - - *Jurisjurandi volo* gratiam facias,

Id est, *solvas religione praestiti juramenti*.

(*ll*) GRATIAM REFERRE etiam in *malam partem* pro ULCISCI, seu TALIONEM reddere, sumi, *Cicero* Orat. pro *Sylla* auctor est his verbis: *Permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. Quod si esset usu, atque aetate robustior, essem idem, qui soleo, cùm sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, ut tulisse potiùs injuriam, quàm* retulisse gratiam *videar*. Sic *Terentius* in *Eunucho* Act.5. Sc.3. v.2.

- - - *Qui* referam *illi sacrilego* gratiam?

Aliàs ex mente *Goclenii* in Observ. p.233. *Gratias agimus* beneficiis acceptis; *Gratificamur* rem gratam facientes; *Gratulamur* in rebus laetis, quando nempe DEO pro re bene gesta gratias agimus maximè decenteis. Vid. *Oliverii Arzignanensis* Commentar. Historicus, & Litteratus ad *Val. Max.* Lib.1. Cap.1. fol.3. fac. a. Edition. Ascensianae.

[*] *Gravare* differt à *Gravari*. HOC idem est, ac *graviter* ad aliquid persuadere; ILLUD autem aliquid *grave* reddere.

Gremium dicitur illa pars, quae est intra complexum Femorum; *Sinus* verò intra Pectoris, Brachiorumque complexum: (*mm*) veluti in *Sinu* gestantur infantes, in *Gremiô* foventur, & reponuntur. Terent. in Adelphis Act.4. Sc.5. v.75.

Hic non amandus? Hiccine non gestandus in Sinu est?

Virgil. (*) Lib. 1. *Aeneid.* v. 718.

Haeret: & interdum gremio *fovet, inscia* DIDO.

Idem (*) Lib. 8. *Aen.* v. 712.

Pandentemque sinus, *& tortâ veste vocantem*
Caeruleum in Gremium. - - -

Hinc *Sinus* appellatur quaecunque vestis laxitas, & propriè ea, quae ante pectus descendit supra cincturam, apta rebus occultandis, & abscondendis. Nam Veteribus in togâ *Sinus* ita laxi fuerunt, ut vel à sinistrâ in dextrum humerum rejicerentur, vel à sinistrô humerô in brachium, & interdum ad lumbos, atque ima crura demitterentur. Svetonius in Caesare: *Togâ caput obvolvit: simul sinistrâ manu* Sinum *ad ima crura deduxit.* Quintilianus Lib. 11. *Illud verò non ferendum, quôd quidam rejectâ in humerum togâ, tum dextrâ* Sinum *usque ad lumbos reduxerunt.* Idem Ibidem: Sinum *verò in dextrum humerum ab imò rejicere solutum, ac delicatum.* Et ab hâc postremâ significatione manârunt *Locutiones Proverbiales* apud Ciceronem, Senecam, Tibullum, & alios *in* Sinu *esse, gaudere, flere, odisse,* pro in occultô. *In* Sinu *habere,* Scaevola Digestor. 33. l. 27. D. de Prob. *Quòd omnem fortunam, & substantiam, quam à Matre susceperat, in* Sinu *meô habui*: id est, in fide, & potestate meâ. *In* Sinum *convertere,* vel *conferre,* pro in rem suam. Lampridius in Commodô: *Praedam omnem in* Sinum *contulit.* Id. ibidem: *Qui etiam condemnationes in* Sinum *vertisse dicuntur.*

(*mm*) vel *Gremium,* est accinctae vestis secretum; *Sinus* verò concavitas.

(*) Qualis datur *Differentia Mathematica* inter *Gubernaculum,* & *Remum,* tradit *Henricus Monantholius* in Commentar. ad *Aristotelis Mechanic.* p. 76. his verbis *Dissimilitudo est* Gubernaculi, *&* Remi *ex differenti loco, ad quem utrumque navim movet. Utrumque enim navim movet ad locum, qui contrarius est ei, ad quem Mare impulsum movetur. Movetur enim navis ad centri, cui est annexa, motum. Centrum autem in* Remo *est scalmus, in* Gubernaculo *cardo. Movetur hoc contrà, quàm depulsum Mare. Mare autem retrorsum rectà à* Remo *depellitur; movet igitur* Remus rectà *antrorsum navim. Contra Mare à* Gubernaculo *obliquè impellitur, vel dextrorsum, vel sinistrorsum.*

Mo-

Movet igitur obliquè Navim (quod est intelligendum de *Puppi*, non de *Prora*, quae in partem, ad quam Mare movetur,) *sinistrorsum, si illud dextrorsum; vel* dextrorsum, *si illud sinistrorsum.*

(*) *Gustare*, & *Sapere* ita differunt, ut *Gustare* sit saporem recipere: *Sapere* verò saporem dare. Homo dicitur *Gustare*; Cibus verò dicitur *Sapere*. Homo comedens *gustat*; & cibus, qui comeditur, *sapit.*

(*) Gutta, utpote liquoris particula minima, stat; seu, ut alii dicunt, manat, sive profluit è *Gutto*, seu *Gutturnio*, non *guttatim*, sed rivatim; *Stilla* verò ex loco superiore cadit.

H.

HAbere (*nn*) est rem detinere, sive jure Dominii, sive quô aliô modô; *Tenere* (*oo*) est corpore possessioni insistere, licèt Jus possidendi non competat; *Possidere* pro Dominiô uti. *Hoc* solius *Domini* est, & *Liberi*, qui utitur re suâ, & jure possessionis fruitur. *Illa duo* cadunt etiam in *Servum*, *Commodatarium*, vel *Usufructuarium*. Cicero pro Flaccô: *Hanc fiduciam commissam tibi* tenes *hodiè, ac* Possides. Livius Lib. 34. *Quaeque procurator* tenuerit, *pro Dominô* possederit. Idem Lib. 36. *Quod ille bello captum* possideret, haberetque. Florentinus Institut. 8. l. 18. §. 1. D. de Accept. *Quodve Tu meum* habes, tenes, possides. Ulpianus ad Sabinum 49. l. 38. §. 8. D. de Verb. Oblig. *Planè si* tenere *sibi licere stipulatus sit servus, utilem esse stipulationem cõvenit; Licèt* enim possidere *civiliter nõ possint*, tenere *tamen eos nemo dubitat*. Idem Lib. 6 (9) ad Edictũ l. 1. §. 33. D. de vi arm. *Quod autẽ ait Praetor, Quaeq; ibi* habuit, *sic accipimus, ut omnes res contineantur, non solùm quae propriae ipsius fuerunt; verùm etiam si quae apud eum depositae sunt, vel ei cõmodatae, vel pigneratae, quarumque usum, vel usumfructum vel custodiam* habuit, *vel si quae ei collocatae sunt: Cùm enim dicat Praetor*, Habuit, *omnia haec* Habendi *verbô continentur.*

(*nn*) HABERE etiam pro *Habitare*, atque *Morari* apud *Ciceronem*, atque *Livium* poni, *Gifanius* loc. persaepe cit. p. 105. testatur. Quid autem propriè sit Habere honorem, & Habere honores, tradit Hadrianus Card. loc. cit. p. 193.

 (*oo*) TE-

(oo) TENERE à τείνειν, h.e. *tendere* derivatur. Ad *tenendum* enim aliquid nervos *tendi* est necesse; Ideòque TENERE idem est, ac *apprehensum habere*.

Habitus intelligitur omnis corporis cultus, ornatusque; ut *Habitus* militaris, religiosus, scenicus; (*pp*) *Vestitus* nomine sola vestimenta continentur. Unde *M. Cato* Orationes inscripsit, unam de *Habitu*, alteram de *Vestitu*. Svetonius in Caligulâ: Vestitu, *calceatuque, & caetero* habitu *neque patrio, neque civili*. Idem in Nerone: *In illo suo scenico* habitu.

(pp) Denotat & *Habitus* roboratam in animo consuetudinem; cùm *propriè* sit. quicquid quis habet proprium.

(*) *Hactenus* semper significat, seu indicat absolutae rei continuationem; *Adbuc* interdum etiam non absolutae.

Harundo, telum è canna. Virgil. Aeneid. 4. vers. 73.

- - *Haeret lateri lethalis* Harundo.

Arundo, Canna est ab ariditate dicta. Virg. Georg. 2. v. 414.

- - *Fluvialis arundo*. Agraetius.

Has manus, hujus hominis dicimus; *Hanc manum*, multos homines conjungentes. *Agraetius*.

Hebescit, (*qq*) quod naturâ obstupescit; *Hebetescit*, quod amittit aciem. *Corn. Fronto*.

(qq) Conf. *Perotti* Cornucopiae Epigr. cxv. col. 1005.

Herbidum (*rr*) locum dicimus, in quô Herba est, etsi aridus esse consueverit; *Herbosum*, qui Herbam facilè generat, etiamsi ad tempus aridus sit. *Agraetius*.

(rr) *Herbidus* aliàs dicitur color, qui herbam refert, hoc est, *Viridis*, apud Plin. lib. 12. cap. 14. quemadmodum & *Herbeus*. Plautus in Curc. Act. 2. Sc. 1. v. 15. seq.

- - - - - *Qui bic bomo est,*
Cum collativo ventre, atque oculis berbeis?

Herbosus dicitur locus herbis abundans. Ovid. 14. Metam. v. 445.
Solvitur herboso *religatus ab agere funis.*

Herbaceum, quod est ex herba, ut *corona berbacea*. Aut quod in herbam excrescit, & assurgit. Plin. lib. 12. cap. 13. Herbaceum *amomum pejus*.

Herbarium, quod ad herbas pertinet: ut, *Ars berbaria*, qua herbarum vires dignoscimus.

Herè, quamdiu; *Heri*, (*ss*) quando: Ita enim quidam putant dici debere. Fl. Sosip. Charisius.

(ss) quod idem est, ac *die praecedente*. Vana est hæc differentia.

Etenim

Etenim propter cognationem E, & I literarum (ut notat Aelius Donatus in Terentii Phormionem Act. 1. Sc. 1.) non dubitaverunt Antiqui & *Here*, & *Heri* dicere; & *Mane*, & *Mani*; & *Vespere*, & *Vesperi*. Itaque *Herè* pro *Heri*, seu hesterno die, reperitur non solùm apud Comicos, sed etiam apud alios Poëtas. Plautus in Amphitr. Act. 1. Sc. 3. v. 16.

Herè *venisti media nocte, nunc abis.*

Idem in capt. Act. 1. Sc. 2. in princ.

Advorte animum sis tu: istos captivos duos,
Herè *quos emi de preda, de Quaestoribus,*
His edito catenas singularias.

Terentius in Eunucho Act. 2. Sc. 3. v. 65.

Inhonestum hominem, quem mercatus est herè.

Ovidius Amor. lib. 1. Eleg. 8. v. 23.

Scis herè *te, mea lux, juveni placuisse beato.*

Juvenalis Sat. 3. v. 23.

Res hodie *minor est, herè quàm fuit.*

Martialis lib. 1. Epigram. 44. v. 2.

Et positum est nobis nil herè, *praeter aprum.*

(*) HEROS, i.e. Vir illustris, & divinus, etiam de *vivis*: DIVUS de *mortuo* dicitur. Sunt enim *Divi*, qui ex hominibus fiunt, non tamen antequam extremum vitae diem morte confecerint. Sic *Bassianus Caracallus* de Fratre, quem occiderat: *Sit* Divus, *dum non sit* vivus. Quanquam crescente in dies adulatione multis *Imperatoribus* ROMANORVM adhuc vivus haec appellatio est tributa, v. g. *Divus* RVDOLFVS, FERDINANDVS, LEOPOLDVS, &c. Leg. *Gockenius* loc. cit. p. 234.

Heus Adverbium vocantis; *Heu* Respondentis. (*tt*) *Agraet.*

(*tt*) Est & vox quoque *Dolentis.*

Hiare (*uu*) est os diducere, vel tacitum tamen; *Hiscere* est incipere loqui, auctore *Diomede*. Unde hoc convenit *Homini* tantùm; Illud etiam *Inanimis*: (*xx*) Ut, cùm diffinduntur, & aperiuntur *Ligna* ariditate, *Terra* aestu, *Flores* maturitate, tum dicuntur *Hiare*. Varro in Marcipore: *Video* hianteis, *non audio*. Sallust. Lib. 2. Historiar. *Atque* hiavit *Humus multa vasta, & profunda*. Virg. Lib. 3. *Aeneid.* (*) v. 313.

- - - *Vix pauca furenti*
Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco.

Livius Lib. 9. *Neminem* hiscere *adversus se ausurum.*

(*uu*) est ore aperto esse, seu

(*xx*) Sic oscitat, *hiat*. Sed Flores, dum prorumpunt, *hiscunt*; & *Tellus*, hiscit, cùm rimas agit. Ovidius Heroid. Epist. 6. v. 144.

Hiscere *nempe tibi terra roganda fuit.*

Fores quoque *hiscunt*, cùm aperiuntur, & patefiunt. Plautus in

Pseud. Act.4. Sc.1. v.42. *Tace, aedes hiscunt.*

Hiberna sunt Loca, ubi Milites hiemem transigunt, velut in Urbibus, Vicis. *Hibernacula* sunt Tentoria scortea, sub quibus hibernô tempore retinentur. Unde *sub Pellibus esse*, & *Hibernare* dicuntur. Sallust.in Jugurtha: *Milites mense Januario* ex Hibernis *in expeditionem evocat.*LiviusLib.5.*Hibernacula etiam res nova militi Romano aedificari coepta.*Tacitus Lib.14.Annal.38. *Cōtractus deinde omnis exercitus,sub* Pellibus *habitus est, ad reliqua Belli perpetranda*. Sed interdum *Hibernacula eadem*, quae *Hiberna*. (yy) Sallust. in Jugurthâ: *Exercitu in* Hibernaculis *composito.*Livius Lib.44.*Deinde in* Hibernacula *Milites deduxit.*Tacitus Lib.2.Annal.23. *Legionum aliae itinere terrestri in* Hibernacula *remissae.*

(yy) Vid. *Gifanii* Observationes in *L.L.* pag 109.

Hirundo avis est, quae tignis adhaeret; (zz) *Hirudo*, (a) sanguisuga. *Agraetius.*

(zz) seu est Avicula *aestate* tectis haerens, *hyeme* recedens. De HIRUNDINE *domestica* agit *Conradus Gesnerus* Lib.3. *Histor. Animal.* p.538.seq. *Eas* autem diversas esse, tradit *idem* ibid. p.543.seqq. Vid. *Plinii* Lib.10. *Hist. Nat.* Cap.24. p.176. & *Notae Marginal. nostrae* ad THEOPHILI PISTORII Ornithogamel. v.305. p.26. Edition. *Dresdens.*

(a) est Vermis aquaticus, haerens *cuti*, & hauriens sanguinem: Inde & dicta.

Hispanos (b) cùm dicimus, nomen Nationis ostendimus; cùm autem *Hispanienses*, cognomen eorum, qui Provinciam *Hispaniam* incolunt, etsi non sint *Hispani*. Fl. Sosip. Charisius.

(b) adde & *Hispanicus, a, um.* Vt *Hispanicum* Bellum, h.e. in *Hispania* gestum; *Hispanicus* Gladius, i.e. in *Hispania* factus; Exercitus *Hispanicus*, qui constat ex *Hispanis*. Conf. *Gifanii* Observat. *L.L.* p.109.

Historia est eorum temporum, quae vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, à videndô; (c) *Annales* sunt eorum annorum, & temporum, quae aetas nostra non novit: Unde Livius *ex* Annalibus, *&* Historiis *constat*. Servius.

(c) De *Hujus* Studio, *ejusque* Scriptoribus veteribus vid. *Pauli Hachenbergi* Viri, cùm viveret, solidè eruditi, *Germania Media* Dissert.6. §.205. seqq.

Hi-

Histrio est, qui personatus in Scenâ Fabulas agit voce, gestuque: (*d*) Unde idem ACTOR dicitur, & LUDIO, vel LUDIUS, & CANTOR. *Mimus* verò est, qui hominum Mores, & Dicta, factaque gesticulationibus imitatur, (*e*) à quô *Pantomimus* omnium Personarum, & *Archimimus* Personae principis, digniorisque effector. Nam è μιμεῖσθαι, quod est *imitari*, MIMUS dicitur. Svetonius in Vespasianô 23. Archimimus *personam ejus ferens; imitansque, ut est mos, facta, ac dicta vivi.* Arnobius Lib. 2. *Quid* Pantomimos, *quid* Mimulos, Histriones, Cantores *tuba, tibia, calamoque flantes?* Idem Lib. 4. *Quid* Pantomimi *vestri*, *quid* Histriones, *quid illa* Minorum, *atque exoletorum multitudo?* Sed haec Vocabula aliquando confunduntur, ut quos Tacitus Lib. 13. Annal. vocat *Histriones*, eosdem *Pantomimos* Svetonius in *Nerone*.

(*d*) seu qui alicujus Personae actiones historicè, i. e. ad oculum repraesentat. *Comenius.*

(*e*) Haec fusiùs à Budaeo declarantur in proëm. Annot. in Pandect.

Homonymia, unâ voce multa designat; (*f*) *Synonymia* multis vocibus idem testatur. *Corn. Front.*

(*f*) *Latinè* dicitur AEQUIVOCUM ab *aequè*, & *vocando*, quia v. g. isto nomine CANCER atque *Signum Zodiaci*, & *Carcinoma* vocatur, atque *Piscis*. Ita vox CANIS *Homonymia* est, ab *aequè vocando* multas, & diversas res juxta versum:

Latrat in orbe CANIS, *nat in* aequore, *fulget in* astris.

Haec *Joannes Herbinius*, in Clave ad *facilitatem*, & *usum Logicae* Lect. 4. pag. 19.

Honestum ad formam; (*g*) *Liberale* ad vultum refertur. *Donatus.*

(*g*) Unde Ciceroni *honestus EQUES* idem est, ac *probè ornatus* EQUES, *ac splendidè vestitus* EQUES.

Honos appellatur administratio Reipublicae, cum *Dignitatis gradu*, eaque vel cum sumtu, vel sine erogatione contingens; (*h*) *Munus* autem quod cum sumtu, sine *Dignitate* in Republicâ subimus. Itaque Honorem gerens non potest cogi, *Munus* aliquod titulô Dignitatis institutum administrare; at Munus sustinenti *Honor* deferri potest, ut *Jurisconsulti* tradiderunt. Ulpianus

pianus Disputationū 1.L.2.§.ult.D.de Dec. *Etsi majores annis septuaginta sint*, Munera *quidem* civilia obire *non coguntur*, Honores *autem* gerere *debent*. Paulus Lib. 1. Sentētiar.l.7.D.de Decur.Honores,*&* munera *non ordinatis omnibus,sed potioribus quibusque injungenda sunt*.

(b) Aliquando *Principatum*, *Terrasque in Feudum acceptas*, *&* sic *ipsum Magistratum*, denotat. Unde *Honorem gerere* est Magistratum gerere. Leg. *Scipionis Gentilis* Liber singular.*Orig*.ad *Pandect*.p.213. & *Reinesii* Lib.3. *Var. lect*. Cap.1. p.313. *Gifanius* loc. persaepe alleg. p.110.seqq.dicit ; HONOREM pro *Honorario Munere*, atque *Stipendio* quoque sumi. Qualis autem detur differentia inter ONVS, & HONOREM tradit *Joannes Girardus* Epigramm. Legali XLVIII. p.96.His verbis:

Publica (si constat sibi res) incommoda secum,
Privatae multum commoditatis habent.
Te quoties onero, *toties te semper* honoro:
Quid? quod Onus *vitas*, *te quoque vitat* Honor.

Horrendus est teter, & abominandus in rebus *profanis*; in *sacris* venerandus, ut Virgil. Lib. 3. *Aeneid*. (*) v.679. *Concilium* horrendum. & Lib.6. (*) v.10.

- - Horrendaeque *procul secreta* SIBYLLAE.

Horridus verò est incultus, aut durus, & rigidus. Idem Lib.4.Aeneid. v.251.

- - - *Et glacie riget* horrida *barba*.

Terentius in Phorm.Act.1.Sc.2.v.55.seq.

Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, *nudus pes*, *ipsa* horrida.

Sic per translationem Oratio dicitur *Horrida*, quae dura est, aspera, & jejuna. Similiter *Horridulus*, hoc est, parùm bene cultus. Cic. in Orat. *Horridulae Orationes*. Plaut.in Psend.Act.1.Sc.1.v.66.

Papillarum horridularum *oppressiunculae*.

Et Persius Sat.1.v.54.

Scis Comitem horridulum *tritâ donare lacernâ*.

Horridus aliquando est *Timendus*. Virg. 5. Aeneid. v.36.

Horridus in jaculis. hoc est, *terribilis*, ut exponit Servius.

Horridum dicit Aegretius despicabile aliquid; *Horren-*

rendum admirandum. Virgilius: (*i*)

- - - *Oculos* horrendâ *in virgine fixit.* (**)

(*i*) Haec verba apud *Virgilium* frustra quaeruntur. Sed Lib. 12. *Aeneid.* v. 70. sic canit:

Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.

(**) Frustra Hekelius notat, hæc verba apud Virgilium frustra quæri; reperiuntur enim Æneid. 11. v. 507.

Horret corpus, *Trepidat* cum motu animi. *Corn. Fronto.*

(*) *Hospitium*, & *Diversorium* peregrini est, & ad tempus; *Familiaritas* quotidianam requirit consuetudinem; *Taberna*, seu *Caupona* pretio recipit.

Hostia dicitur de parvis Animalibus, ut Ovibus, & Volucribus: *Victima* de magnis, ut Tauris, (*k*) Plautus in Pseud. Act. 1. Sc. 3. v. 95.

Nolo victimas, *agninis me extis placari volo.*

Virg. Lib. 2. Georg. (*) v. 146.

Hinc albi, CLITUMNE, *greges*, *& maxima Taurus*, Victima. - - - - -

Arnobius Lib. 7. Hostias *caedat*, *&* Victimas. Idem ibidem: *Quoniam volucres* Hostiarum *quoque in numerô ponitis*. Gellius ita distinguit, ut *Hostia* à quolibet; *Victima* ejus, qui vicerit, manibus debeat immolari. *Isidorus* verô, *Hostia* est, inquit, quae ante *Praelium* commissum; *Victima*, quae post *Victoriam* immolatur. Quam Differentiam refellit Etymon *Hostiae*, quod tradit Ovidius Lib. 1. Fastor.

Hostibus amotis Hostia *nomen habet.*

(*k*) Eruditus *Hachenbergius* loc. ad Not. proximè praecedentem alleg. scribit, *ipsas* Victimas *apud plerosque olim commendasse* humanum Sanguinem, *effusum ante* DEORUM *Aras*, *& diro carmine devotum*; *introducta immani illa, ac barbara* Scytharum *consuetudine, qui* DEOS *immortaleis hominum scelere, ac sanguine posse placari arbitrabantur.*

(*) *Hostia* est Ducis, cùm ad Hostem proficiscitur; *Victima* cum vincit; *Holocaustum* igne consumitur; *Sacrificium* est generale.

Hujusce, & *Hujusque* diversa esse tradit Victorinus in librô de Orthographiâ his verbis: *&* HUJUSCE, *&* HUJUSQUE *rectè scribuntur*, *sed suô locô utra-*

utraque. *Nam ab hocce*, *&* *haccesit* Hujusçe; Hu, usque *autem aliud significat*, id est, *uniuscujusque*. (*l*) Ego posterioris significationis exemplum apud idoneos Auctores nondum inveni; & credo ita differre solâ scripturâ propter affinitatem literarum C. & Q. de qua diximus Lib. 1. de *Usu antiquae Locutionis*. Itaque eadem est Fortuna *hujusce diei*, & *hujusque diei* apud *Ciceronem*, *Plinium*, *&* *alios*.

(*l*) Conf. *Brissonii* Liber 1. de *Formulis* pag. 52.

Humatus intelligitur humô contectus; (*m*) *Sepultus* (*n*) quoquô modô conditus, ut qui in *Sarcophagô*, *Hypogaeo*, vel *Pyramide* situs est. Cicero Lib. 1. Tusculanar. *Cujus hoc edictô admoneor*, *ut aliquid etiam de* Humatione, *&* Sepulturâ *dicendum existimem*. Idem Lib. 2. de Legibus: *Quod nunc communiter in omnibus* sepultis *penitus*, *ut* Humati *dicantur*; *id erat proprium tum in iis*, *quos humus injecta contegeret*. Vetus Inscriptio: INFERENDI IN AREA HUMANDI SEPELIENDIQVE JUS POTESTASQVE ESTO.

(*m*) Sic *Inhumatus* est insepultus; *Exhumatus* verò è *sepultura* extractus.

(*n*) De *hujus Vocabuli* originatione vid. Perottus loc. cit. Epigr. 30. col. 831. lin. 51. seqq.

Humanitas, & *Litterae* saepè conjunguntur, sed tùm *Humanitas* significat Doctrinam politiorem, elegantioremque; (*o*) *Litterae* Scientiam communium, & variarum Artium: Varro Lib. 1. de Re Rust. *Qui sint* Litteris, *aliquâ* Humanitate *imbuti*. Cicero Orat. 4. in Verrem: *Tu sine ulla bona* Arte, *sine* Humanitate, *sine* Ingeniô, *sine* Litteris *intelligis*, *&* *judicas*: Idem pro Archiâ: *Patiamini de studiis* Humanitatis, *ac* Litterarum *paulò loqui liberiùs*. Idem Lib. 2. de Oratore: *Homini non habeti*, *neque inexercitato*, *neque communium* Litterarum, *&* *politioris* Humanitatis *experti*. Et ad Tironem: *Excita ex somnô tuas* Litteras, Humanitatemque.

(*o*) Vid. *Schardii* Lexicon Juridic. p. 424. seq.

Huma-

Humaniter ſignificat φιλανθρώπως ; *Humanè* autem ἀνθρωπίνως. (p)

(p) Quibus addendum *Humanitùs*,quod idem eſt,ac *humano more.*

Humidum eſt, quod extrinſecus (* ſeu exterius) habet aliquid humoris; *Madidum* verò,ac *Vvidum*, quod *intrinſecus*, unde UVAE dicuntur, ut tradit *Servius*, cui non adſentior. *Humidum* (q) enim *propriè* eſt,quod in *profundô* continet humiditatem, ut Terra ; *Uvidum* eſt, quod in *ſuperficie* tantùm, ut Lapides in flumen dejecti, Veſtes rore, aut fluctibus aſperſae, quas *Uveſcere* dixit *Lucret.*Lib.1.(*)v.306.& 307.his verbis:

Denique fluctifragô ſuſpenſae in littore veſtes
Uveſcunt; *eaedem diſpenſae in Sole ſereſcunt.*

Virgilius(*) Eclog.10.v.20.

Uvidus *biberna venit de glande* MENALCAS.

Illud GRAECIS eſt ὑγρὸν, *Hoc* διερὸν, ut *Ariſtoteles* diſſerit Lib.2.de *Ortu*, & *Interitu*.

Humidum eſt, quod humorem habet; *Humectum*, quod humorem inducit. Pacuvius:

Terra exhalat aurã,atq;aurorã humidam,humectam.

(q) Quemadmodum a SVCCIDVS, quod eſt *ſucculentus*, ſeu *ſucciplenus*, bonae Notae Verbum *Succidare* deſcendit; ſic ab HVMIDVS *Humidare*, & quidem annotante litteratiſſimo *Reinefio* Lib.2. *Var. Lect.* Cap.8. p.196. qui & Lib.3. cap.18. p.675. dicit, *Humidare*, Verbum apud *Gariop.* Lib.5. Cap.33. & 38. etiam extare.

Hunc, & *Iſtum* in proximô notant; *Illum* oſtendit quidem longè ſtantem, ſed in conſpectu; *Eum* abſenten refert. (r) *Corn.Fronto.*

(r) Aliàs HVNC ponimus, quando de *prima*; ILLVM, quando de *ſecunda*; & ISTVM, quando de tertia Perſona eſt imprimis ſermo.

Hypotheca proprie dicitur de re Solo inhaerente,quae ſine traditione, nudâ conventione tenetur; *Pignus* verò de re mobili, cujus poſſeſſio tradita eſt Creditori, uſque dum quid praeſtetur, vel fiat à Debitore, ut ſcribunt Juriſconſulti l.9.§.2.D.de Pign.Act.l.237.§.pignus D.de Verb.Sign.§.*Item ſerviana* Inſt.de Act.Quae tamẽ Differentia, & Proprietas rarò (s) obſervatur, & *Pignus* de re immobili dicitur. Terent.in Phormione: (t)

Ager

miliae; *Stirps* est pars Gentis, ut *Cornelii* omnes unius sunt Gentis, & unô nomine continentur omnes. At verò partes istius Gentis sunt plures, discretae cognominibus, eaeque *Stirpes*, & F*amiliae* nominantur, ut CINNAE, DOLABELLAE, LENTVLI, SCIPIONES, SVLLAE. Sic ergo GENS *Genus*, & *Stirpem* continet; non contrà GENVS, & STIRPS *Gentem*. Caesar in Laudatione Juliae Amitae, apud Svetonium in Julio: *Maternum* Genus *ab Regibus ortum*; *Paternū cum Dîs immortalibus conjunctum est. Nam ab* Anco Marcio *sunt* MARCII *Reges, quô nomine fuit* Mater; *à* Venere JVLII, *cujus* Gentis *Familia est nostra.* Papinianus Quaestionum 3. l. 1. D. de Prob. & Praes. *Quotiens quaereretur*, Genus, *vel* Gentem *quis haberet, nec ne, eum probare oporteret*. Cicero in Laelio: *Qui aliquandiu propter ignorationem* Stirpis, *&* Generis *in famulatu vixerint*. Idem Lib. 2. de Oratore: *Quum* Marcelli *à Liberti filio* STIRPE CLAVDII *Patricii ejusdem hominis haereditatem* Gente *ad se rediisse dicerent, nonne in eâ causâ fuit de toto* Stirpis, *&* Gentilitatis *jure dicendum*?

[y] Et sic GENERIS nomine *omneis utriusque sexus* venire, *Decius* in Enarrat. in *Reg.* 2. Tit. ff. de *Regul. Jur.* num. 65. p. 29. col. b. affirmat, allegans *Baldum* in l. 1. de *Prob.* sic dicentem: *De Genere meo dicuntur etiam, qui sunt* cognati. *Genus*, & *Species* aliter accipi à PHILOSOPHIS, aliter à LEGISTIS, *Antonius del Re* in Tract. Novo de *Juramento Calumniae* Cap. 1. num. 11. p. 3. tradit. *Dubium* autem, & *Commune* GENVS apud *Grammaticos*, sic differunt, ut *Commune* sit rerum animatarum; *dubium* verò rerum ferè inanimatarum. Genus & pro *Modo* sumi, videndum est ex *Gifanii* Observationib. L. L. p. 100.

Genus ad Vivos pertinet; F*amilia* etiam ad Defunctos. *Genus* ad Nobilitatem; F*amilia* ad Copiam refertur. *Donat.*

Gens est multitudo unius Populi, (z) ut *Gens* ROMANA; (*aa*) *Natio* est genus Hominum ex diversis *Gentibus* collectum, (*bb*) ut *Natio* GRAECORVM, *Natio* GERMANORVM. Cicero Lib. 1. Offic. *Propior est ejusdem* Gentis, Nationis, Linguae, *quâ maxime conjunguntur*. Idem pro Fontejo: *Exteris* Nationibus, *ac*

Gen-

Gentibus *ostendere*. Et de Lege agrariâ: *Non* Gens *ulla, non* Natio *pertimescenda est*. Tacitus de Moribus Germanorum: *Ita* Nationis *nomen*, *non* Gentis, *evanuisse paulatim*. Vlpianus L. 1. §. 5. D. de censib. *Prope Barbaras* Gentes, *&* Nationes *collocata*. Sed interdum GENTIS Nomen *latiùs* patet, ut cùm vocamus *Jus Gentium*, quod omnibus Nationibus, & universo Generi humano commune est; & NATIO de singularibus Hominibus quoque dicitur. Cicero pro Sestio: *Quae esset nostra* Natio *Optimatium*. Plautus in Menaechmis:

Nam ita est haec hominum natio Epidamnia,
Voluptarii, atque potatores maxumi.

[z] seu unius generis multiplicata propago.

[aa] *Ecclesiasticis*, seu *Theologis*, GENTES dicuntur Ethnici infideles. *Gifanius* GENTIVM vox (loc. cit. p. 104.) pro *iis* sumi dicit, qui non sunt *Cives* ROMANI.

[bb] seu Hominum ex una Stirpe multitudo.

[*] *Gesta* sunt publica; *Acta* privata.

[*] *Gestus* est vultus, & corporis moderatio; *Gestio* rerum perpetratio.

Glacies est, quae ex coitu aquae constagnat; *Nix* ventorum ritu cadit. (*cc*) *Corn. Front.*

[cc] Aliàs *Glacies* dicitur congelatus liquor, & *Hyemis* ornamentum; *Nix* verò est pluvia in *lanae* formam concreta.

Gloria est consentiens opinio, & existimatio multitudinis de dignitate cujusquam; (*dd*) *Laus* est clara, ac illustris alicujus commendatio. *Illa* in tacitâ opinione; *Haec* in aperta praedicatione consistit, & illustrior est. (*ee*) Cicero Orat. 1. in Catilinam: *Sin autem servire meae* laudi, *&* gloriae *mavis*. Et in 3. *Omnia ornamenta* Honoris, *monumenta* Gloriae, Laudis *insignia condi*, *& collocari volo*. Idem pro Archiâ: *Ad Populi* Rom. gloriam, laudemque *celebrandam*. Ibidem: *Nullam enim virtus aliam mercedem* laudum, *periculorumque desiderat, praeter hanc* laudis, *&* gloriae. Ad D. Brutum: *Quae ad tuam* laudem, *&* gloriam *pertinebunt*. Tacitus Lib. 4. Historiar. *A* laude, gloriâque *Gentis exorsus*.

[dd] seu est frequens de aliquo fama cum laude, sicuti inquit *Perottus* in *Cornucop.* Epigr. 2. col. 57. lin. 38. Comparatur autem GLORIA *glo-*

rio-

viosis actionibus, & tunc vera dicitur. Ne autem *gloriabundus* prorsus vivat *inglorius*, ipse de se & gestis suis *gloriatur*. Graeci Κλέος *Gloriam*; Δόξαν Dignitatem vocant, & quidem observante *Scaligero* Lib. 3. *Poëtic.* Cap. 110. p. 371. ubi & τοῦ Ἐπαίνου, καὶ Ἐγκωμίου p. 370. datur *Differentia*.

[ee] seu rei bene aestimatae praedicatio.

Glorius unius est gloriae; *Gloriator* non habet causam gloriandi, sed tamen gloriatur; *Gloriosus* (ff) pluribus de causis esse cogitur. *Corn.* Fronto.

[ff] Aliàs est *Gloriosus*, qui se vel inaniter jactat, vel alterius *inani laudatione* effertur, & laudari quaerit. *Perottus.*

Graecus, qui in Graeciâ est, ut *Graecus* Homo, (gg) *Graecum* vinum. *Graecanicus*, qui *Graeci* formam, & similitudinem habet, ut Vestis *Graecanica*, Trocleae *Graecanicae* apud Catonem, h. e. *Machinae tractoriae*, quae fiunt ad similitudinem Graecae Litterae θ. *Graeciensis*, qui *Graecis* frequens, & usitatus est. Varro Lib. 9. de Ling. Lat. *Itaque, ut hic alia* Graeca, *alia* Graecanica, *sic* Analogiae. Gellius Lib. 19. Cap. 10. *Offendimus eum cubantem in Scimpodio* Graeciensi.

[gg] Sic dicimus quoque *Homo Romanus*, *Homo Italicus*, *Homo adolescens*, *Homo novus*, *Homo valens*, &c. qui omnes sunt loquendi modi à divina illa Vetustate celebrati; à supervenienti verò Barbarie, *Hadriano Cardinale* de *Serm. Lat.* p. 195. loquente, neglecti.

Grammaticus, & *Grammatista* ita distinguuntur, ut *Ille* sit absolutè, perfectèque doctus Litterarum; *Hic* mediocriter eruditus. *(hh)* Svetonius de claris Grammaticis: *Sunt, qui Litteratum à Litteratore ita distinguunt, ut* Graeci GRAMMATICUM à Grammatistâ, *&* ILLUM *quidem* absolutè, HUNC mediocriter *doctum existiment*. Idem ibidem: *Legerat in Provinciâ quosdam veteres Libellos apud* Grammatistam.

[hh] ILLE *Latinè* potest scribere; HIC saltem *Latina* intelligit.

Grandis ad partem aetatis pertinet, (ii) ut grandis Nata; *Major* generaliter, & ad summam Aetatis refertur. Ponitur etiam ad comparationem Aetatis. *Grande* (kk) incremento; *Magnum* amplitudine; *Immane* praecipuae amplitudinis est. *Corn.* Fronto.

(ii) &

(ii) & idem est, ac crescendo factus magnus.

(kk) Ejus DEMINVTIVA sunt *Grandiusculum*, & *Grandiculum*; OPPOSITA verò *Adolescens*, *Parvum*, & *Tenue*. Leg.*Gambarella* l.c. p.308.

Gratias agimus verbis; *Gratiam habemus* animô, & voluntate; *Gratiam referimus*, (*ll*) vel *reddimus* factis; *Gratiam facimus*, cùm remittimus aliquid, ne praestetur, aut praestiti religione solvimus. Cicero ad Terentiam: *Huic utinam aliquando* gratiam referre *possimus*, habebimus *quidem semper*. Plancus Ciceroni: *Immortales* ago *tibi* gratias, agam*que*, *dum vivam*; *Nam* relaturum *me adfirmare non possum*. Svetonius in Augustô: Gratiam fecit *conjurandi cum tota Italia pro partibus suis*, id est, *remisit necessitatem conjurandi*. Idem in Tiberio 35. *Equiti Romano jurisjurandi* gratiam fecit, *ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret*, *quam se nunquam repudiaturum ante juraverat*. Plautus in Rudente: Act.5.Sc.3.v.58. seq.

- - - *Jurisjurandi volo* gratiam facias,

Id est, *solvas religione praestiti juramenti*.

(*ll*) GRATIAM REFERRE etiam in *malam partem* pro ULCISCI, seu TALIONEM reddere, sumi, *Cicero* Orat. pro *Sylla* auctor est his verbis: *Permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. Quod si esset usu, atque aetate robustior, essem idem, qui soleo, cùm sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, ut tulisse potiùs injuriam, quàm* retulisse gratiam *videar*. Sic *Terentius* in *Eunucho* Act.5. Sc.3. v.2.

- - - *Qui* referam *illi sacrilego* gratiam?

Aliàs ex mente *Goclenii* in Observ. p.233. *Gratias agimus* beneficiis acceptis; *Gratificamur* rem gratam facientes; *Gratulamur* in rebus laetis, quando nempe DEO pro re bene gesta gratias agimus maximè decenteis. Vid. *Oliverii Arzignanensis* Commentar. Historicus, & Litteratus ad *Val. Max.* Lib.1. Cap.1. fol.3. fac. a. Edition. Ascensianae.

[*] *Gravare* differt à *Gravari*. HOC idem est, ac *graviter* ad aliquid persuadere; ILLVD autem aliquid *grave* reddere.

Gremium dicitur illa pars, quae est intra complexum Femorum; *Sinus* verò intra Pectoris, Brachiorumque complexum: (*mm*) veluti in *Sinu* gestantur infantes, in *Gremiô* foventur, & reponuntur. Terent. in Adelphis Act.4. Sc.5. v.75.

Hic non amandus? Hiccine non gestandus in Sinu est? Virgil.(*) Lib. 1. *Aeneid.* v. 718.

Haeret: & interdum gremio *fovet, inscia* DIDO.

Idem (*) Lib. 8. *Aen.* v. 712.

Pandentemque sinus, *& tortâ veste vocantem*

Caeruleum in Gremium. - - - -

Hinc *Sinus* appellatur quaecunque vestis laxitas, & propriè ea, quae ante pectus descendit supra cincturam, apta rebus occultandis, & abscondendis. Nam Veteribus in togâ *Sinus* ita laxi fuerunt, ut vel à sinistrâ in dextrum humerum rejicerentur, vel à sinistrô humerô in brachium, & interdum ad lumbos, atque ima crura demitterentur. Svetonius in Caesare: *Togâ caput obvolvit: simul sinistrâ manu* Sinum *ad ima crura deduxit.* Quintilianus Lib. 11. *Illud verò non ferendum, quôd quidam rejectâ in humerum togâ, tum dextrâ* Sinum *usque ad lumbos reduxerunt.* Idem Ibidem: Sinum *verò in dextrum humerum ab imò rejicere solutum, ac delicatum.* Et ab hâc postremâ significatione manârunt *Locutiones Proverbiales* apud Ciceronem, Senecam, Tibullum, & alios *in* Sinu *esse, gaudere, flere, odisse,* pro in occultô. *In* Sinu *habere,* Scaevola Digestor. 33. l. 27. D. de Prob. *Quòd omnem fortunam, & substantiam, quam à Matre susceperat, in* Sinu *meô habui*: id est, in fide, & potestate meâ. *In* Sinum *convertere*, vel *conferre*, pro in rem suam. Lampridius in Commodô: *Praedam omnem in* Sinum *contulit.* Id. ibidem: *Qui etiam condemnationes in* Sinum *vertisse dicuntur.*

(mm) vel *Gremium*, est accinctae vestis secretum; *Sinus* verò concavitas.

(*) Qualis datur *Differentia Mathematica* inter *Gubernaculum*, & *Remum*, tradit *Henricus Monantholius* in Commentar. ad *Aristotelis Mechanic.* p. 76. his verbis *Dissimilitudo est* Gubernaculi, *&* Remi *ex differenti loco, ad quem utrumque navim movet. Uterque enim navim movet ad locum, qui contrarius est ei, ad quem Mare impulsum movetur. Movetur enim navis ad centri, cui est annexa, motum. Centrum autem in* Remo *est scalmus, in* Gubernaculô *cardo. Movetur hoc contrà, quàm depulsum Mare. Mare autem retrorsum rectà à* Remo *depellitur; movet igitur* Remus rectà *antrorsum navim. Contra Mare à* Gubernaculo *obliquè impellitur, vel dextrorsum, vel sinistrorsum.*

Mo-

Movet igitur obliquè Navim (quod est intelligendum de *Puppi*, non de *Prora*, quae in partem, ad quam Mare movetur.) sinistrorsum, *si illud dextrorsum; vel* dextrorsum, *si illud sinistrorsum.*

(*) *Gustare*, & *Sapere* ita differunt, ut *Gustare* sit saporem recipere: *Sapere* verò saporem dare. Homo dicitur *Gustare*; Cibus verò dicitur *Sapere*. Homo comedens *gustat*; & cibus, qui comeditur, *sapit.*

(*) Gutta, utpote liquoris particula minima, stat; seu, ut alii dicunt, manat, sive profluit è *Gutto*, seu *Gutturnio*, non *guttatim*, sed rivatim; *Stilla* verò ex loco superiore cadit.

H.

HAbere (nn) est rem detinere, sive jure Dominii, sive quô aliô modô; *Tenere* (oo) est corpore possessioni insistere, licèt Jus possidendi non competat; *Possidere* pro Dominiô uti. *Hoc* solius *Domini* est, & *Liberi*, qui utitur re suâ, & jure possessionis fruitur. *Illa duo* cadunt etiam in *Servum*, *Commodatarium*, vel *Usufructuarium*. Cicero pro Flaccô: *Hanc fiduciam commissam tibi* tenes *hodiè, ac* Possides. Livius Lib. 34. *Quaeque procurator* tenuerit, *pro Dominô* possederit. Idem Lib. 36. *Quod ille bello captum* possideret, haberetque. Florentinus Institut. 8. l. 18. §. 1. D. de Accept. *Quodve Tu meum* habes, tenes, possides. Ulpianus ad Sabinum 49. l. 38. §. 8. D. de Verb. Oblig. *Planè si* tenere *sibi licere stiputus sit servus, utilem esse stipulationem cōvenit; Licèt* enim possidere *civiliter nō possint*, tenere *tamen eos nemo dubitat.* Idem Lib. 6 (9) ad Edictū l. 1. §. 33. D. de vi arm. *Quod autē ait Praetor, Quaeq; ibi* habuit, *sic accipimus, ut omnes res contineantur, non solùm quae propriae ipsius fuerunt; verùm etiam si quae apud eum depositae sunt, vel ei cōmodatae, vel pigneratae, quarumque usum, vel usumfructum vel custodiam* habuit, *vel si quae ei collocatae sunt: Cùm enim dicat Praetor*, Habuit, *omnia haec* Habendi *verbô continentur.*

(nn) HABERE etiam pro *Habitare*, atque *Morari* apud *Ciceronem*, atque *Livium* poni, *Gifanius* loc. persaepe cit. p. 105. testatur. Quid autem propriè sit Habere honorem, & Habere honores, tradit Hadrianus Card. loc. cit. p. 193.

(oo) TENERE à τείνειν, h.e. *tendere* derivatur. Ad *tenendum* enim aliquid nervos *tendi* est necesse; Ideòque TENERE idem est, ac *apprehensum habere.*

Habitus intelligitur omnis corporis cultus, ornatusque; ut *Habitus* militaris, religiosus, scenicus; (pp) *Vestitus* nomine sola vestimenta continentur. Unde *M. Cato* Orationes inscripsit, unam de *Habitu*, alteram de *Vestitu*. Svetonius in Caligulâ: Vestitu, *calceatuque, & caetero* habitu *neque patrio, neque civili*. Idem in Nerone: *In illo suo scenico* habitu.

(pp) Denotat & *Habitus* roboratam in animo consuetudinem; cùm propriè sit, quicquid quis habet proprium.

(*) *Hactenus* semper significat, seu indicat absolutae rei continuationem; *Adhuc* interdum etiam non absolutae.

Harundo, telum è canna. Virgil. Aeneid. 4. vers. 73.

- - *Haeret lateri lethalis* Harundo.

Arundo, Canna est ab ariditate dicta. Virg. Georg. 2. v. 414.

- - *Fluvialis arundo*. Agraetius.

Has manus, hujus hominis dicimus; *Hanc manum*, multos homines conjungentes. *Agraetius.*

Hebescit, (qq) quod naturâ obstupescit; *Hebetescit*, quod amittit aciem. *Corn. Fronto.*

(qq) Conf. *Perotti* Cornucopiae Epigr. cxv. col. 1005.

Herbidum (rr) locum dicimus, in quô Herba est, etsi aridus esse consueverit; *Herbosum*, qui Herbam facilè generat, etiamsi ad tempus aridus sit. *Agraetius.*

(rr) *Herbidus* aliàs dicitur color, qui herbam refert, hoc est, *Viridis*, apud Plin. lib. 12. cap. 14. quemadmodum & *Herbeus*. Plautus in Curc. Act. 2. Sc. 1. v. 15. seq.

- - - - - *Qui hic homo est,*
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?

Herbosus dicitur locus herbis abundans. Ovid. 14. Metam. v. 445.

Solvitur herboso *religatus ab agere funis.*

Herbaceum, quod est ex herba, ut *corona herbacea*. Aut quod in herbam excrescit, & assurgit. Plin. lib. 12. cap. 13. Herbaceum *amomum pejus.*

Herbarium, quod ad herbas pertinet: ut, *Ars herbaria*, qua herbarum vires dignoscimus.

Herè, quamdiu; *Heri*, (ss) quando: Ita enim quidam putant dici debere. Fl. Sosip. Charisius.

(ss) quod idem est, ac *die praecedente*. Vana est haec differentia.

Etenim

Etenim propter cognationem E, & I literarum (ut notat Aelius Donatus in Terentii Phormionem Act. 1. Sc. 1.) non dubitaverunt Antiqui & *Here*, & *Heri* dicere; & *Mane*, & *Mani*; & *Vespere*, & *Vesperi*. Itaque *Herè* pro *Heri*, seu hesterno die, reperitur non solùm apud Comicos, sed etiam apud alios Poëtas. Plautus in Amphitr. Act. 1. Sc. 3. v. 16.

Herè *venisti media nocte, nunc abis.*

Idem in capt. Act. 1. Sc. 2. in princ.

Adverte animum sis tu: istos captivos duos,
Herè *quos emi de preda, de Quaestoribus,*
His edito catenas singularias.

Terentius in Eunucho Act. 2. Sc. 3. v. 65.

Inhonestum hominem, quem mercatus est herè.

Ovidius Amor. lib. 1. Eleg. 8. v. 23.

Scis herè *te, mea lux, juveni placuisse beato.*

Juvenalis Sat. 3. v. 23.

Res hodie *minor est, herè quàm fuit.*

Martialis lib. 1. Epigram. 44. v. 2.

Et positum est nobis nil herè, *praeter aprum.*

(*) HEROS, i.e. Vir illustris, & divinus, etiam de *vivis*: DIVUS de *mortuo* dicitur. Sunt enim *Divi*, qui ex hominibus fiunt, non tamen antequam extremum vitae diem morte confecerint. Sic *Bassianus Caracallus* de Fratre, quem occiderat: *Sit* Divus, *dum non sit* vivus. Quanquam crescente in dies adulatione multis *Imperatoribus* ROMANORVM adhuc vivus haec appellatio est tributa, v. g. *Divus* RVDOLFVS, FERDINANDVS, LEOPOLDVS, &c. Leg. *Gocklenius* loc. cit. p. 234.

Heus Adverbium vocantis; *Heu* Respondentis. (*tt*) *Agraet.*

(*tt*) Est & vox quoque *Dolentis.*

Hiare (*uu*) est os diducere, vel tacitum tamen; *Hiscere* est incipere loqui, auctore *Diomede*. Unde hoc convenit *Homini* tantùm; Illud etiam *Inanimis*: (*xx*) Ut, cùm diffinduntur, & aperiuntur *Ligna* ariditate, *Terra* aestu, *Flores* maturitate, tum dicuntur *Hiare*. Varro in Marcipore: *Video* hianteis, *non audio.* Sallust. Lib. 2. Historiar. *Atque* hiavit *Humus multa vasta, & profunda.* Virg. Lib. 3. *Aeneid.* (*) v. 313.

- - - *Vix pauca furenti*
Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco.

Livius Lib. 9. *Neminem* hiscere *adversus se ausurum.*

(*uu*) est ore aperto esse, seu

(*xx*) Sic oscitat, *biat*. Sed Flores dum prorumpunt, *hiscunt*; & *Tellus* hiscit, cùm rimas agit. Ovidius Heroid. Epist. 6. v. 144.

Hiscere *nempe tibi terra roganda fuit.*

Fores quoque *hiscunt*, cùm aperiuntur, & patefiunt. Plautus in

Pseud. Act.4. Sc.1. v.42. *Tace, aedes hiscunt.*

Hiberna sunt Loca, ubi Milites hiemem transigunt, velut in Urbibus, Vicis. *Hibernacula* sunt Tentoria scortea, sub quibus hibernô tempore retinentur. Unde *sub Pellibus esse*, & *Hibernare* dicuntur. Sallust.in Jugurtha: *Milites mense Januario* ex Hibernis *in expeditionem evocat.* Livius Lib.5. *Hibernacula etiam res nova militi Romano aedificari coepta.* Tacitus Lib.14. Annal.38. *Cōtractus deinde omnis exercitus, sub* Pellibus *habitus est, ad reliqua Belli perpetranda*. Sed interdum *Hibernacula eadem*, quae *Hiberna*. (yy) Sallust. in Jugurthâ: *Exercitu in* Hibernaculis *composito.* Livius Lib.44. *Deinde in* Hibernacula *Milites deduxit.* Tacitus Lib.2. Annal.23. *Legionum aliae itinere terrestri in* Hibernacula *remissae.*

(yy) Vid. *Gifanii* Observationes in *L.L.* pag. 109.

Hirundo avis est, quae tignis adhaeret; (zz) *Hirudo*, (*a*) sanguisuga. *Agraetius*.

(zz) seu est Avicula *aestate* tectis haerens, *hyeme* recedens. De HIRUNDINE *domestica* agit *Conradus Gesnerus* Lib.3. *Histor. Animal.* p.5 8.seq. *Eas* autem diversas esse, tradit *idem* ibid. p.543.seqq. Vid. *Plinii* Lib.10. *Hist. Nat.* Cap.24. p.176. & *Notae Marginal. nostrae* ad THEOPHILI PISTORII Ornithogamel. v.105. p.26. Edition. *Dresdens.*

(*a*) est Vermis aquaticus, haerens *cuti*, & hauriens sanguinem: Inde & dicta.

Hispanos (*b*) cùm dicimus, nomen Nationis ostendimus; cùm autem *Hispanienses*, cognomen eorum, qui Provinciam *Hispaniam* incolunt, etsi non sint *Hispani*. Fl. Sosip. Charisius.

(*b*) adde & *Hispanicus, a, um.* Vt *Hispanicum* Bellum, h.e. in *Hispania* gestum; *Hispanicus* Gladius, i.e. in *Hispania* factus; Exercitus *Hispanicus*, qui constat ex *Hispanis*. Conf. *Gifanii* Observat. *L.L.* p.109.

Historia est eorum temporum, quae vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, à videndô; (*c*) *Annales* sunt eorum annorum, & temporum, quae aetas nostra non novit: Unde Livius *ex* Annalibus, *&* Historiis *constat*. Servius.

(*c*) De *Hujus* Studio, *ejusque* Scriptoribus veteribus vid. *Pauli Hachenbergi* Viri, cùm viveret, solidè eruditi, *Germania Media* Dissert.6. §.205. seqq.

Hi-

Histrio est, qui personatus in Scenâ Fabulas agit voce, gestuque: (*d*) Unde idem ACTOR dicitur, & LUDIO, vel LUDIUS, & CANTOR. *Mimus* verò est, qui hominum Mores, & Dicta, factaque gesticulationibus imitatur, (*e*) à quô *Pantomimus* omnium Personarum, & *Archimimus* Personae principis, digniorisque effector. Nam è μιμεῖσθαι, quod est *imitari*, MIMVS dicitur. Svetonius in Vespasianô 23. Archimimus *personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta, ac dicta vivi.* Arnobius Lib. 2. *Quid* Pantomimos, *quid* Mimulos, Histriones, Cantores *tuba, tibia, calamoque flantes?* Idem Lib. 4. *Quid* Pantomimi *vestri*, *quid* Histriones, *quid illa* Minorum, *atque exoletorum multitudo?* Sed haec Vocabula aliquando confunduntur, ut quos Tacitus Lib. 13. Annal. vocat *Histriones*, eosdem *Pantomimos* Svetonius in *Nerone*.

(*d*) seu qui alicujus Personae actiones historicè, i. e. ad oculum repraesentat. *Comenius.*

(*e*) Haec fusiùs à Budaeo declarantur in proëm. Annot. in Pandect.

Homonymia, unâ voce multa designat; (*f*) *Synonymia* multis vocibus idem testatur. *Corn. Front.*

(*f*) *Latinè* dicitur AEQVIVOCVM ab *aequè*, & *vocando*, quia v. g. isto nomine CANCER atque *Signum Zodiaci*, & *Carcinoma* vocatur, atque *Piscis*. Ita vox CANIS *Homonymia* est, ab *aequè vocando* multas, & diversas res juxta versum:

Latrat in orbe CANIS, *nat in* aequore, *fulget in* astris.

Haec *Joannes Herbinius*, in Clave ad *facilitatem*, & *usum Logicae* Lect. 4. pag. 19.

Honestum ad formam; (*g*) *Liberale* ad vultum refertur. *Donatus.*

(*g*) Vnde Ciceroni *honestus EQVES* idem est, ac *probè ornatus* EQVES, *ac splendidè vestitus* EQVES.

Honos appellatur administratio Reipublicae, cum *Dignitatis gradu*, eaque vel cum sumtu, vel sine erogatione contingens; (*h*) *Munus* autem quod cum sumtu, sine *Dignitate* in Republicâ subimus. Itaque Honorem gerens non potest cogi, *Munus* aliquod titulô Dignitatis institutum administrare; at Munus sustinenti *Honor* deferri potest, ut *Jurisconsulti* tradiderunt. Vlpianus

pianus Disputationũ 1. L. 2. §. ult. D. de Dec. *Etsi majores annis septuaginta sint*, Munera *quidem* civilia obire *non coguntur*, Honores *autem* gerere *debent*. Paulus Lib. 1. Sentẽtiar. l. 7. D. de Decur. Honores, *&* munera *non ordinatis omnibus, sed potioribus quibusque injungenda sunt*.

(b) Aliquando *Principatum*, *Terrasque in Feudum acceptas*, *&* sic *ipsum Magistratum*, denotat. Unde *Honorem gerere* est Magistratum gerere. Leg. *Scipionis Gentilis* Liber singular. *Orig.* ad *Pandect.* p. 213. & *Reinesii* Lib. 3. *Var. lect.* Cap. 1. p. 313. *Gifanius* loc. persaepe alleg. p. 110. seqq. dicit; HONOREM pro *Honorario Munere*, atque *Stipendio* quoque sumi. Qualis autem detur differentia inter ONUS, & HONOREM tradit *Joannes Girardus* Epigramm. Legali XLVIII. p. 96. His verbis:

Publica (si constat sibi res) incommoda secum,
Privatae multum commoditatis habent.
Te quoties onero, *toties te semper* honoro:
Quid? quod Onus *vitas*, *te quoque vitat* Honor.

Horrendus est teter, & abominandus in rebus *profanis*; in *sacris* venerandus, ut Virgil. Lib. 3. *Aeneid.* (*) v. 679. *Concilium* horrendum. & Lib. 6. (*) v. 10.

- - Horrendaeque *procul secreta* SIBYLLAE.

Horridus verò est incultus, aut durus, & rigidus. Idem Lib. 4. Aeneid. v. 251.

- - - *Et glacie riget* horrida *barba.*

Terentius in Phorm. Act. 1. Sc. 2. v. 55. seq.

Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, *nudus pes*, *ipsa* horrida.

Sic per translationem Oratio dicitur *Horrida*, quae dura est, aspera, & jejuna. Similiter *Horridulus*, hoc est, parùm bene cultus. Cic. in Orat. *Horridulae Orationes*. Plaut. in Pseud. Act. 1. Sc. 1. v. 66.

Papillarum horridularum *oppressiunculae.*

Et Persius Sat. 1. v. 54.

Scis Comitem horridulum *tritâ donare lacernâ.*

Horridus aliquando est *Timendus*. Virg. 5. Aeneid. v. 36.

Horridus in jaculis. hoc est, *terribilis*, ut exponit Servius.

Horridum dicit Aegretius despicabile aliquid; *Horren-*

rendum admirandum. Virgilius: (*i*)

- - - *Oculos* horrendâ *in virgine fixit.* (**)

(*i*) Haec verba apud *Virgilium* frustra quaeruntur. Sed Lib. 12. *Aeneid.* v. 70. sic canit:

Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.

(**) Frustra Hekelius notat, hæc verba apud Virgilium frustra quæri; reperiuntur enim Æneid. 11. v. 507.

Horret corpus, *Trepidat* cum motu animi. *Corn. Fronto.*

(*) *Hospitium*, & *Diversorium* peregrini est, & ad tempus; *Familiaritas* quotidianam requirit consuetudinem; *Taberna*, seu *Caupona* pretio recipit.

Hostia dicitur de parvis Animalibus, ut Ovibus, & Volucribus: *Victima* de magnis, ut Tauris, (*k*) Plautus in Pseud. Act. 1. Sc. 3. v. 95.

Nolo victimas, *agninis me extis placari volo.*

Virg. Lib. 2. Georg. (*) v. 146.

Hinc albi, CLITUMNE, *greges*, *&* *maxima Taurus*, Victima. - - - - -

Arnobius Lib. 7. Hostias *caedat*, *&* Victimas. Idem ibidem: *Quoniam volucres* Hostiarum *quoque in numerô ponitis*. Gellius ita distinguit, ut *Hostia* à quolibet; *Victima* ejus, qui vicerit, manibus debeat immolari. *Isidorus* verô, *Hostia* est, inquit, quae ante *Praelium* commissum; *Victima*, quae post *Victoriam* immolatur. Quam Differentiam refellit Etymon *Hostiae*, quod tradit Ovidius Lib. 1. Fastor.

Hostibus amotis Hostia *nomen habet.*

(*k*) Eruditus *Hacbenbergius* loc. ad Not. proximè praecedentem alleg. scribit, *ipsas* Victimas *apud plerosque olim commendasse* humanum Sanguinem, *effusum ante* DEORVM *Aras*, *&* *diro carmine devotum*: *introducta immani illa, ac barbara* Scytharum *consuetudine, qui* DEOS *immortaleis hominum scelere, ac sanguine posse placari arbitrabantur.*

(*) *Hostia* est Ducis, cùm ad Hostem proficiscitur; *Victima* cum vincit; *Holocaustum* igne consumitur; *Sacrificium* est generale.

Hujusce, & *Hujusque* diversa esse tradit Victorinus in librô de Orthographiâ his verbis: *&* HUJUSCE, *&* HUJUSQUE *rectè scribuntur*, *sed suô locô*

utra-

Humaniter ſignificat φιλανθρώπως ; *Humanè* autem ἀνθρωπίνως. (*p*)

(*p*) Quibus addendum *Humanitùs*, quod idem eſt, ac *humano more*.

Humidum eſt, quod extrinſecus (* ſeu exterius) habet aliquid humoris; *Madidum* verò, ac *Vvidum*, quod *intrinſecus*, unde UVAE dicuntur, ut tradit *Servius*, cui non adſentior. *Humidum* (*q*) enim *propriè* eſt, quod in *profundô* continet humiditatem, ut Terra ; *Uvidum* eſt, quod in *ſuperficie* tantùm, ut Lapides in flumen dejecti, Veſtes rore, aut fluctibus aſperſae, quas *Uveſcere* dixit *Lucret*. Lib. 1. (*) v. 306. & 307. his verbis:

Denique fluctifragô ſuſpenſae in littore veſtes
Uveſcunt; *eaedem diſpenſae in Sole ſereſcunt.*

Virgilius (*) Eclog. 10. v. 20.

Uvidus *hiberna venit de glande* MENALCAS.

Illud GRAECIS eſt ὑγρὸν, *Hoc* διερὸν, ut *Ariſtoteles* diſſerit Lib. 2. de *Ortu*, & *Interitu*.

Humidum eſt, quod humorem habet ; *Humectum*, quod humorem inducit. Pacuvius:

Terra exhalat aurã, atq; aurorã humidam, humectam.

(*q*) Quemadmodum a SVCCIDVS, quod eſt *ſucculentus*, ſeu *ſucciplenus*, bonae Notae Verbum *Succidare* deſcendit : ſic ab HVMIDVS *Humidare*, & quidem annotante litteratiſſimo *Reineſio* Lib. 2. *Var. Lect*. Cap. 8. p. 196. qui & Lib. 3. cap. 18. p. 675. dicit, *Humidare*, Verbum apud *Gariop*. Lib. 5. Cap. 33. & 38. etiam extare.

Hunc, & *Iſtum* in proximô notant ; *Illum* oſtendit quidem longè ſtantem, ſed in conſpectu ; *Eum* abſenten refert. (*r*) *Corn. Fronto*.

(*r*) Aliàs HVNC ponimus, quando de *prima* ; ILLVM, quando de *ſecunda*; & ISTVM, quando de tertia Perſona eſt imprimis ſermo.

Hypotheca proprie dicitur de re Solo inhaerente, quae ſine traditione, nudâ conventione tenetur; *Pignus* verò de re mobili, cujus poſſeſſio tradita eſt Creditori, uſque dum quid praeſtetur, vel fiat à Debitore, ut ſcribunt Juriſconſulti l. 9. §. 2. D. de Pign. Act. l. 237. §. pignus D. de Verb. Sign. §. *Item ſerviana* Inſt. de Act. Quae tamẽ Differentia, & Proprietas rarò (*s*) obſervatur, & *Pignus* de re immobili dicitur. Terent. in Phormione: (*t*)

Ager


Ager oppositus est pignori *ob decem minas;*
Aedicula (u) item ob decem alias.

Tacitus Lib.3. Historiar. *Domo, agrisque* pignori *acceptis.* Ulpianus ad Edictum 25.l.2.§.ult.D.deRelig. *Is, qui* pignori *dedit agrum, si in eum suum mortuum intulerit, religiosum eum facit.* Papinianus Responsor. 2. l. 1. §.3.D. de Pign. *Cùm Praedium* pignori *daretur, nominatim, ut fructus quoque* pignori *essent, convenit.* Quin etiam ipsi Jurisconsulti, cùm ad naturam *Actionum* respiciunt, his duobus nominibus promiscuè utuntur pro qualicunque re, de quâ inter *Creditorem*, & *Debitorem* convenit, ut sit pro *Debitô* obligata. Vnde Marcianus libro singulari ad Formulam Hypothecariam.l.5.§.1.D. de Pign. *Inter* PIGNVS, *inquit, &* HYPOTHECAM *tantùm nominis sonus differt.* videlicet quantum ad actionem *hypothecariam* attinet, nihil interest praeter sonum, & originem, qua alterum *Latinum* nomem est, alterum *Graecum* ab ὑποθέσθαι.

(s) Vid. *Johann. Arnoldi Corvini* Posthumus Pacianus Lib.4. *Definit.*2. p.111. & 112. Edition.2.

(t) Act.4. Sc.3. v.56. 57. & 58.

(u) Editio *P. Antesignani Rapistagnensis*, quae *Lugduni* apud *Matthiam Bonhomme* Anno super Sec.46. in 8°. maj. prodiit, pro AEDICVLA, minimè incommodè legit *Aediculae.*



AU-

AUSONII POPMAE
DE DIFFERENTIIS VERBORUM,
LIBER TERTIUS.

(*) *Jacimus* tela; *Objicimus* crimina.
(*) *Jactamur* mari; *Fatigamur* in terris.



Janua est in ingressu Aedium, dicta, quia *JANO* consecratum erat omne principium; *Ostium* est in partibus interioribus. (x) Plautus in Persa: Act.5.Sc.1.v.6.

Hic volo ante ostium, *&* januam *meos participes benè accipere*. Sed haec ferè confunduntur, sicut eadem sunt *Janitor*, & *Ostiarius*. *Fores* propriè dicuntur, quae sunt in primò Aedium ingressu, dictae ab eô, quod foràs spectent; *Valvae* autem sunt Fores duplices, complicabilesque, quae, ut ait *Varro*, revolvuntur, & se velant. Sed in communi Sermonis usu generaliter dicuntur omnia Ostia *Fores*, & Valvae, nec refert, quâ parte Aedium collocatae, *simplices*, an *geminae* sint. *Serv.*

(x) Sive est pars Januae, qua patet *introitus*, & *exitus*, quasi *os aedium* dictum.

(*) *Igitur* sententias conjungit, & continuat; *Nunc* tempus praesens indicat.

Ignarus est, qui ignorat; (y) *Immemor*, qui oblitus est. *Serv.*

(y) Contra *Gnarus* rem novit. *Gnaritas* autem rerum *Ignorantiae* ideò est praeferenda, ne nos *Ignoratio* in peccata praecipitet. *Comenius*.

Ignavia est tarditas in exsequendis negotiis; (z) *Pigritia* (aa) in aggrediendis; *Inertia* est agendi Inscientia, quam parit *Ignavia*. Itaque *Ignavus* nihil efficit; *Piger* otiosus desidet, & nihil molitur; *Iners* imperitè agit.

agit. Cicero Lib.1.Officior. *Ne aut Ira existat, aut Cupiditas aliqua*, *aut* Pigritia, *aut* Ignavia, *aut tale quid appareat.* Idem ibidem: *Nec propter* Pigritiam, *aut* Ignaviam *deserant.* Idem Cornificio. *Nec tua* Ignavia *etiam* Inertiam *adferat.*

(z) Sic *Ignavus* nihil efficit; cùm contrà *Gnavus* in negotiis semper est strenuus. Quoniam itaque *Gnavitas* ad omnia prodest, meritò *Ignavia*, monente *Comenio*, fugienda.

(aa) seu *Pigredo*, sive *Pigritudo*, utpote quibus vocibus Veteres sunt usi.

Ignominia imponitur ab eô, qui potest *animadversiones* (bb) notare. *Infamia* ex multorum sermone nascitur. (cc) *Corn.Fronto.*

(bb) (seu *labe*, ac *macula* hujus, vel *illius nominis.*)

(cc) Pertinet autem *infamia* ad famosas tantùm, & turpes actiones, quae ex *contractu*, vel ex *delicto* oriuntur, sicuti tradit *Ludwell.* Commentar. ad Lib.4. *Institution.* Tit.16. § 2. p.651. & est bonae Famae prorsus contraria, quoniam pro omni *turpitudinis, dedecorisque* genere etiam ponitur, & persaepe ad ipsam *Personam* refertur. Leg. *Doleti* Phrases, seu Formul. *L.L.* fol.76. fac.b. col.1. *Ignominiam* autem minùs esse quàm *Infamiam*, inde patet, quoniam *Ignominiosi* non sunt *Infames*, ut *Infamium*, ac *Damnatorum* poenis teneantur, quemadmodum passim *JCti*, atque *Politici* testantur.

Ignoratio, & *Ignorantia* hôc differunt, quòd *Ignoratio* est rei, quae nescitur, nec sciri potest, nisi prodatur; (dd) *Ignorantia* autem est rei, quae sciri potest, aut debet, sed errore hominum, aut negligentiâ ignoratur. Cicero in Laeliô: *Ut in fabulis, qui aliquandiu propter* ignorationem *stirpis, & generis in famulatu fuerint.* Aliquando tamen *Ignorantia* sumitur pro *Ignoratione.* Cicero pro Flaccô: *Ubi Adolescentes nihil possent discere, nisi* ignorantiam *Litterarum.* Idem Caeliô: *Non negligentia mea, sed* ignorantia *rerum omnium.* Lucretius Lib.6.v.53.

Ignorantia *causarum conferre Deorum*
Cogit ad Imperium res, & concedere regnum.

(dd) Sed *Ignoratio sui* est, cum quis se effert, & superbè gerit, cùm tamen sit humilis, & infimi loci. *Cicero* pro *Cluentio* de *superbo quodam Tribuno plebis* sic scribit: QUINCTIO, *quod erat odium, Dii immortales? Quae superbia*, quanta ignoratio, *quàm gravis, atque intolerabilis* ignorantia?

Ignorare est non satis cognitum, ut exploratum habere;

bere; (ee) *Nescire* omninò non scire. Alterum est *Imprudentis*, aut *Neglıgentis*; alterum *Inscientis*, & *Imperiti*. Arnobius Lib.2. *Hoc ipsum* ignorans, & nesciens. Ibidem: *Confitemur nos* ignorare, nescire, &; *Quid ergo? nos soli* ignoramus, nescimus. Svet. in Claud. *Impunitates, supplicia largitus est, & quidem inscius plerumq; &* ignarus.

(ee) Conf. *Schardii* Lexicon Juridic. p.430. col.b.

Ignoscit, qui dissimulat se nosse, quod comperit, & ita silentiô peccata impunita dimittit; (ff) *Concedit*, qui omnia peccata condonat. *Corn. Fronto.*

(ff) *Omnibus* autem *ignoscere*, hoc est, quae punienda judicantur, non punire; & *nulli ignoscere*, aequè crudele *Seneca* censet Lib.1. de Clementia Cap.2. p. m.330.

Illex, & *Illix* (gg) Nonius hôc differre voluit, quòd *Illex* sit, à quô Lex non servatur; *Illix*, qui inlicit, & invitat: (hh) in quò sanè illi adsentior. Nam ab *inliciendô* dicitur promiscuè *Illix*, & *Illex*, ut *Pellex* à *pelliciendô*, Varro Lib.4. de Linguâ Lat. *Hoc ipsum* INDICIUM *scriptum inveni in* M. Junii *Commentariis*, *quod tamen ibi idem est, quod illiciti* Illex, quia I cum E, & C cum X *magnam habet communitatem.* Plautus in Persa Act.3. Sc.3. v.4.

Impure, inhoneste, injure, illex, *labes popli.*

Idem in Poenulô Act.3. Sc.4. v.35. *Qui illi malae rei tantae fuimus* illices.

(gg) Propriè Avem alios *allicientem* denotans.

(hh) Vnde *Illicere*, & *Illectare* est inescare, seu aliquem in aliquid blanditiis trahere. Est autem res plena periculis speciosis *illectamentis illici*, & vanis *oblectamentis oblectari*, & quidem *Comenio* sic monente. Ponitur & *illicere* pro persuadere, vel in sententiam aliquem attrahere, quemadmodum ILLEX pro *Suasore*.

Illius similis, ad Mores refertur; *Illi similis*, ad Vultum. (ii) *Clarus.*

(ii) HOC ad *Formam externam*; ILLVD ad *Qualitatem* spectat.

(*) IMAGO, & IDOLVM *Theologicè* sic differunt, ut *illa* ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas fiat; *hoc* autem nunquam, nisi ad miserorum animas sacrilego ritu, & varia superstitione illiciendas, sicuti tradit *Henricus Hoepffnerus* Sect.3. Cap.7. p.441. HOC ad *seipsum* dicitur; *illa* verò ad *aliquid*. Ideòque dicitur alicujus rei, sive sit animatae, sive inanimatae, *Exemplum*, seu *Exemplar*, sive *Repraesentatio*. Conf. *Doletus* loc. nuper ad Not.cc. alleg. fol.74. fac.a. col.1. *Propriè* autem inter *Exemplum*, atque *Imaginem* haec datur Differentia, quòd *Exemplum* ponatur, ut aliquid fiat, *Imago* autem nullum talem

finem

finem habet; sed ut duae res sub una, atque aequali intellectione comprehendantur propter assimilationem, quae dicitur *ὁμοίωσις*. Vid. *Scaligeri* Lib. 3. *Poët.* Cap. 39. p. 292.

Illuvies Sordium est; *Ingluvies* Ventris. ILLVD quidem à *lavandô*; HOC ab *inglutiendô* dictum. *Agraetius*.

Immissum dicitur, quod ita fit, ut aliquô locô requiescat, veluti *Tigna*, *Trabes*, quae immittuntur in parietes. *Projectum* est, quod provectum extra parietem, vel aedificium nusquam quiescit, qualia *Meniana*, & *Suggrunda* sunt, auctore *Labeone* L. 242. §. 1. D. de Verb. Sign. Gujus Differentiae exempla suppeditant Libri *Jurisconsultorum*.

Imitatio simplex est, & *Livorem*, atque *Invidiam non* mittit; *Aemulatio* autem habet quidem *imitandi* studium, sed cum *Malitiae* operatione. (*kk*) Cic. in Caesar. *Quasi quodam* aemulô, *atque* imitatore *studiorum*, & *laborum meorum*, & *comite abstracto*. Nonius.

(*kk*) Ideòque rectè dicitur *Aemulus*, qui ductus *invidia* alterius opus *imitari*, aut *superare* conatur. *Comm.*

Immolare, & *Mactare* hoc differunt, quòd IMMOLARE *propriè* est victimas molâ salsâ tactas ante Aram statuere; MAGTARE verò est victimas caedere, & inde porrigere, sive offerre. (*ll*) Varro Lib. 2. de Vita Populi Rom. MACTARE *Verbum est* sacrorum *κατ' εὐφημισμὸν dictum*, *quasi* magis augere, *ut* Adolere. *Unde* & Magmentum, *quasi* majus Augmentum. *Nam Hostiae tanguntur mola salsa*, & *tùm* immolatae *dicuntur*; *cùm verò ictae sunt*, & *aliquid ex illis in* Aram *datum est*, Mactatae *dicuntur*, *per laudationem*, *itemque boni ominis significationem*; & *cùm illis mola salsa imponitur*, *dicitur* macte esto.

(*ll*) seu Pecudes ad cibum occidere. Leg. Perotti Cornucopiae *Epigr.* 2. col. 138. lin. 27. seqq.

Imperare est onus imponere, ut apud Sallustium: Imperavit *frumentum*, & *alia*, *quae bello usui forent*. (*mm*) *Jubere* est velle aliquid necessariò fieri, quod ad di-

dignitatem, & utilitatem alterius pertineat, ut, *Regem Populus* jussit, & *Bellum ex auctoritate Patrum Populus* jussit. Livius. *Mandare* (nn) verò est gerendum, pronunciandumve aliquid alteri committere. Vnde *Mandata* appellantur praecepta Principum, quae *Praesidibus* in Provincias proficiscentibus dabantur, ut quod illis cautum esset, & ipsi Provinciales observarent. *Hoc* amplius. *Imperamus* non aliis modò, sed etiam nobismetipsis; *Iubemus* tantùm his, qui in nostrâ sunt potestate; *Mandamus* quibuslibet. Terent. in Evnuchô Act. 2. Sc. 2. v. 21.

- - Imperavi *egomet mihi omnia adsentari*.

Idem ibidem: (oo) Jubeo, *cogo*, *atque* impero. Coelius Ciceroni: *In hoc negotio nulla tua*, *nisi loquendi*, *cura est*, *hoc est*, imperandi, *&* mandandi.

(mm) Denotat quoque *Imperare* ex auctoritate aliquid injungere. Sic, scribente *Comenio*, IMPERATOR *imperat* Exercitui, *imperatorio* jure edicens *Imperia*; ROMANVS autem *Imperator* ad *Imperium* electione promotus *imperiali* Majestate eminet.

(nn) qs. *in manum* dare, & cum *mandato* mittere.

(oo) Act. 2. Sc. 3. v. 97.

Imperium est civilis quaedam *Magistratus* auctoritas, quae in prehendendo, & animadvertendo consistit; *Potestas* est minor *Magistratus* coërcitio. (pp) Itaque DICTATOR, CONSVLES, & PRAETORES, qui vocare, prehendere, tenere, abducere poterant, *Imperium* simul, & *Potestatem* habebant; TRIBVNI verò PLEBIS, AEDILES, CURULES, & QVAESTORES *Potestatem* tantùm, quia alteri prehensionem solam, alteri neque prehensionem, neque vocationem habebant. Praetereà IMPERIUM aliquandò *bellicum* est, & *militare*, quô Imperatori Exercitum habendi, & Belli gerendi facultas datur; POTESTAS semper est civilis. Unde, *cum Imperio esse* dicebatur Dux, qui *imperabat* Exercitui; *Cum Potestate esse* Magistratus, qui *Jurisdictionem* habebat, aut *civili* aliquô *munere* fungebatur. (qq) Cicero pro Fontejô: *In Honoribus petendis*, *in* Potestatibus, *in* Imperiis *gerendis*. Idem Lib. 1. Epistolar. ad Q.

Fratrem: *Quare cùm istis in urbibus cum summo* Imperio, *ac* Potestate *verseris*. Ulpianus de Officio Proconsulis 7. l. 1. D. ad l. Jul. m. *Magistratus Populi* Romani, *quive* Imperium, Potestatemve *habet*. Idem Instit. 1. l. 1. D. de Const. Princ. *Populus ei, & in eum omne suum* Imperium, & Potestatem *contulerit*.

(pp) *Generaliter* pro *agendi Libertate* haud iniquè ponitur.

(qq) Conf. *Doleti* Phrases, seu Formul. eleg. fol. 74. fac. b. col. 2. ubi & fol. 131. fac. b. col. 1. extat: *In potestate esse*, quod non *Activè*, sed *Passivè* capiendum esse arbitror. Nam ea dicuntur esse IN POTESTATE NOSTRA, quae *in Potestatem nostram* venerunt. Sed dicimur *in Potestate ejus esse*, qui *Potestatem Auctoritatemque* in nos habet, vel sub cujus *Potestatem* subjecti sumus, aut *sponte*, aut *Dominationis* jure, aut *Emptionis* nexu, aut accepti *Beneficii* obligatione.

(*) *Impetrat*, qui acquirit; *Conservat*, qui Impetrati essentiam continuat.

Impluvium, quò aqua impluit collecta de tectô. (rr) *Compluvium*, quò de diversis tectis aqua pluvialis confluit in eundem locum. *Fest.*

(rr) Seu est Locus in aedibus sine tecto, quò imber impluit.

Imum summo respondet; *Infimum*, ut infra humum. *Corn. Fronto.*

Incertum nec tempus, nec numerum recipit; *Dubium* (ss) à duobus incipit. *Corn. Fronto.*

(ss) Dicitur qs. *Duvium*, h. e. duas vias habens, & est, ubi nescimus, quid eligamus.

Inchoat, qui incertum facit; *Incipit*, cujus exitum sperat. *Corn. Fronto.*

[*] *Incidunt res* praeter spem; *Veniunt* expectatae. Goclenius.

Incola à *Cive*, & *Municipe* differt. L. 29. D. ad Municip. Nam *Cives* origo, vel manumissio, vel adoptio, vel allectio; *Incolas* domicilium facit. L. Pupillus. §. Incola. D. de Verb. Sign. & L. Cives c. de Incol. Haec *Brissonius*.

Incrustationes solidô de marmore; (tt) *Tectoria* ex marmore contusô, & cribratô, atque cum calce mixtô inducuntur parietibus. *Brisson.*

(tt) *Incrustationes*, sive *Crustationes*, sunt, cum crustae *Parieti*, aut *Pavimento*, aut *Vasi* applicantur. Hinc *Vasa crustata* dicuntur quae vitreis *crustis* tecta sunt, à quibus *crustariae Tabernae* vocitatae, in quibus ejusmodi opera venduntur. Haec *Perottus* in Cornucop. Epigr. VII. col. 615. lin. 43. seq.

(*) *Indicare* est pretiū designare; *Addicere* est liberare. Sed *Liceo* significat

ficat

ficat prostare; & *Liceor*, seu *Licitor*, est pretium deferre.

Indocile est, quod penitus non potest discere; *Indoctum*, quod nondum didicit. Serv.

Industrius est, qui semper (*uu*) aliquid agit; (*xx*) *Navus*, qui strenuè negotia exsequitur, & constanti animô contra omneîs Difficultates obnititur. ILLE *assiduitate*; HIC *fortitudine*, & *tolerantiâ* commendatur. Et *Industrius* sibi studet; *Navus* alteri navat operam. Cicero pro Lege Maniliâ: *Homines* navi, & industrii *partim in* Asiâ *negotiantur*. Sallust. in Jugurthâ: *Imperata* navi *fecerant*.

(*uu*) (addamus *studiosè*, *vigilanter*, atque *callidè*)

(*xx*) Dicimus & INDVSTRIVM in *Neutro*, quod veteres *Industruum* dicebant, quòd, quicquid quispiam ageret, *intrò* strueret, & studeret domi. *Perottus.*

Induxit pro decepit; (*yy*) *Seduxit* dicimus, cùm significamus, in aliam partem duxit, ut *seduxit* foràs. (*zz*) *Clarus.*

(*yy*) *Inducere* ponitur quoque pro *Persuadere*, quod fit *paulatim*, & *cum tempore*; seu loquente Goclenio, *majori mora*. Vid. *Schoppii* Lib. V. *Suspectar. Lection.* Epist. 3. p. 323. qui & Lib. 2. Epist. 5. p. 101. *Induci* quoque, pro *Accusari*, dici scribit.

(*zz*) Aliàs *seducere* [1] est *seorsum abducere*, (2) *à recta via* ducere, & quidem per *Metonym. Signi* pro *Signato*.

Infectores, qui alienum colorem in lanam conjiciunt; (*a*) *Offectores*, qui proprio colori novum efficiunt. *Festus*.

(*a*) & quidem cautè, ne nimis acriter inficiendo officiat. Notandum autem, quòd Barbari INFECTOREM, quem Cicero sic vocat, *Tinctorem* saepe nuncupent.

Infensus est, qui irâ (in alium est elatus, seu) accensus, & odium gerit; *Infestus*, qui alteri malum infert, ut *infensus* Hostis, *infesta* signa. *Ille* animô, & vultu saevit; *Hic* vi, & manu grassatur. (*b*) Cicero Orat. I. in Verrem: *Pro offensione hominum, qui illi inimici*, infensique *sunt*. Sallust. in Jugurthâ: *Hostem* infestū, *auxilii spem nullam*. Sed haec aliquando confunduntur. Idem ibidem: *Vir acer*, & infestus *potentiae nobilitatis*. Tacitus Annal. Lib. 6. 34. *Adequitare castris*, infensare *pabula*. Idem Annal. lib. 13. 37. *Palàm bello* infensare ARMENIAM.

(*b*) Aliis *infensus* dicitur inimicus, & iratus. Quicunque autem dicitur *Infestus* mihi, is mihi est molestus, seu gravis. Sed mihi *Invi-*

sus est, cui ego invideo. Notandum autem, quòd *Infestus* nonnunquam idem fit, ac *periculosus*, seu *periculis obnoxius*, ut: *Via excursionibus hostium* infesta. Leg. *Gifanii* Observ. L.L. p. 338.

Infidus dicitur, cui non est fidendum; (c) *Perfidus*, qui fidem violat. (d) Cicero in Laeliô: *Quos* fidos *Amicos haberet, quos* infidos.

(c) Sic apud LIVIUM *infida Regni Societas* legitur.
(d) Et *Perfidia* est *Fidei* violatio, & saepenumero pro *Vitio*, atque *Improbitate* accipitur.
(*) *Infra* ad Dignitatem, & Locum; *Intra* verò ad Numerum, & Spatium refertur.

Ingens (e) valet immensus, τρισμέγιστος, & plus est, quàm *Magnus*. Plautus in Captivis: (f)

Ignem ingentem? *ita dico*, magus *ut sit*.

Lucretius Lib. 6. (*) v. 677.

Maxima quae vidit quisque, haec ingentia *fingit*.

Terentius in Eunuchô: (g)

Magnas *verò agere gratias* THAIS *mihi*?
Ingenteis. - - - - - - -

Quem Versum adducens Cicero in Laelio, ait: *Satis erat respondere* Magnas, Ingentes *inquit*, *semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse* magnum.

(e) quasi *incens*, ab *in* & *censeo*, quòd tantum sit, ut *censeri non possit*, sicuti (praeter *Comenium*) ex *Josephi Scaligeri* Notis in *Orpheum* annotàvit *Gerardus* Joannes *Vossius* in *Etymologico L. L.* p. 266. col. b. Sunt etiam, qui *Ingens* à GENTE, *Perotto* teste, dictum velint, quasi sit *ultra Gentem suam*, & sic omnino *magnus*, atque *immensus*.
(f) Act. 4. Scen. 2. v. 64.
(g) Act. 3. Scen. 1. v. 1.

Inhibere est retinere, & retrahere ab inceptô opere, aut cursu, quô modô *Nautae* dicuntur *Inhibere Navem*, cùm ejus impetum contrariâ remorum percussione retardant; *Prohibere* (h) est avertere, & impedire, ne quid fiat, vel incipiatur. Unde *Prohibitoria Edicta* appellantur, quibus *Praetor* vetat aliquid fieri. Virgil. Lib. 6. Æneid. (i)

Prohibere *infandos navibus ignes*.

Idem: (k)

Par-

Parcite jam, RVTVLI; *& vos tela* inhibete, LATINI.

Cicero Lib. 13. ad Atticum (*l*) INHIBERE *illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim Verbum totum* nauticum. *Quanquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, cùm* Inhibere *essent remiges jussi. Id non esse ejusmodi, didici heri, cùm ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed aliô modò remigant.* Livius Lib. 36. *Cùm nostri concurrissent, neque retrò navem* inhiberent. Justinus Lib. 2.cap.12.*Commissô praeliô, ite cessim*, inhibete *remos.*

(*b*) HOC est *generale*, & ante rem inceptam; ILLVD *speciale*, & fit, re jam incepta.

(*i*) Hic locus *Virgilii* non Lib.6.sed Lib 1.*Aeneid.*v.529. in *Vellutelliano*-ac *Erythraeiano-Venetis*, ut & *Plantiniano-Antverpiensi* Editionibus his verbis formatus extat:

- - - - Prohibe *infandos à navibus ignes.*

(*k*) Lib.12.*Aeneid.*v.693.

(*l*) Epist.11.fol.210.fac.b.Edition.*Sturmiano-Argenti.*

Innocens est, qui ab omni injuriâ, aut maleficiô se abstinet; (*m*) *Innocuus*, qui alteri non nocet. ILLVD de *Hominibus* tantùm; HOC etiam de *Bestiis*, & *Herbis* dicitur. Plautus in Captivis: (*n*)

Decet innocentem *servum*, *atque* innocuum
Confidentem esse.

Virgilius Lib.7.*Aeneid.*v.229.sequ.

- - - - - - - *Littusque rogamus*
Innocuum. - - - - - - -

Quanquam *Innocuus* interdum sumitur παθητικῶς pro eô, cui non nocetur. Idem Lib.10. Aeneid.vers.301.& 302.

- - - - - *Sic consedere* (*o*) *carinae*
Omnes innocuae: id est *illaesae*, ut interpretantur *Nonius*, & *Servius*, à quibus Valla frustrà dissentit.

(*m*) qs. *non nocens*. Contrà verò propriè *Nocens* dicitur, qui *injuriam*, aut *maleficium* commisit. Conf. *Perotti* Cornucop. *Epig.* 4. col. 463.lin.42.seq.

(*n*) Act.3.Sc.5.v.7.seq.

(*o*) Editiones *Virgilianae* nuper ad Notul. (*i*) cit. ut & *Calagiana*, atque plures aliae pro *Sic consedere*, legunt, *Et sedere.*

Innuere est facie significare; *Annuere* concedere: Sed utrumque Narium, vel Labiorum. *Nutare* Capitis; (q)*Nictare* Oculorum. (r)Plaut. in Asin. Act 4. Sc. 1. v. 39. *Neque illa ulli homini* nutet, nictet, annuat.

Ennius Lib. 10. Annal. (juxta lectionem Scaligeri in conjectaneis ad Varron.)

- - - - *Fortè feram si ex nare sagaci*
Sensit, voce sua nictat*que, ululatque ibi acutè.*

(p) seu *nutu* voluntatem suam indicare. *Nuimus* enim, seu *innuimus*, cum, loquente *Comenio*, alicujus rei indicium facimus *nutu*, aut *renutu*; *annuendo* scilicet, vel abnuendo. Sed voluntas nostra in multis *nutat*, saepeque ipsi divino Numini *renutat*.

(q) Sic per *Metonym. Signi pro Signato* etiam dicimus *Nutare aedificia*, cùm malè solidata ruinam minantur.

(r) quando nempe *eos* contrahîmus, atque *pupillam*, *cilia*, & *palpebras* motitamus.

Inquilinus est conductor aedium alienarum; (s) *Colonus* praediorum rusticorum. (*) L. 37. *D. de acquir. vel amitt. poss.* L. 1. D. de Migrando.

[s] seu qui in alieno, & privato domicilio habitat; propriè tamen in conducto, sive in Vrbe, sive Ruri, ut inquit Valla Lib. 4.

[*] *Inquilini* etiam dicuntur, qui in eisdem habitant aedibus. Festus: *Inquilinus, qui eundem colit focum; vel ejusdem loci cultor. Coloni* quandoque dicuntur, qui à Metropoli (sic enim Civitas dicebatur, quae Coloniam emittebat) in alium locum habitandi causa deducebantur; iique non propriis, sed Metropolitarum vivebant legibus. Virg. 1. Aeneid. v. 12.

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago.

Inscius aliquid nescit; *Nescius* nil novit. *Alter* in parte errat; *alter* in totô. *Corn. Fronto.*

Insigne singulari Numerô aliud est; aliud *Insignia*, (t) in quibus vestis, & Sella regia accipi potest. *Servius.*

(t) INSIGNIA dicuntur *Signa*, & *Ornamenta* ob virtutem adepta. Dicimus etiam *Insignia* laudis, & *Insignia* gloriae. Cic. Appio: *Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assequuti sunt.*

(*) *Insignis* verò propriè est, in quo aliqua sunt signa, per quae ab aliis discernitur. Festus: Insignes *appellantur boves, qui in femine, & in pede album habent, quasi* Insigniti. Virgil. lib. 3. Georg. v. 56.

Nec mihi displiceat maculis insignis, *& albo.*

Aliàs *Insignis*, ut idem Festus ait, *tam ad laudem, quàm ad vituperationem inflecti potest.* Virgil. 1. Aeneid. v. 10.

Insignem *pietate Virum.*

Ovid. Eleg. ult. lib. 4. Trist. v. 16.

Imus ad insignes *Urbis ab arte viros.*

Cic.

Cic. pro Rabir. Insigni, *homo omnibus notis turpitudinis*. Tacitus lib. 14. Annal. 40. dixit: Insignia *scelera*. Quicquid itaque excellit, sive illud sit vitium, sive virtus, *Insigne* dicitur. Hinc etiam quandoque pro *magno* sumitur. Lucil. lib. 27. Satyr. *Cocus non curat caudam insignem esse illam*, dum pinguis fiet.

Insigne, & in plurali *Insignia* sunt notae, aut signa, quae in vestibus, vexillis, aliisque *insignita* sunt; aut vestes ipsae, vexilla, & alia, quae fiunt, vel feruntur discriminis causa. Svetonius in Nerone Cap. 1. *Quod* insigne *mansit & in Posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt.*

Ovidius lib. 1. De Arte v. 31.

Este procul vittae tenues, insigne *pudoris*.

Virg. 2. Aen. v. 389. seq.

Mutemus Clypeos, Danaumque insignia *nobis*
Aptemus.

Sallust. in Catilin. *Cum fascibus, atque aliis imperii* insignibus *ad Manlium in castra tendit.* Tacitus lib. 11. Annal. 38. *Decreta Narcisso quaestoria* insignia. Sic Sceptrum, & Purpura sunt INSIGNIA Regis; Toga est INSIGNE pacis, & otii; Moeroris INSIGNIA apud Cicer. est ater vestitus.

Insimulat qui vel arguit, vel fingit; (u) *Simulat*, qui (x) probare vult, quod non est. Corn. Front. (*)

[u] vel criminatur per *simulationem quandam.*
[x] [*externo gestu* nempe aliquid]
(*) Insimulare (juxta Donatum) est falsi, vel veri criminis incusare. Plaut. in Milit. Act. 2. Sc. 3. v. 26.

- - - *Si falsò* insimulas *Philocomasium, hoc perieris.*

Idem in Menaec. Act. 5. Sc. 2. v. 54. seq.

- - - - - *Tu malè facis,*
Quae insontem insimules. - - -

Idem in Amphitr. Act. 1. Sc. 2. v. 15.

Atque insimulabit *eam probri.* - - - -

Sumitur quoque *Insimulo* pro suo simplici *Simulo*. Cic. lib. 1. Offic. *Solus neglexit fidem, furere* insimulavit, *nequò iret.*

Insita arbor est, cui infissae alienum germen includitur; *Adsita*, cui incolumi aliquid, ut sustineat, adjungitur. Horatius: (y)

- - - - - - *Quà populus* adsita *certis*
Limitibus vicina refugit jurgia. - -

[y] Lib. 2: *Epist.* v. 170. seq.

Insomnia significat *Vigiliam*, (z) cùm dormiri non potest. *Insomnium* verò id, quod (aa) in *Somnis* obversatur; etsi *Latini* eô, nisi *Multitudinis* Numerô, non utuntur. Alterum *Graeci* vocant ἀυπνίαν; alterum ἐνύπνιον. Caecilius Plocio: *Consequitur comes* Insomnia, *ea porro insaniam adfert.* Terentius in Eunucho: (bb)

Aut mox noctu te adigent horsum Insomnia.

Svetonius in Caligula 50. *Incitabatur* Insomnia *maximè; neque enim plus, quàm tribus nocturnis horis, quiescebat.* Sallust. in Catilinâ: *Dies, noctesque festinare, vigilare, neque* Insomniis, neque *labore fatigari*. Idem Lib. 4. Historiar. *Quia pactô vitam dederant*, Insomniis *occidere*, id est, *Vigiliis*. Virgilius. (cc)

- - - *Quae me suspensam* Insomnia *terrent*!

Idem: (dd)

Sed falsa ad coelum mittunt Insomnia MANES.

Livius Lib. 30. *Curis*, Insomniisque *agitant*, & *excitant saepe somnô*, pro Somniis. Plautus in Menaechmis: (ee)

Haec *nihilo mihi esse videntur secius, quàm* Insomnia.

Quem Versum sic explicat *Varro* in Quaestionibus Plautinis: *Nihilô magis narranda esse, quàm si ea essent* Somnia. *Insomnia* Plurali Numerô significare volunt *Grammatici*, SOMNIA; Singulari verò Numero, VIGILIAM, ut Pacuvius in Antiopâ (ff) dixit: *Perdita illuvie, atque* Insomnia, i. e. *Vigilia*. Sosipater.

(z) seu Tempus *Somno* vacuum,

(aa) (per *Somnum* videmus, seu nobis)

(bb) Act. 2. Sc. 1. v. 13.

(cc) Lib. 4. Aeneid. v. 9. ubi pro TERRENT Editio *Erythraei Veneta* non prorsus iniquè in Margine substituit, *terret*, scil. Anna soror.

(dd) Lib. 6. Aeneid. v. 897.

(ee) Act. 5. Scen. 7. v. 57.

(ff) p. 238. Edition. Stephanianae, & quidem ex *Charisio*.

Institutiones sunt Praecepta, quibus docentur homines, atque instituuntur: ut, Institutiones Oratoriae, Juris civilis, & aliarum Artium. *Instituta* sunt boni Mores, qui per quandam consuetudinem (addamus *ratione, atque consiliô institutam*) observantur. (gg) Livius Lib. 35. *Suam disciplinam, suaque* Instituta *sequi jubet*. Idem Lib. 44. *Me more, atque* instituto *Majorum fecisse*.

(gg) Vid. *Goclenii* Observationes L. L. p. 234. sequ. *Rhodiginus* Lib. 19 L. A. Cap. 19. col. 998. G. ea quoque voluit INSTITUTA dici, quae sunt *Principum Institutiones*, quae ad optimum illum Legis scopum certa ratione nos non dirigant, quae quasi Legis nomine indigna sint, & sacro illo Legis nomine privata potius, quàm *Decreta*, & *Edicta*

nun-

nuncupentur. Pro INSTITVTO *Ciceronem* quoque *Institutionem* dicere, ex *Gifanii* Phrasibus *L.L.* eleg.p.119.est discendum.

Instructum est, quod Paterfamilias ornatûs, vel usus sui causâ habet; (hh) *Instrumentum* verò, quod ad exercendam, colendamve rem adhibetur. *Itaque praediis instructis legatis Supellex, Bibliotheca, Tabulae, & Mancipia, caeteraque, quae ibi fuerunt usûs, aut delectationis gratiâ,* Instructô *continentur. At cum* Instrumento *legatis ea insunt, quae fructus quaerendi, cogendi, conservandi causa parata sunt,* ut auctor est *Ulpianus* L.12.D. *de Fund.Instr.*

(hh) *Instructum* ab *Instrumento* sic differre *Schardius* loc.cit.p.458. col. b. opinatur, ut *Totum* à *Parte*. Nam INSTRVCTI nomine non modò, quae fundo necessaria sunt, continentur; verùm etiam quae praeterea Testator habuit, quibus suum fundum instruxit. INSTRVMENTI verò ea duntaxat, sine quibus fundus dici instructus non potest.

Inter coenam est (in *coena*, seu) inter *coenatum* missus, aut Fercula, quae Antiqui terna, aut ad summum sex septem in *coena* praebebant; (ii) *Super coenam* est inter *coenandum*. Seneca Lib. 3. de Beneficiis: *Narrat, quae inter* coenam *ebrius dixisset*. Svetonius in Augusto 71. *Si vellent inter* coenam *vel talis, vel par impar ludere.* Idem in Tiberio 56. *Cùm soleret ex lectione quotidiana quaestionem super* coenam *proponere.*

[ii] De *Ferculorum* in *Coenis* appositorum, apud Veteres *Romanos* imprimis, *numero* leg. *Stukii* Lib.3. *Antiquitatum Convivial.* Cap.1. fol.290.fac.2.

Interdicere Foro plus est, quàm *Iterdicere* (kk) *Advocationi*. Nam, *Advocatione interdictâ*, reliqua *Fori* negotia non sunt interdicta; *Forô interdictô*, Advocationes quoque interdicuntur. *Fori* enim *pars est Advocatio*, ut tradunt Jurisconsulti L.9. D. de Poenis. Plinius Lib. 5. Epistolar. *Is* Interdicendum *ei* Advocationi *in quinquennium censuit*.

(kk) INTERDICERE *propriè* idem est, ac *prohibere*, &, ne aliquid fiat, *vetare*. Deinde denotat ex *Interdicto petere*, & ad ipsos *Litigatores* pertinet. Sic ex *Goclenii* sententia INTERDICIMVS *vetando*; DENVNCIAMVS autem *jubendo*. Et differunt haec duo verba, ut *Nolo*, & *Volo*.

Interficere, & *Perimere* prisca sunt. *Occidere* ob cae-

dem

dem dictum est: *Jugulare* ob jugulum: *Necare* (*ll*) à nece: *Interficere* à factô: *Perimere* ab emtione, quasi jure tollere. *Corn. Fronto.*

(*ll*) Antiqui dixere quoque INTERNECARE, pro *Interficere*, quod Verbum *totam* ferme *multitudinem* complectitur. Unde *internecio*, quòd *vitae privationem*, seu potius *interitum universum* designat.

Interire est ex quacunque causâ occidere, & emori; (*mm*) *Perire* casu, vel infortuniô, ut *igni, fame, naufragiô*. Itaque INTERIRE *generalius* est, & majorem vim habet, quàm PERIRE, quod aliquando significat *evanescere, & extenuari, & spe decidere*. (*nn*) Plautus in Captivis: (*oo*)

Vel te interiisse, *vel* periisse *praedicent*.

Terentius in Hecyr. Act. 3. Scen. 1. v. 39. 42. Perii, interii: *cur mihi non dixti?* Sed non semper observatur haec Differentia, ut Curtius Lib. 8. CALLISTHENES *quoque tortus* interiit. Petronius in Satyricô: *Neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti* perire.

(*mm*) *Propriè* est qs. *inter* alia ire, h. e. intercidere, amitti, & (*consequenter*) mori.

(*nn*) Hoc *levius* est quàm *interire*, & neutiquam *omnium rerum finem* denotat. Conf. *Perotti* Cornucop. Epigr. 151. col. 862. lin. 42. ubi *Perire* dictum est, quasi *in totum ire*, quòd, qui *perit*, prorsus abit.

(*oo*) Act. 3. Scen. 5. v. 35. ubi utraque *Taubmanni* Editio *pro interiisse & periisse* per *contractionem* legit *interisse*, & *perisse*.

Interrogare est noscendi causâ quaerere; *Percontari* (*pp*) vero arguendi, ut tradit Quintilianus Lib. 9. his verbis: *Quid enim tam commune, quàm* interrogare, *vel* percontari? *Nam utroque utimur* indifferenter, *cùm alterum* noscendi, *alterum* arguendi *gratiâ videatur adhiberi*. Ego contra observavi, *Percontari*, ut plurimum esse *noscendi* gratiâ quaerere; *Interrogari* autem *refellendi, arguendive*: sicut, *Interrogari* legibus dicebatur reus, cùm primùm ab accusatore actio intendebatur. Cicero Lib. 6. de Republ. *Ego illum de suo regno, ille me de nostra Republica* percontatus *est*. Idem Lib. 3. de Naturâ Deorum: *Sin me* interrogare *non tam* intelligendi *causa, quàm* refellendi. Sallust. in Catilinâ: *Legibus* ambi-

ambitûs interrogati *poenas dederant.*

(pp) Rectissimè h.l.scriptum est *Percontari* (*à Conto* , qui est pertica nautica , qua altitudinem aquae pertentant) & non *Percunctari* qu. *per cuncta* quaerere.

Intrò significat ad Locum, ut eò intrò: *Intus* in Loco, *(qq)* ut sum intus. Quam Differentiam *Lucilius* quoque refert his verbis apud Charisium :

Nam veluti Intrò *aliud longè esse* , *atque* Intus, *videmus*:
Sic & Apud te *longè aliud est,neque idem valet* Ad te.
INTRO *nos vocat* Ad sese , *tenet* INTUS Apud se.

Plautus in Aulularià: *(rr)*

Redi nunc jam intrò, *atque* intus *serva.*

Idem in Captivis: *(ʃʃ)*

Ibo intrò, *atque* intus *subducam ratiunculam.*

(*) Reperitur interdùm *Intrò*,pro Intus,cum quiete in loco:Cato de Re Rust.cap.157. *Omnia sana faciet, quae intrò dolitabunt.* Pallad.lib. 1. *Et si pilam miseris*, intrò *stare non possit*. Ita & *Intus* pro *Intro*.Cels. lib.5.cap.de Fistulis : *Inspirandum , ut ea medicamenta* intus *compellantur*.Idem: Intus *infundendum quicquid adaptum est.*

(qq) Ideoque *Intus* est Nota Situs in occluso , & denotat quoque *Motum* ex occluso.

(rr) Act.1.Scen.2.v.3.

(ʃʃ) Act.1.Scen.2.v.89.

[*] *Intueri* est Oculorum; *Contemplari*, & *Speculari* Animi; *Aspicere* Animi, & Oculorum *simul.*

Invenire (tt) est Consilii, inquit Valla ; *Reperire* verò Fortunae . Sed alii contrà putant , *(uu) Invenire* vel casûs , vel consilii esse ; *Reperire* laboris , & studii , quod Verbi etymô nituntur probare. Deducitur enim ex Re, & Pario; id est , laboriosè acquiro . Sed haec Differentia non observatur , & optimus quisque *Latinitatis* auctor his verbis promiscuè utitur . Varro Lib. 3. de Re Rust. *Et hunc, dum serpit, non solùm in area* reperit, *sed etiam, si rivus non prohibet, in parietes stantes* invenit . Cicero Lib.2.de Oratore: *Nequaquam satis esse* reperire *quid dicas, nisi id* inventum *tractare possis*. Idem Lib.3. Tusculanar.Quaest. *Nam ut Medici, causa morbi* inventâ, *curationem esse* inventam *putant* ; *sic nos , causa aegritudinis*

nis repertâ, *medendi facilitatem* reperiemus. Plaut. in Aululariâ:(xx)

Ibo hinc intrò, perscrutabor fanum, si inveniam *uspiam*
Aurum, dum hic est occupatus. Sed si repperero, *ô Fides!*

Idem in Captivis:(yy)

Tu enim repertus, PHILOCRATEM *qui superes veriverbio!*
Pol ego, ut rem video, tu inventus, &c - -

Ovidius Lib. 1. Metamorphos. v. 654.

- - - - *Tu non* inventa, reperta *es*. (*)

hoc est, *Tu quae* inveniri *non potuisti, quòd in Juvencam mutata esses, & formam Puellae amisisses*, reperta *es in Bucula*.

(tt) propriè significat *in rem amissam venire*, 2. *in rem novam venire*, & 3. *Inventionibus* Officii *praeire*.

(uu) Vid. *Goclenius* loc. cit. p. 235. ubi inter alia extat, quod *inveniamus* Quaesita; *reperiamus* autem non Quaesita. Intereà super res, quae citò *reperire* cupimus, *Repertorium*, COMENIO monente, conficiamus, ita tamen, ut *Reperta* ab *Irrepertis* distinguamus.

(*) Nugantur Grãmatici, qui contendunt inter *Reperire*, & *Invenire* differentiam esse. Quicquid obnituntur libri Veteres, meo periculo scribe, inquit Heinsius in notis ad hunc versum: *Tu non inventa reperta luctus eras levior*. Idque postea Paraeum in Lexico critico jam vidisse deprehendis. Tu, cùm nondum inventa esses, luctus eras levior, quàm nunc es inventa.

Neque hic locum habet Elegantia Laurentii Vallae Lib. 3. cap. 1. Neque illa duorum ludi-magistrorum lis apud Alex. ab. Alex. Lib. 1. cap. 21. super differentia Verborum *Invenio*, & *Reperio*. Conf. reliqua, quae Cnippingius ad eundem versum notat ex Farnabio.

(xx Act. 4. Sc. 2. v. 13. seq.

(yy) Act. 3. Sc. 4. v. 36. seq.

Invidia, quae *propriè* dicitur, plus est, quàm *Odium*. (zz) Nam *Invidia* est detestantis, & abominantis alterius turpitudinem cum Infamiâ conjunctam; *Odium* verô est adversantis malum, quod videtur, & alicujus vel factô, vel dictô laesi, vel se laesum opinantis. ILLI *gratia*; HUIC *amor* opponitur. Et in *Invidia* homo, aut res est apud multos; *Odio* & multis, & uni esse possumus. Sallust. in Jugurthâ: *Quòd in* Invidiâ *res erat*. Idem ibidem,

dem: *Uti ex maximâ* Invidiâ *in gratiam*, *&* *favorem nobilitatis* Jugurtha *veniret*.

(zz) *Invidia* autem, atque *Invidentia* inter se sic differunt, ut *Ebrietas*, atque *Ebriositas*. Quippe *Invidia* est, cùm invidetur, hoc est, actus ipse invidendi. *Invidentia* verò est aegritudo animi, quae propter res secundas alterius suscipitur, quaeque nullam jacturam invidenti afferat. Nam si quis doleret ejus rebus, à quo ipse laederetur, non rectè diceretur *Invidia*. Haec *Perottus* in *Cornucopiae* Egigr. 2. col. 99.

Invidus, qui (a) invidet; *Invidiosus*, qui Invidiam sustinet. (b) *Clarus*.

(a) (addamus, *actu alicui*)
(b) seu qui morbo *Invidentiae* laborat.
(*) *Invium* est sine via; *Avium* extra viam; *Devium* est Desertum.

Involat, qui in die venit; *Surripit*, clam, i.e. furtivè. *Serv.*

Jocus est in Verbis; *Ludus*, sive *Lusus*, in Factis: (c) Quae duo juncta *Proverbialiter* fere dicuntur de re levi, & nullius pretii, quae ludibrio haberi possit. Lucilius Lib. 3. Satyr. (d)

Susque, *&* *deque fuêre*, *inquam*, *omnia*, Ludus Jocusque.

Terentius in Evnuchô; (e)

- - - - - - Ludum, Jocumque
Dices fuisse illum alterum. - - - -

Cicero pro Flâccô: *Quibus jus jurandum* Jocus *est*, *testimonium* Ludus. Seneca ad Lucilium: *Non minus inter Seria*, *quàm inter* Lusûs, *&* Jocos. Idem: *Homo jam per* Lusum, *&* Jocum *occiditur*. Confunditur tamen aliquando haec Differentia, & LUDUS in *Verbô*, JOCUS in *Factô* est. *Valla* pluribus exemplis ostendit.

(c) HIC est Exercitium delectabile; ILLE est Verbum, aut Factum ludicrum, seu est condimentum sermonis tempestivè adhibiti. JOCI formam repraesentare *Laurentii Ramiresii* Notas ad MARTIALEM *Casp. Barthius* in Animadv. ad *Papin. Statii* Lib. 1. *Silv.* 6. v. 6. p. 146. tradit. Et scribit *Janus Dousa* in *Centurionatu* suo, s. Lib. 1. *Explanation. Plautinar.* Cap. 8. p. 57. JOCOS quoque pro *Naeniis* sumi.
(d) apud Gell. lib. 16. cap. 9.
[e] Act. 2. Scen. 3. v. 8. seq.

Iracundus est, qui naturâ in iram pronus est; *Iratus* est

est, qui *offensus* excanduit: (*f*) sicut *Iracundia* naturae ad iram proclivitatem ostendit; *Ira* est subita excandescentia. (*g*) Seneca de Irâ: Ira, *quô distet ab* Iracundiâ, *apparet*, *quô* Ebrius *ab* Ebriosô, *&* Timidô. IRATUS *potest non esse* Iracundus, IRACUNDUS *potest aliquando* iratus *non esse*. Svetonius in Claudiô Cap. 38. Irae, *atque* Iracundiae *conscius sibi*. Interdum tamen *Iracundia* pro *Irâ* usurpatur. Terent. in Adelphis: (*h*)

Vix sum compos animi, ita ardeo iracundiâ.

Cicero ad Atticum; *Haec sine* iracundia, *sine dolore*, *sine metu*; *permotus graviùs scripsi*. Idem ibidem: *Eum planè* iracundè *elatum*.

[*f*] s. Iracundus ex natura; Iratus ex offensa.

[*g*] *Haec* casu nascitur; *Illa* est animi vitium; *Odium* verò inveterata *Ira* est. Sic *Ira* non est vitium, si quis malis rebus *irascitur*; sed cum *Iracundus* nimis facilè, & furenter *excandescit*. Tu fac nihil *iratus*, sine *Iracundiam* defervere. *Comenius*.

[*h*] Act. 3. Scen. 2. v. 12.

(*) *Irasci* levius; *Succensere* gravius; *Indignari* graviter ferre.

Irritum Testamentum est, cùm sine vitiô quidem est, sed destituitur vel ab *Haerede*, vel à *Testatore*, quando capite minuitur; (*i*) *Ruptum est*, si vitium superveniens in ipsum Testamentum incurrat; *Nullum*, & *Injustum* est, quando vitium tempore *Testamenti* factionis extat. *tt. J. & D. quib. mod. test. infirm. & de rupto, & irr.*

(*i*) Leg. *Scbardii* Lexicon Juridicum p. 478. col. 6. Aliàs IRRITUM propriè dicitur, quod est *improbatum*, seu quod *effectu firmum non* est. Pro *futili* quoq; & *vano* poni *Gifanius* loc. cit. p. 121. seqq. est auctor.

Iter est via latior, & publica, quae Populo patet; (*k*) *Semita* (*l*) est angustior, & privatus trames; *Via* continet utrumque. Aelius Gallus de *Verborum*, quae ad *Jus* pertinent, Significatione: Via *est*, *sive* semita, *sive* iter *est*. Plautus in Trinummô: (*m*)

Decedam ego illi de viâ, *de* semitâ.

Et Livius *Simul in sylvam ventum est, ubi plures diversae* Semitae *erant*, *& mox appropinquabat*, *cùm perpaucis maximè fidis* Via *divertit*.

(*k*) sive Itio in via, & ipsa via.

(*l*) qs. *Semi Iter*, Varro lib. 4. de L. L. seu *dimidia Via*, loquente *Comenio*.

Act. 2.

(*m*) Act.2.Scen 4.v.80.

[*] *Jucundum* est dulce; *Gratum* est acceptum. Omne *Jucundum* est gratum; sed non omne *Gratum* est jucundum. *Grata* est Aegroto Medicina; verùm *insuavis*, & *injucunda*. Sitienti potus & *gratus*, & *jucundus* est.

Judicium significat Jurisdictionem; (*n*) *Jus* continet Leges, & Decreta, quibus constituendô, exercendôque Judiciô utimur. Itaque hoc prius est. (*oo*) Sallust. Lib.1. Historiar. *Utique* Jura, *&* Judicia *sibimet extorquerent*. Livius *Totam* Acarnaniam *sub* Jus, Judicium*que* *Regis venisse*. Idem Livius: *Sub* Jus, Judicium*que suum totam coegit gentem*. Praeterea JUDICIUM ad privatarum Litium *Judices*, ut *Recuperatores*, aut *Arbitros*; IUS ad *Praetores* pertinet. Unde dicimus in *Judiciô*, cùm de *Judice* loquimur; In *Jure* verô, cùm de *Praetore*: sicut illud Edictum, *Ne quis eum, qui in* Ius *vocabitur, vi eximat*, pertinet ad Magistratum Populi Romani; alterum, *De eo, per quem factum erit, quò minus quis in* Iudicio *sistat*, ad Iudicem pedaneum, ut interpretatur Ulpianus l.4.§.1.D.de Interrog.act.Plaut. in Menaechmis.Act.4.Sc.2.v.18.seq.

Aut ad Populum, *aut in* Iure, *aut ad* Judicem *res est*. Cicero Lib.1. Officior. *Leges*, Jura, Judicia, *Suffragia*, & Lib. 2. *Juris, &* Judiciorum *aequitate suum quisque teneat*. Idem pro Quintiô: *In Provincia* Jus *dicebatur, & Romae* Judicia *dabantur*.

(*n*) *Judicium* dici putat *M.Varro*, quasi *jus dicendi*, hoc est, *potestatem audiendae causae, & sententiam justam proferendi*, quam denique & exequi potest, & quod suum est, cuique addicere.

(*o*) Unde autem *Jus* derivatur, tradit *Scipio Gentilis* Lib.singul. *Originum* p.204.& 206. *Helfrico Ulrico Hunnio* Disp.1. *Collegii Institution* §.9.p.2.seq.dicitur, quòd sit divinarum, & humanarum rerum notitia, Justique, & Injusti scientia. *Ejus* Nomen *variè* accipi, probat *Arnoldus Corvinus à Belderen*. Part.1.Lib.1. *Digestor*. per §§. *strictim explicatorum* Tit.1.p.4.

Jurgium est inter *Benevolos*, aut *Propinquos* levis dissensio, vel contentio; *Lis*, *inimicorum* concertatio vehementior. (*p*) Itaque *Lis* nulla nobis esse potest cum eō, quem in potestate habemus, auctore Cajô Iurisconsultô L.5. D. de Iudic. Cicero Lib.4. de Republicâ: *Si* IUR-

GANT,

GANT, Benevolorum *concertatio* non lis, sed jurgium; Inimicorum, *lis dicitur*. Idem Lib. 2. de Legibus: *Feriarum, festorumque dierum ratio in Liberis requiem habet* Litium, *&* Jurgiorum. Livius Lib. 5. Iurgiis, *ac* Litibus *temperatum*. Idem Livius: *Itaque cùm hodie* Litibus, *&* Jurgiis *supersederi aequum sit*. Ovidius (*) Lib. 1. *Fastor.* v. 73. seq.

Lite *vacent aures; insanaque protinus absint*
Jurgia. *differ opus, livida lingua, tuum.*

(p) Caeterum *Lis* plerumque res est, de qua est *Controversia*, quae addicitur *alteri*; praesente tamen *Adversario*. Nam, eo *absente*, non temerè statim adhuc adjudicare *praesenti* rem solemus, sed comperendinamus. Conf. *Turnebus* Lib. 13. *Advers.* Cap. 27. col. 451. lin. 11. seqq.

Jus generale est, *Lex Juris* Species, *Jus* ad non scriptum etiam pertinet; (q) *Leges* ad Jus scriptum. *Serv.*

(q) De *Divisionibus*, atque *Distinctionibus* JVRIS *ab Interpretibus confictis* vid. *Anthonii Matthaei* Disp. 13. *Jur. Civ.* p. 102. seqq.

Jussum plus est, quam *Mandatum*; (r) ut *Jubere* plus est quàm *Mandare*, de quibus supra diximus. Nam *Jussum* necessitatem injungit; *Mandatum* licet repudiare, & non suscipere. Unde si Filiusfamiliâs egit *Mandatô* Patris, non restituitur in integrum, quoniam licuit illi non agere. Si verò *Jussu* Patris egit, datur restitutio, quia opportuit illum Patre Jubente, agere, ut *Iurisconsulti* scribunt. L. 3. §. 4. & L. 24. D. de Minor.

(r) *Mandatum* propriè est *Edictum*; deindè denotat *Literas fidei publicas*.

Iuventa significat lanuginem, erumpentemque barbam, atque ipsum tempus primae Adolescentiae; *Iuventus* Dea Iuventutis est, quae Graecè dicitur ἥβη; *Iuventus*, & juvenilem aetatem, & Juvenum multitudinem denotat. (s) Sallust. in Catilina: *Ibique* Juventutem suam *exercuit*. Idem ibidem: Juventutem, *quae domum* Catilinae *frequentabat*, *parùm honestè pudicitiam habuisse*. Licèt aliquando, & *Juventus*, & *Juventa* pro *Deâ* usurpetur. Ovidius Lib. 1. Ex Ponto. (t)

Nectar, & Ambrosiam, latices epulasque Deorum
Det mihi formosâ gnava Iuventa *manu.*

Li-

Livius Lib. 36. Cap. 36. Juventutis *aedem in circô maximô Cajus Licinius Lucullus Duumvir dedicavit.*

(*s*) Leg. *Perotti* Cornucopiae *Epigr.* 16. col. 719. lin. 58. seqq.
[*t*] Eleg. 10. v. 11. seq.

L.

L*Abo*, & *Labor* hôc differunt, quòd *Labare* est ruere, & repentè cadere, ut apud Virgilium: (*u*)

- - - - Labat *ariete crebrò*

Janua. - - - - - - -

Labi verò est leniter, sensimque deorsum ire; ut, *Labuntur Flumina*; *Labitur Coelum.* (x) Ennius: *Labant, labantur saxa.*

(*u*) Lib. 2. *Aeneid.* v. 492. seq.
(*x*) Dicimus etiam *Labi* eos, qui in lubrico figentes vestigia in terram ruunt. Immò & *Labasci*, pro LABI, legi *Laurenbergius* in *Antiquario* auctor est.

Labra, & *Labia* Verrius Flaccus eô separat, quòd *Labra* (*y*) sunt modica; *Labia* immodica, & praeter justum crassa, à quibus *Labeonum* cognomen inditum *Antistiae* Genti. *Labra* esse Virorum; *Labia* Mulierum vult *Servius*. Donatus verò ad illud Terentii in Eunuchô. Act. 2. Sc. 3. v. 44. *Labiis demissis*: *Labra* sunt superiora, *inquit*, *Labia* inferiora. Quae differentia non observatur.

(*y*) *Labrum* propriè est margo, & extrema ora Fluminis, Lacus, Fontis, & aliorum hujusmodi, quae levi aquae motu perluuntur. Hinc *Labra* & *oris*, & *aliarum rerum extremitates* vocamus, quae in homine etiam *Labia* dicuntur, & Foeminino genere *Labiae*. Haec *Perottus* l. cit. *Epigr.* 18. col. 729. lin. 25. seq.
[+] *Lacrymari* est flere lacrymis; *Gemere* fit pectore; *Plorare* voce flebili; *Plangere* membrorum percussu; *Vociferari* immani voce; *Lamentari* dolorem testari.

Lacteus, qui lacte alitur; *Lactans*, qui decipit; (*z*) item qui lacte abundat, ut lactantes Ficus; item, qui lac praebet. *Lacteo*, lac sugo; sed lac, dum praebeo, *lacto*.

(*z*) *Pacuvius* in *Iliona* p. 246. Edition. *Stephan.*
Ne porro te error, qui nunc lactat, maceret.

Lacus est, qui perpetuam habet aquam, licèt interdum crescat, aut descrescat; *Palus* est Lacus major; *Sta-*

gnum est, quod continet aquam temporalem ibidem stagnantem, quae quidem aqua plerumque *hyeme* colligitur ex imbribus, *aestate* exarescit, *(aa)* auctore Ulpianô l. 1. D. Ut in flumine publ. navigare liceat. Livius Lib. 44. *Cingunt* paludes *inexsuperabilis altitudinis, aestate & hyeme quas restagnantes faciunt* Lacus. Quanquam aliquando *Lacus* dicitur, qui habet aquam ex flumine, aut compluviô, ad aquandum, vel lavandum, exceptam. Terent. in Adelphis. Act. 4. Sc. 2. v. 44. seq. *Apud ipsum* Lacum *est pistrilla.* Varro Lib. 1. de Re Rust. *Cisternae faciendae sub tectis, &* Lacus *sub Dio.* Horat. Lib. 1, *Sermon.* (*) Sat. 4. v. 37.

Gestiet à furnô redeuntes scire, lacu*que.*

(aa) Alii dicunt *Lacum*, Stagnum majus esse, aquas habens defluas; *Paludem* autem terra uliginosa scatentem, atque ita stantem. Sed *Stagnum* aquam stagnantem, sive *à propria scaturigine*, sive *à stagnante*, quod *Restagnationem* vocamus.

Lanii, qui laniant Pecora; *Lanistae*, qui laniandis praesunt Gladiatoribus. *(bb) Donatus.*

(bb) Seu sunt *Gladiatorum* Doctores, qui usum *armorum* docerent auctoratos. Vid. *Reinesii* Lib. 3. *Var. Lect.* cap. 16. p. 612. Sed *avium* LANISTE *à Columella* dicuntur, qui, testante *Laurenbergio* in *Antiquario* p. 248. col. b. *Aves* ad pugnam condocefaciunt. LANISTARUM quoque memor est *Martialis* Lib. 6. Epigr. 82. ad *Rufum*, v. 2. & Lib. 11. Epigr 57. *in Vacerram*, v. 3.

Lapillos, Gemmas, & *Margaritas (cc)* distinguit Ulpianus l. 20. ad Sab. l. 20. §. Perveniamus, D. de aur. arg. l. quòd GEMMAE sint perlucidae naturae, velut *Smaragdi, Chrysolithi, & Amethysti*; LAPILLI autem contrariae materiae, veluti *Obsiani, Venientani*; MARGARITAE sunt partus *Concharum* apud rubrum Mare crescentium, & coalescentium.

(cc) Dicitur, & MARGARITUM in *Neutro*, sicuti testatur *Varro* in *Hecatombe* apud *Nonium* his verbis: *Ubi illa Phalera, gemmeaque Ephippia, & Arma* margarito *candicantia?*

Lares, & *Penates* hôc differunt, quòd LARES erant communes *omnium* aedium; *(dd)* PENATES autem singularium aedium proprii, & ILLIS res divina fiebat ad *focum*; HIS in *atriô*, aut *interiore parte aedium.* Plautus in Mercat. Act. 5. Sc. 1. v. 7.

Ego

Ego mihi alios Deos Penates *persequar*, *alium* Larem.

(dd) HOS *Vicorum*, atque *Itinerum* quoque DEOS esse, *Arnobius Afer* indicat, quando Lib. 3. advers. *Gent.* p. 124. hunc in modum scribit: *Possumus, si videtur*, inquiens, *summatim aliquid & de* Laribus *dicere, quos Arbitratur vulgus* Vicorum, *atque* Itenerum DEOS *esse, ex eo, quòd* Graeci VICOS *cognominant* Lauras. Quaenam autem Differentia sit inter LARES, LEMVRES, seu LARVAS, atque MANES, tradit *Augustinus* Lib 9. de *Civit. DEI* Cap. 11. & ex eo *Blondus Flavius* Lib. 1. de *Roma Triumf.* Litt. a. 3. fac. a. uterque haec verba proferens: PLATONICOS *affirmare*, *animas hominum* Daemones *esse*, *& ex hominibus fieri putare* Lares, *si meriti boni sunt*; Lemures, *seu* Larvae *si mali*; Manes *autem incertum, utrum boni, vel mali*: Plura leg. apud *Claudium Salmasium* in *Not.* & *Animadvers.* ad *Epictet.* & *Simplic.* p. 323. & 328. ut & *Christoph. Ad Rupertum* in Dissert. 2. ad *Val. Maxim.* Lib. 2. Cap. 4. §. 3. p. 143.

Largè significat profusè, & liberaliter; *Largiter* multum. vel, ut Iulius Modestus ait; LARGE est *Qualitatis*; LARGITER *Quantitatis*. Quae Differentia meô judiciô nimis jejuna, atque coacta est, & non magis haec Adverbia differunt, quàm DURE, *Duriter*; HUMANE, *humaniter*; LONGE, *longiter*. Sed Vetustiores promiscue dixerunt *Largè*, & *Largiter*, ut Catullus: (ee)

Largè *multiplici constructae sunt dape mensae*.

Apulejus Lib. 4. de aureô Asinô: *Mensas dapibus* largiter *instructas accumbunt*. Diomedes Lib. 1. *Quaedam sunt nomina in* US *Syllabam terminata, quae ex se bina Adverbia faciunt, ut est Veterum auctoritas. Transit enim in quibusdam rationem, & aliter ipsa enunciat, aliter consuetudo usurpat.* Nam Navus naviter *dicunt, quod nos* navè; Largus largiter, *quod nos* largè.

(ee) Carm. 60. quod *de Nuptiis Pelei*, *& Thetidos* inscribitur, v. 304.

[*] *Largitio* est liberalitas, vel expensa, quae fit ad *aucupandum favorem* in petitione *Magistratuum*, quemadmodum *Doletus* scribit loc. cit. fol. 85. fac. b. col. a. *Largitas* autem est dandi promtitudo. HAEC; ex mente *Agraetii* dicitur esse *Humanitatis*; ILLA verò *Ambitionis*.

Laserpitium (ff) florem; at caulem *Laser* ajunt. *Clarus*.

[ff] De *Laserpitio*, quod *Graeci* dicunt Σίλφιον, conf. *Perotti* Cornucopiae Epigr. 27. col. 797. lin. 18. seqq. & in specie *Leonbardi Fuchsii* cap. 291. de *Stirpium atque Plantar. Histor.* p. 721. ubi *Auctor*, & pp. seqq. hujus HARBAE *Nomen*, *Formam*, *Locum*, & *Tempus*, *ubi*, & *quando* nascitur, immò & *Temperamentum*, ejusque *Vires* ex *Dioscoride*, *Galeno*, & *Plinio* describit, additque loco appendicis, *Laserpitium* in horto *Divi Germani Pratensis Parisiensis* multum esse.

Lassus curâ ex praeteritâ spe; (gg) *Confectus* sic vulneratus, aut percussus, ut sanari non possit, quod convenit Gladiatoribus. Cicero in Catilin. *Gladiatori illi* confecto, *&* *saucio*. Donat.

(gg) *Lassum* quoque à *labore* dictum plerique existimant. Significat enim LASSUS non solum *corpore*, sed *animo* quoque *fatigatum*, hoc est, *labore affectum*. Unde *Lassitudo* pro *defatigatione* accipitur, eaque *molestia*, quam, loquente *Perotto*, loc. cit. Epigr. 1. col. 7. lin. 55. ex *labore* suscepimus.

Latebra est locus, ubi *Homines* se occultant; (hh) *Latibulum*, ubi *Ferae*. Cic. Lib. 1. Officior. *Omniaq; quae sunt ad vivendum necessaria, acquirat, & paret, ut Pastum, ut* Latibula, *& alia generis ejusdem.* Liv. Lib. 38. *Nec ubi notis sibi* Latebris *delitescerent Latrones*. Interdum tamen LATEBRA est *Ferarum*. Idem ibidem: *Inter vepres in* Latebris Ferarum *noctem unam delituit*. Varro Lib. 3. de Re Rust. Cap. 12. *Ibique esse* Latebras, *ubi* Lepores *interdiu delitescunt in virgultis*, atque *herbis*.

(hh) *Scrutari Latebras* inquit *P. Papinius Statius* Lib. 1. *Thebaid.* v. 615. Sic qui *latere* cupit, quaerit *Latibulum* in aliquo *latebroso* loco, ubi *latanter* degat. Peccator autem, ubi quaeret *Latebram*, in *qua oblitescat*, ac *delitea*t? Comenius.

Laudare (ii) plus est, quàm *Probare*, & *Praedicare*. (kk) Nam *Laudamus* id, quod excellit; *Probamus* bonum factum; *Praedicamus* id, quod profitemur, & testatum facimus. *Primum* semper est cum *Laude*; alia *duo* etiam sine *laude* esse possunt. Cicero Rufo: *Non solum* probant, *sed etiam* laudant. Idem Mario: *Istam rationem otii tui &* laudo *vehementer*, *&* probo. Terent. in Euuuchô: Act. 3. Sc. 5. v. 17. *Quid ego ejus tibi nunc faciem* praedicem, *aut* laudem? ubi Donatus: *Praedicamus* argumentis.

(ii) *Laudare* non semper *Originis suae* significationem retinet, sed etiam *ἁπλῶς* usurpatur pro *nominare*, aut *citare*, ut monet *Gellius* Lib. 2. *N. A.* Cap. 6. p. 64.

[kk] *Praedicare* est solenniter aliquid narrare, & laudare. Sic *Praedicator* indicat pretium rei, quam impensè *praedicat*.

Laudat coràm, qui non tacet apud alios; & hoc agit praesens ipse, non per Epistolam. *Laudat* in *Os*, qui

apud

apud ipsum loquitur, qui collaudat. *Donatus.*

Laus Facti instrumentum est; *(ll)* *Laudatio* verò est rerum gestarum relatio. *Corn. Fronto.*

(ll) s. Rei bene aestimatae praedicatio. LAVS *autem tunc est stabilis, & firma, quando meritum laudati non poterit jam perire*, scribente *Salviano Massil.* Lib. 4. contra *Avaritiam* p. 146. Edition. secundae *Rittershusianae*. Vnde autem LAVS derivatur, Vid. *Vossii* Etymolog. *L.L.* p. 282. col. b. Ἔπαινος & Ἐγκώμιον quomodo inter se differant, leg. ap. *Scaligerum* Lib. 3. *Poët.* cap. 109. p. 370.

Legere, & *Eligere* non sub eâdem significatione intelligi vult Varro Lib. 1. de Re Rust. *Uva non solum* legitur *ad bibendum*, *sed etiam* eligitur *ad edendum*. *(mm)* Ut *Legitur* sit colligitur, ut plerumque; *Eligitur* verò melior quaeque de plurimis. *Nonius.*

(mm) Conf. *Gifanii* Observationes *L.L.* p. 343.

Legumen dicitur, quod manu legatur, nec sectionem requirat; *(nn)* *Frumenta* sunt omnia, quae ex se aristas mittunt. *Serv.*

(nn) Vid. *Varro* Lib. 1. de R.R. Cap. 23. p. 37. Editionis *Stephanianae*. Editio autem *Commeliniana* facit p. 76. Alii *Legumina* LEGARIA etiam appellare, idem *Varro* loc. cit. Cap. 32. nequaquam vanus auctor est.

Lenitas ad permittendum; *(oo)* *Facilitas* *(pp)* ad ignoscendum adhibetur. *Donatus.*

(oo) Est enim *Lenitas* quasi quaedam mollities, sive lenitudo, aut quaedam animi moderatio, conveniens *Personis* non solùm, sed & *Rebus aliis*. Leg. *Doletus* loc. cit. fol. 87. fac. a. col. 1.

(pp) Haec extra *Personam* omninò quoque esse potest, quando nempe dico, *Orationis* atque *Styli facilitas*.

Lepus animal est; *Lepor* Jucunditas Voluptatis, unde gratum aliquid *Lepidum* dicimus; *Lepos* Eloquii. *(qq)* *Agraetius.*

(qq) Vnde, & *Suaviloquentia* dicitur, seu suave *Dictum*, qv. ex λεῖον ἔπος. Vt autem sermo *Leporem* habens est *lepidus*, sic Mores *Barbarorum* prorsus sunt *illepidi*.

Lex est *generale* Jussum, quod in *omnes Homines*, *Res*ve Populus scivit, rogante Magistratu, §. 4. Instit. de Jur. nat. gent. & civil. *Privilegium* *(rr)* est, quod de *singulis Hominibus*, aut *Rebus*, Populus, Plebsve jussit, ut de *Cn. Pompejô* contra *Mithridatem* mittendô, item *Ciceronis* Exiliô, & Reditu; *Rogatio* *(ss)* est cum *Populus*, aut

Plebs rogatur: *Velint*, *jubeantne illud fieri*, sive id ad *universos Cives*, sive ad *singulos* pertineat. Itaque *Rogatio* velut *Genus* alia duo continet, ut Gellius prolixè ostendit. *(tt)* In *Sanctione* Legis Regiae de Imperiô *Vespasiani*: SI QVIS HUJUSCE LEGIS ERGO ADVERSUS LEGES, ROGATIONES, PLEBISVE SCITA, SENATUSVE CONSULTA FECIT.

(rr) quod aliàs Lex data *privato Homini* dicitur.

(ss) Haec vox *vulgari usu* ponitur pro *Rogato*, vel *Rogatu*; eleganter verò *Rogationis* nomine continetur *Lex*, *Plebiscitum*, atque *Privilegium*, uti h.l. Conf. *Doletus* loc. cit. fol. 146. fac. a. col. 2. & *Scbardii* Lexic. Juridic. p. 821. col. 2. & p. seq. col. 1.

(tt) Lib. 10. *Noct. Atticar.* Cap. 20. p. 327. seq.

Liber, & *Volumen* hoc differunt, quòd *Liber* significat quemcunque Codicem, magnum, aut parvum; *Volumen* propriè est plurium paginarum, chartarumve involutio. Quod indicat Etymon. Est enim ab *involvendô*, eò, quòd Veteres Libros in *cylindri* modum circa umbilicum *involvere* solebant. Unde hodieque dicitur *Evolvere* Libros, quasi *involutos* explicare, cum lectitandi gratiâ aperiuntur, Gellius Lib. 4. *Dat mihi* Librum *grandi* Volumine. Cicero ad *Appium de unâ Epistolâ longissima*: *Mihi* Volumen *à te plenum querelae iniquissimae reddiderunt*. Idem Lib. 9. ad Atticum: *Evolvi* Volumen *Epistolarum tuarum*. Sed interdum haec Vocabula nullâ re differunt omninò, & duplicem Significationem habent. Nam LIBER & *certam* OPERIS *Partem* denotat, ut Liber *primus*, Liber *secundus*; & tum OPUS, ut Cicero lib. 13. ad Atticum: DICAEARCHI Librum *accepi*. Et Lib. 15. Librum *tibi celeriter mittam de* Gloriâ; cùm DICAEARCHI Libros tres de *Anima*, & duos *de Gloria* significaret. Ulpianus ad Sabinum 24. l. Librorum. §. sicuti. D. de legat. 3. *Si cui centum* Libri *sint legati*, *centum* Volumina *ei dabimus*; *non centum*, *quae quis ingeniô suô metitus est*, *cui ad* Libri *scripturam sufficerent*: *utputa*, *cum haberet* HOMERUM totum *in unô* Volumine; non quadraginta octo LIBROS *computamus*; *sed* unum HOMERI Volumen

pro

pro Librô *accipiendum est.* Similiter *Volumen*, & pro *integrô* OPERE accipitur, ut in proximô Vlpiani locô; & pro *parte* OPERIS, ut Plinius singulos *Naturalis Historiae* LIBROS *Volumina* appellat. Et ejus Nepos: Libri *tres in sex* Volumina *propter amplitudinem divisi.* *(uu)* Livius Lib. 5. *Supersunt etiam nunc* Samnitium *bella, quae continua per quartum jam* Volumen. Ovidius de *XV.* Libris Metamorphoseos sic ait Lib. 1. Trist. Eleg. 1. v. 117.

Sunt quoque mutatae ter quinque Volumina *formae.*

Varro Lib. 6. de Linguâ Lat. *In illis, qui ante sunt, in primo* Volumine *est.*

(uu) Vid. *Oliverii Arzignanensis* Commentar. Histor. & Litteratus ad *Val. Maxim.* Proleg. Lib. 1. fol. 1. fac. a.

[*] *Liber* interior; *Cortex* exterior.

Libertus, & *Libertinus* Inst. de Libert. pr. eò differebant antiquitùs, quòd *Libertus* dicebatur, qui manumissus erat ex justâ servitute; *(xx) Libertinus* verô erat Liberti filius. *(yy)* Svetonius in Claudiô Cap. 24. *Latum clavum* Libertini *filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite R. adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam* APPIVM COECVM Censorem, *generis sui Productorem* Libertinorum *filios in Senatum allegisse docuit: ignarus, temporibus* Appii, *& deinceps aliquandiu* Libertinos *dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed* Ingenuos *ex his procreatos.* Quae postrema verba parùm animadversa doctissimis Viris occasionem dederunt immeritò reprehendendi *Svetonium.* Deinde non ita diu post *Appii Claudii* aetate alia coepit horum Verborum significatio, & differentia. Nam *Libertus*, & *Libertinus* pariter dictus, qui ex *servitute* manumissus esset; sed *Libertus* habet respectum *Patroni*, à quo est liberatus, ut Libertus CAESARIS, Libertus CICERONIS; *Libertinus* significat conditionem generis, ut *Libertinus* Homo, *Libertina* Mulier. Cicero in Verrem: P. TREBONIVS *facit haeredem* Libertum *suum.* Et mox de eodem: *Equiti Romano* Libertinus

homo fit haeres. Quod ergo Livius scripsit in extremô Librô nonô: APPII CLAVDII *Censura vires nacta, qui Senatum primus*, Libertinorum *filiis lectis*, *inquinaverat*. Rursus Auctor Libelli de Viris Illustribus: APPIVS CLAVDIVS Coecus *in Censura* Libertinos *quoque in Senatum legit*. In eo *ille* sui, & posterioris temporis rationem habuit; *hic* ad priorem aetatem respexit, nisi fortè *Libertinos* vocavit eos, qui *Libertini generis* fuerunt.

(xx) Ideoque *huic* neque nocere, neque etiam prodesse potest id, quod fecit, dum *servus* fuit, quemadmodum tradit *Philippus Decius* in Enarr. in *Tit. ff* de *Reg. Jur. Ulpianus* eum esse *Libertum* definit, quem quis è *Servitute* ad *Civitatem Romanam* perduxit.

(yy) *Libertinorum* Statum olim *tripartitum* fuisse *Schardius* in Lex. Juridico p.534.col.b.ostendit, dicendo, EOS vel *Civeis Romanos*, vel *Latinos*, vel *Dedititios* fuisse.

Libertas L.4. D. de Stat. hom. est naturalis, & licita Potestas agendi, ut velis. (zz) *Licentia* verò est morum, vitaeque dissolutio, vel procacitas linguae. (a) ILLA in *bonam* partem fere sumitur; HAEC in *malam*. Livius Lib. 37. Libertatem *cùm aliis vanam ostendisset*, *totam in suam* Licentiam *verterat*. Idem Lib. 44. *Omnium rerum* Libertatem, *immò* Licentiam, *si vera dicere volumus*, *desiderant*. Tacitus de claris Oratoribus 40. *Est magna ista*, *& notabilis Eloquentia*, *Alumna* Licentiae, *quam stulti* Libertatem *vocabant*. Confunduntur tamen quandoque haec Duo, & *Licentia* accipitur in *bonam* partem; Libertas in *malam*. Sallust. in Jugurthâ: *Componendi Belli* Licentiam *ipsi permittit*. Cicero Lib. 1. Off. *Magnis enim illi*, *& divinis Bonis*, *hanc* Licentiam *adsequebantur*. Aliquando utrumque in *malam* partem. Cicero pro Flacco: Graecia *hoc uno modo concidit*, Libertate *immoderata*, *&* Licentia *Concionum*. & Lib. 3. in Verrem: Nunquam *ipsimet nobis praeciderernus istam* Licentiam, Libertatem*que vivendi*.

(zz) Ideoque *publica*, & non *privata* res est, & opponitur *Servituti*. LIBERTAS etiam DEA est *Libertatis*, cujus Templum in *Aventino* constitutum fuisse *Historiae* tradunt.

(a) *Propriè* autem LICENTIA non solùm est *data* aliquid facien-

di

di facultas, sed & *usurpata* facultas. De *nimia* autem *Licentia* scribit *Des. Erasmus Roterod.*Cent.2.Epist.47.hoc modo:*Ita fit, quoties semel, effractis repagulis sese in* Licentiae *campum effundit hominum temeritas, nullum facit insaniendi finem, donec omnia secum involvat exitio.* Leg.*Goclenii* Observ.L. L.p.236.

Liberum esse, (b) & *in Libertate esse* multùm differre volunt Jurisconsulti. Nam *Liber est*, qui nullius Potestati subjectus est, ut qui *justâ libertate* manumissus; In *Libertate* verò est, qui se *Liberum* putat, & se pro *Libero* gerit, quamvis *Servus* sit: Itemque qui Domini voluntate in *Libertate* est. Vlpianus ad Edictum 55. l. 10. D. de liber. caus. *Quod autem diximus in* Libertate *fuisse, sic est accipiendum, non ut se* Liberum *doceat is, qui* liberale *judicium patitur; sed in possessione* Libertatis *sine dolo malo fuisse.*

[b] Huic est affine *Liberum agere*, quod, testante *Zasio*, nihil aliud est, quàm *nullum habere Dominum, cui subjectum esse oporteat.*

Librarius est, qui Libros, Instrumentaque conscribit, & tàm privatus est, quàm publicus; (c) *Scriba*, qui Rationes publicas refert in Tabulas, & tantùm publicus est; *Scriptor*, qui Libros componit. Cicero Orat. 2. in Rullum: *Ornat eos Apparitoribus*, Scribis, Librariis, *Praeconibus*, *Architectis*. Idem pro Domo: Scribae, *qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur.* Horatius in Arte Poeticâ (*) v.354.seq.

Ut Scriptor *si peccat idem* Librarius *usque,*
Quamvis est monitus, venia caret.

Quanquam interdum priora duo junguntur, & SCRIBA Librarius dicitur, qui *Magistratui* apparet, idem *publicus*, idem *privatus* à manu. Varro Lib. 3. de Re Rust. *Ex quibus rebus* Scriba Librarius *libertus ejus*. Senatus consultum de Aquaeductibus: *Servos publicos ternos Architectos singulos, &* Scribas Librarios, *Accensos*, *Praeconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur.* Vetus Inscriptio: T. CECIENUS FELIX AUGUSTALIS SCRIBA LIBRARIUS AEDILIS CURULIS, VIATOR AEDILIS PLEBIS, ACCENSUS CONSULIS. *Alia*: HERCULI, ET SIL-

LIL-

VANO SANCTO SACRUM L. JUN. LYCO SCRIBA LIBRARIVS AEDILIVM CVRVLIVM D. D.

(c) *Librarius*, etiam non tam *Scriptor* dicitur, quàm *Librorum compositor*. Vnde *Martialis* de Libris suis Lib. 2. *Epigramm.* 8. v. 3. seq.

Non meus est error, nocuit. Librarius *illis,*
Dum properat Versus annumerare tibi.

Apud ROMANOS *Librarii*, non solùm erant, qui *Libros* transcribebant, sed eos quoque vendebant, quorum Tabernas in *Argileto* fuisse constat.

Librarios à *Notariis* quidam putant hoc differre, quòd LIBRARII scribebant *literis*; NOTARII verba dictantis per *Notas*, (*d*) & *Compendia* excipiebant. HI ταχυγράφοι, & ὀξυγράφοι; ILLI καλλιγράφοι *Graecis* dicuntur. Ulpianus de omnibus tribunalibus lib. 8. l. 1. §. 7. D. de var. & extraor. cogn. *Jam. &* Librariis, & Notariis, & *Calculatoribus, sive Tabulariis.* Paul. Responf. 11. l. 4. D. de Milit. Testa. Lucius Titius *miles* Notario *suo Testamentum scribendum* Notis *dictavit, & antequam literis perscriberetur, vitâ defunctus est.* Etsi constat, *Librarios* etiam *Notis* usos in perscribendis Libris. Cicero Lib. 3. de Oratore: *Neque* Librariorum Notis, *sed verborum, & sententiarum modô.* Quam Scribendi rationem, ut incertam, & obscuram, *Justinianus* Imperator sustulit, cùm leg. 2. §. Siquid verò C. de veteri jure enucleandô ita edixit: *Ipse autem* Librarius, *qui ea inscribere ausus fuerit, non solùm criminali poena, (secundum quod dictum est) plectetur, sed etiam* Libri *aestimationem in duplum Domino reddet, si ipse Dominus ignorans talem* Librum *vel comparaverit, vel confici curaverit.*

(d) Ipsum *Ciceronem* de NOTIS *Librum* conscripsisse, ex ejus *Fragmentis passim impressis* est videre.

Ligare est injicere alicui vinculas (*e*) Alligari quis dicitur ad aliquid, sine quô esse non possit. *Donatus.*

(e) seu aliquem vinculis constringere. *Comenius* noster dicit, *hoc Verbum* habere usus varios; neque *Ligamina* esse uniusmodi. Caligas enim *colligamus* ligulis; Femori *subligamus* subligaria; Fronti *praeligamus* frontalia. Lictor *circumligat*, ac *perligat* Maleficos lictoriis loris, *religatisque* post tergum manibus *alligat* palo. Chirurgus ad *obligandos* vulneratos *ligamentis* ad *deligandum* idoneis est *obligatus.*

Li-

Lignum, & *Materiam* Ulpianus subtiliter distinxit ad Sabinum 25.l.Ligni D.de Legat.3.LIGNI *appellatio*, inquit, *nomen generale est*; *sed sic separatur*, *ut sit aliud* Materia, *aliud* Lignum. MATERIA *est*, *quae ad aedificandum*, *fulciendumve necessaria est*; (*f*) LIGNUM, *quicquid comburendi causa paratum est*. Idem 17. l.Arboribus in pr. D. de Usuf. *Nec* Materiâ *eum pro* Lignô *usurum*, *si habeat*, *unde utatur* Lignô. Paulus ad Sabinum 4. l.54. D. de Leg.3. *Pali*, *&* *Perticae in numerô* Materiae *redigendi sunt*, *&* *ideò* Lignorum *appellatione non continentur*. Quibus & Varro consentit de Linguâ Lat. (*g*) *A* legendô LIGNA *quoque*, *quòd ea caducà* legebantur *in agrô*, *quibus in focum uterentur*.

(*f*) *Propriè* autem est *Materia*, seu *Materies*, (qs. *Mater rei* dicta) omne id, ex quo aliquid fit. In *specie* denotat *Lignum*, seu *Lutum*, sive *Lapides*, quibus Aedes solemus extruere.
(*g*) Lib.5. (& non 4.sicuti in diversis Editionibus falsò exstat) p.61. Edition. *Scaligeriano-Stephanianae*. *Perotti* autem Editio constituit col.1081.Conf.*Vossii* Etymologicum L.L.p.289.col.a.
(*) *Limatum* plus est, quàm *Politum*. ILLUD prius; HOC posterius. *Goclenius* loc.cit.p.236.

Lintearii sunt, qui lintearium negotiationem exercēt; (*h*) *Linteones*, qui Lintea conficiunt atque texunt. Ulpianus ad Edictum 28.l.5.§.2.D.de Inst.Act. *Sed & eos institores dicendos placuit*, *quibus Vestiarii*, *vel* Lintearii *dant vestem circumferendam*, *&* *distrahendam*, *quos vulgò* CIRCITORES *appellamus*. Idem Lib.29. l.5.§.8. D.de Trib.Act. *Duas negotiationes exercebat*, *puta sagariam*, *&* lintearium. Vetus Inscriptio: NEGOTIATORES, LINTEARII, ET CASTRASIARII. Plautus in Aululariâ (*) Act.3.Sc.5.v.38.

Propolae, LINTEONES, *Calceolarii*.

Vegetius Lib.1.de Re militari: *Piscatores*, *Aucupes*, *Dulciarios*, Linteones.

(*h*) h.e.Lintea, seu Pannum lineum vendunt.

Liquor cùm *Nomen* est, (*i*) *li* brevis est; cùm *Verbum*, (*k*) producitur, ut Virg. Lib. 1.*Georg.* (*) v. 43. seq.

Vere

Vere novò gelidus canis cum montibus humor
Liquitur. - - - - - - - -

(*i*) & Humorem fluidum denotat,
[*k*] Verbum autem *Liquari* idem est, ac *calore dissolvi.*

Lis nascitur; (*l*) Pertinacia efficit *Controversiam*; Et *Ligant* homines; Res in *Controversiam* deducitur. Ita *Controversia* Partis est, *Lis* Summae *Corn. Fronto.*

(*l*) & est Controversia inter Parteis judicio contendenteis. Interdum tamen etiam est extra *Forum*, & pro *Rixâ*, vel *qualibet concertatione* ponitur. *Lis* autem *aestimata* vocabatur *Pecunia mulctatitia*, & *nummaria Sententia*: ut hodiè, cùm Judices certa summa Actorum dispendia, & incommoda aestimantes, *certae Pecuniae* Reos damnant. Vid. *Doleti* Phrases, seu Form. L. L. eleg. fol. 89. fac. b. col. 2. *Nicolai Erythraei* Index in *Virgilium* p. 151. col. a. Edition. *Venetae*.

Litare est propitiare, & votum impetrare; (*m*) *Sacrificare* (*n*) verò est offerre sacrum, & veniam poscere. Plautus in Poenulô: (*o*)

Si herclè istuc unquam factum est, tum Jupiter
Faciat, ut semper sacrificem, *nec unquam* litem.

Svetonius in Caesare 81. *Dein pluribus hostiis caesis, cum* litare *non posset, introiit curiam, spreta Religione.* Dicitur autem *Litare*, & *Lutare*, non, ut *Grammatici* volunt, ἀπὸ τῶν λιτῶν, id est, à Precibus, sed à verbô *Luere*, id est, solvere. Varro in Hecatombe: *In quâ ego* (*ut puto*) *quoniam* LVERE *est solvere*, lutavi.

[*m*] Leg. *Virgilius* Lib. 4. *Aeneid.* v. 50. seq. hunc in modum canens.
Tu modò posce DEOS *veniam, Sacrisque* litatis
Indulge hospitio. - - - - - - -

(*n*) *Sacrificari* quoque pro *Sacrificare* dici, ex *Varrone* Lib. 2. de R. R. Cap. 8. p. 119. Edition. *Commelin.* est discendum, ubi exstant verba sequentia: *Cùm hanc loqueremur, venit à* MENATE *Libertus, qui dicat*, Liba *Absoluta esse, & ad rem divinam* (ita enim legit non incommodè *Laurenbergius* in *Antiquar.* p. 395. col. b. ubi, & pro MENATE, *Maecenate* substituit) *parata; si vellent, venirent illuc, & ipsi pro se* sacrificarentur. Quae verba retinuit quoque *Scaligeriano-Stephaniana* Editio, ubi exstant p. 98. Conf. Cap. 11. ejusd. Libri p. 107. juxta *Commelin.* v. p. 125. ubi habentur haec verba: *Non negarim, ideò apud* Divae Rumiae *Sacellum à Pastoribus satam Ficum. Ibi enim solent* Sacrificari *lacte pro vino, & pro lactentibus.*

[*o*] Act. 2. Sc. 1. v. 41.

Literatum à *Literatore* quidam distinguunt, inquit *Svetonius* Lib. de Illustr. Gramm. cap. 4. ut GRAECI *Grammaticum* à *Grammatista*: & ILLVM quidem

abso-

absolutè, HVNC *mediocriter* doctum existimant, quorum opinionem *Orbilius* etiam exemplis confirmat: *Nam apud Majores, ait, cùm Familia alicujus venalis produceretur, non temere quem* Literatum, *in titulo, sed* Literatorem *inscribi solitum esse, quasi non perfectum literis, sed imbutum.*

(p) *Literatum* etiam in *malam partem* pro LITERIS, h. e. *Notis contumeliae, ac malae famae* compunctо sumi, *Chalinus* Servus apud *Plautum* in *Casina* docet Act. 2. Scen. 6. v. 49. his verbis;
- - - - - *Si hic* Literatus *me sinat*,
In quem locum videndus *Taubmanni* Commentar. p. 390. col. 1. B.

Littus, (q) Inst. de Rer. divis. §. 1, & seqq. propriè Maris est; *Ripa* (r) Fluminis. *Illud* commune est, nec in nullius dominiô censetur; *Hoc* pertinet ad eos, qui habent proxima Praedia. Ovidius Lib. 1. Metam. v. 41. seq.

- - - - - - *campoque recepta*
Liberioris aquae pro Ripis Littora *pulsant*.

Idem Lib. 11. Metamorph. v. 54. seq.

- - - - *Respondent flebile* Ripae,
Jamque Mare invectae flumen populare relinquunt,
Et Methymnaeae *potiuntur* littore LESBI.

Svetonius in Nerone 27. *Dispositae per* Littora, & Ripas *diversoriae tabernae parabantur.* Sed interdum LITTVS *generaliter* appellatur, quicquid *juxta aquam* est, auctore *Servio*. Vnde & LITTVS *Fluminum* dicunt *Poëtae*, quibus haec licentia tribuitur. Virgilius: (s)

Cùm tibi sollicito secreti ad fluminis undam,
Littoreis *ingens inventa sub ilicibus sus*.

Et *Lacuum*: Catullus. (t)

Comi *moenia*, Lariumque LITTVS.

Ovidius Lib. 6. Fastor. v. 765.

Sint tibi Flaminius, Trasymena*que* LITTORA *testes*.

RIPAM verò etiam *Maris*. Horatius: (u)

Hostium uxores, puerique coecos
Sentiant motus orientis Austri, &

Aequo-

Aequoris nigri fremitum, & trementeis
Verbere Ripas.

(q) qs. *Lutus* à *luendo*, seu *lavando*. & est Ora *Maris*.
(r) quod à ῥιπῇ, hoc est *Ventorum*, vel *Aquarum*, quem sustinet, *impetum* denotans, derivatur, & est Labrum *Fluminis*.
[s] Lib.3. *Aeneid*. v.389. seq. Vid. Lib.8. *Aeneid*. v.43.
(t) Carm. 35. vers. 4. Editio autem *Tuscanellae* Hanoviana facit Epigr. 36.
(u) Lib.3. *Carmin*. Od.27. v.21. seqq.

Lituus Equitum est, & incurvus; (x) *Tuba* verò Peditum, & directa. (y) *Illius* sonus est acutus; *Hujus* gravis. Horatius; (z)

Multos castra juvant, & Lituo Tubae
Permistus sonitus.

(x) Describitur autem à *Perotto* in *Cornucop*. Epigr. 5. col. 512. quòd sit, *Buccina minor incurva*, *sono acuto*. *Lituo* qui canit, *Liticen* appellatur.
(y) *Tubae* fiunt, vel ex *Lignis*, vel ex *Cornibus*, vel ex *Aere*. HAE dicuntur *ductiles*; ILLAE *Corneae*; *Istae* autem *Ligneae*. Qui *Tuba* canit, dicitur *Tubicen*.
[z] Lib.1 *Carmin*. Od.1, v.23. seq.

Locuples à copiâ Locorum; (aa) *Dives*, quia dividendi facultatem habet; *Opulentus* ab Opibus; *Potens*, qui, quod vult, potest; *Fortunatus*, cui fortè aliquid contingit; *Beatus*, qui apud *Graecos* μακάριος est; *Pecuniosus*, qui habet pecuniam, vel pecora. *Corn. Fronto*.

[aa] Erant enim omnes Veterum divitiae in *Agris*, atque *Pecoribus*; & quem, *Catone* referente, Virum bonum *Colonum* dixissent, amplissimè laudasse existimabantur.

Longitudo Mensura est; (bb) *Longinquitas* Regionis, aut Temporis. *Sosip*.

(bb) & nonnunquam idem est, ac *prolixitas*.

Loqui est Hominis; *Obloqui* Obtrectatoris; *Alloqui* Svadentis, vel Adhortantis, vel Blandientis; *Eloqui* Oratoris. (cc) *Agraet*.

[cc] Leg. *Barthii* Lib.32. *Adversar*. Cap.1. col.1466.
(*) *Loquimur* naturaliter; *Famur* facundè; *Sermocinamur* cum aliis.

Lucens est, quod aliunde illuminatur; (dd) *Lucibile*, quod lucet per se. *Serv*.

(dd) seu Lucem aliunde habet.

Luctus plus est, quàm *Moeror*. (ee) Sallust. in Catilina

in

in fine: *Variè per omnem exercitum* Laetitia, Moeror, Luctus, *atque* Gaudia *agitabantur*. Tacitus Lib. 3. Annal.6. *Convenisse recenti dolore* Luctum, *&* *ex* Moerore *solatia.*

(ee) *Valla* Lib.4.*Elegantiar.*Cap.60.p.194. LVCTVM definit, quòd sit dolor, qui exteriùs proditur vultu ipso, atque aspectu. Audiamus, & *Ciceronem* Lib.4.*Tuscul.Quaest.*fol.213.fac.a.Editionis *Sturmiano-Argentor.*hunc in modum loquer tem: Angor *est aegritudo premens.* Luctus aegritudo *ex ejus, qui charus fuerit, interitu acerbo.* Moeror, *aegritudo flebilis.* Aerumna, *aegritudo laboriosa.* Dolor, *aegritudo crucians.* Lamentatio, *aegritudo cum ejulatu*. Sollicitudo, *aegritudo cum cogitatione.* Molestia, *aegritudo permanens*. Afflictatio, *aegritudo cum vexatione corporis*. Desperatio, *aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum*. Vnde *Lugere* est ob rem charam amissam vehementiùs tristari. Sic *Fida Uxor* luget luctuosum *Mariti obitum* lugubri *voce, gravique animi* luctu, *nec*, loquente *Comenio*, *facilè* elugere *potest.*

Lucus (ff) est utplurimum incaeduus, religiosusque; *Nemus* voluptatis causâ comparatum est, & plerumque *Diis* sacrum; *Sylva* nomen generale est, & habet arbores incaeduas pariter, & caeduas; *Saltus* verò dicitur locus seclusus, ubi pascuntur armenta, feraeque versantur. (gg) Catullus; (hh)

Sylvarum*que virentium,*
Saltuum*que reconditorum.*

Lucretius Lib.5.v.1385.

Avia per Nemora, *ac* Sylvas. Saltus*que reperta.*

Liv.Lib.24.Lucus *ubi frequenti* Sylva, *&* *proceris abietis arboribus septus.*

(ff) LVCVM *Pindarus* Od. 3.*Olympicorum*. Stroph. 2. v. 3. seq. tum propter amplitudinem, cùm propter maximam hominum in *Ludis Olympicis* frequentiam πάνδοκον ἄλσος hoc est, *omneis*, seu *omnia recipiens*, haud ineptè nuncupat. Vid. *Erasmi Schmidii* Commentarius in hunc *Pindari* loc.p.127. col.a. Sic LVCI *Petelini* meminit *Plutarchus* in *Camillo* p.148.C, Tom.1.Oper.

(gg) Leg.*Henrici Decimatoris* Thesaurus Lingg.p.752.col.2.*Lipsiae* Literis *Lanzenbergerianis* Anno 1718. in fol.impr.

(hh) Carm.34.v.10.seq.

Ludum, *&* *Lusum* putat *Valla* (ii) hôc differre, quòd *Ludus* cùm *periculum*, tùm *spem* Lucri sibi propositam habet; (kk) *Lusus* nihil, praeter *meram Voluptatem*. Quâ ratione LVSVS *Pilae*, *Trochi*, & *Ocellatorum*; *Aleae* LVDVS dicitur; cùm tamen veteres Auctores saepius

usur-

usurpent *Lusum Alaae*. Ut Cicero in Philippica 2. & Svetonius in Augusto 71. *Cùm effusè in* Lusu *liberalis fuissem*. Idem in Caligula 41. *Ac ne ex* Lusu *quidem* Alae *compendium spernens*. Paulus ad Edictum 19. l. 2. D. de Aleat. *Solent enim quidam, & cogere ad* Lusum, *vel ab initio, vel victi dum retinent*. Ego potius crediderim LVDVM de *honestis*, & *gravioribus oblectationibus* dici; LVSVM de *puerilibus*, vel *quaestuosis*. Liv. Lib. 37. *Pars in juveniles* Lusus, Lasciviam*que versi*. Et Lib. 39. *Alius concessum* Ludum, & Lasciviam *esse credere*. Columella Lib. 7. Lusûs, *ac* Lasciviae *causâ*.

(ii] Lib. 4. *Elegantiar*. Cap. 16. p. 260.
(kk] Sic in *Lud* gladiatorio si *lusio* seria est, periculosa est; sed saepius est *collusio*, & spectatorum *ludificatio*. Comenius.

Lues est qualiscunque contagio, quae *Homines*, *Arbores*, & *Fruges* inficit; (*ll*) *Pestis* significat omne Malum, quod tam *inanimis*, quàm *animatis* mortem, & exitium repentinò adfert. Ita HAEC semper *Capitalis*; (*mm*) ILLA quandoque *levior*. Livius Lib. 42. 10. *Locustarum tantae nubes à Mari ventô repente in* Apuliam *illatae sunt, ut examinibus suis agros latè operirent: ad quam* Pestem *frugum tollendam*. Lucanus Lib. 6. (*) v. 100. seqq.

Sed languor cum morte venit, turbâque cadentum
Aucta lues, *dum mixta jacent incondita vivis*,
Corpora.

(*ll*) seu est morbus contagiosus, *Animalia*, & *Homines* depascens.
(*mm*) Quoniam *pestifera* contagione (semper) inficit aërem, excitatque *Pestilentiam* in locis *pestilentiosis*. Huic (np. PESTILENTIAE) opponitur propriè *Conservatio*, & *Salus*; PESTI autem *Salubritas*. Leg. Gambarellae Liber *Oppositor*. p. 585.

Lumen l. 15. & 10. D. de Serv. Urb. Praed. aliud est omninò, aliud *Prospectus*. *Lumen* enim de *coelô* capitur; (*nn*) *Prospectus* etiam ex locis inferioribus. (*oo*) HIC plerumque *Voluptatis* est; ILLVD *Necessitatis*. Et *Prospectûs* servitus est, ne quid officiatur ad gratiorem *Prospectum*, & liberum; *Luminis* autem servitus est, ne *Lu-*

mina

mina cujusquam obscuriora fiant: de quibus cavent Jurisconsulti.

(nn) & est *Lucis* per vicina Corpora repercussio, dictum qs. *Lucimen*. Quomodo autem usurpatur *Metaphoricè*. vid. apud *Doktum* loc. persaepe alleg. fol. 93. fac. a. col. 1. seq. atque *Gifanium* in *Observ.* L. L. p. 130. & 346.

(oo) & est *libera*, & *non impedita* prospectio, quemadmodum testatur *Perottus* in *Cornucop.* Epigr. 2. col. 189. lin. 30. seq.

Luscus dicitur, qui alterô oculô caret, & Graecè μονόφθαλμος appellatur. (pp) Martialis Lib. 3. Epigr. 8.

Thaida Quinctus amat: quam Thaida? Thaida Luscam.
Unum oculum Thais *non habet, ille duos.*

Luscitiosus est, qui μύωψ, aut νυκτάλωψ vocatur à *Graecis*, & propter vitium Oculorum parùm videt *temporè vespertinô*, ut putant *Varro*, & *Opilius*; aut *meridie*, vel *lumine adhibitô*, ut voluit *Ulpianus*, cui *Seneca*, & *Grammatici* consentiunt. Plautus in Milite Act. 2. Sc. 3. v. 51. seq.

- - - - *Aedepol tu quidem*
Coecus, *non* Luscitiosus.

Varro Lib. 8. Disciplinarum: *Vesperi non videre, quos appellant* Luscitiosos. Seneca Lib. 3. de Beneficiis: Luscitiosi *oculi sunt, qui lucem reformidant*; Coeci, *qui non vident.*

(pp) *Luscum* altero oculo captum, vel orbum, Veteres dixerunt *Coclitem*. Unde & *Cyclopes*, qui *Siciliam* inhabitasse dicuntur, unum tantùm oculum in fronte habentes *Coclites* dicti: Et *Horatius* Patricius *Romanus*, quòd oculum unum in praelio amisit, Coclitis cognomen est adeptus.

(*) *Luxuria* datur in sumtu; *Licentia* in actione. Conf. *Goclen* l. c. p. 236.

Luxurio, & *Luxurior* ita separat Diomedes, ut alterum sit in *Laude*, alterum in *Vituperatione*; cum tamen *Auctores* his promiscuè utantur, & utrumque referant ad *Foecunditatem*, vel *Luxuriam*. (qq)

(qq) Alii dicunt *Luxuriare* animo; *Luxuriari* corpore.

M.

M *Agistratus* appellantur, qui Tribunali, ac Jurisdictioni praesunt; *(rr) Potestates* sunt hi, qui Imperium aliquod, Potestatemve obtinent. Cic. de L. Agrariâ: *Non* Potestas, *non* Magistratus *ullus aliis negotiis, ac legibus impeditus*. Svetonius in Claudiô 23. *Jurisdictionem de Fideicommissis quotannis, & tantum in Urbe delegari* Magistratibus *solitam in perpetuum, atque etiam per provincias* Potestatibus *delegavit*. Arnobius Lib. 6. *Secundas poscitis Valetudines*, Magistratus, *Imperia*, Potestates, *Victorias*. Ulpianus 3. ad Edictum l. 1. D. Quod quisque juris: *Qui* Magistratum, Potestatemvè *habebit*. Idem 35. l. 3. D. de Reb. eor. *Jussû* Magistratûs, *vel Praesidis, vel alterius* Potestatis. Martianus Institut. 14. l. 3. D. ad l. Jul. majest. *Quive privatus pro* Potestate, Magistratuve *quid sciens dolô malô gesserit*. Sed interdum MAGISTRATUS *Potestate* praeditus POTESTAS appellatur. Valerius Maximus Lib. 5. Cap. 8. de Cassiô, Tribunô plebis: *Postquam illam* Potestatem *deposuit*. Juvenalis Satyra 10. (*) v. 100.

An Fidenarum, Gabiorum*que esse* Potestas?

Ulpianus ad Edictum Aedilium Curulium 2. l. 17. §. si quis talis. D. de Aedil. Aed. *Ab Aliquâ* Potestate *damnatus*. Modestinus Responsor. 4. l. 26. D. de Pign. *Fidejussor impetravit à* Potestate, *ut & antequam solveret, pignora ipse possideat*.

(rr) Seu qui in Potestate aliqua sunt constituti, quemadmodum est *Consul, Pro-Consul, Praetor, Pro-Praetor*, & alii, qui *Civitatibus*, & *Provinciis* praesunt. Leg. *Dolmus* loc. cit. fol. 94. fac. a. col. 1. & *Scardii* Lexic. Juridic. ubi p. 555. col. a. extat, quòd MAGISTRATUS *multiplex* sit *divisio*.

Malus Hic, pars *Navis* est; *(ff) Haec Malus*, frugifera *Arbor*; *(tt) Hoc Malum, fructus* ex eâ. *Clarus*.

(ff) seu Arbor *Navis* vela tenens, & tunc *prior syllaba* est producta; *Malus* autem *priore syllaba* correpta, est non Bonus à Μαλὸς, h. e. *exitiosus*.

(tt) seu

(*tt*) seu Arbor *Matum* ferens.

Mammas esse Hominis scito ; (*uu*) at Pecudis *Ubera*. (*xx*) *Clarus*.

(*uu*) & denotant in *specie* geminum in *Pectore* tuberculum.
(*xx*) Describuntur autem, quòd sint *l. ctis in Animali officina*.

Mancipare plus est, quàm *Vendere*. Nam *Mancipat is*, qui & proprietatem, & usum, atque fructum transfert, & evictionem praestaturum se spondet ; (*yy*) *Vendit* etiam is, qui nudâ, & simplici traditione alienat. Praeterea MANCIPARE poterant soli *cives Romani*, *Latini colonarii*, & *Latini Juniani*, iique *peregrini*, quibus datum erat commercium ; VENDERE *cuilibet* permissum. Cicero Philippicâ 2. *Tum iste* venditum, *atque* mancipatum *Tribunatum consiliis nostris opposuit*. Quintilianus Lib. 6. *Requirebat* CRASSUS, *ubi essent eae possessiones. Omnes autem illas Brutus* vendiderat, *& cùm paterna* manciparet *Praedia*, *turpis habebatur*. Tacit. Lib. 1. Annal. 73. Venditis *hortis Statuam* AVGVSTI *simul* mancipasset.

(*yy*) Vnde *Manceps*, qui *publicum Vectigal* conducit, indeque quotidiè qu. *manu* quid capit, Denotat quoque aliorum similiter *Redituum Conductorem*.

Mancipium, (*zz*) & *Nexus* sunt Species abalienationis rerum Mancipi, quae hôc differunt, quòd *Mancipium* est Proprietas, & legitimum Dominium, vel Dominii traditio, quae fiebat Testibus quinque praesentibus, & libripende, certisque prolatis verbis, hunc videlicet in modum: *Is, qui rem Mancipio accipiebat, aes tenens ita dicebat*: (*Inst. de Test. in pr. Ulp. in Institit.* 19.) HUNC EGO HOMINEM EX JVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AJO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE, AENEAQVE LIBRA: Deinde *Aere* percutiebat *Libram*, idque *Aes quasi pretium* dabat ei, à quô rem accipiebat *Mancipiô*. NEXVS, sive NEXVM dicitur omnis obligatio, quae per *Aes*, & *Libram* fiebat. (*a*) Itaque MANCIPIO res promittitur, datur, accipitur, quae *propriè*, & *perpetuò* fit accipientis, neque evinci, aut vindicari potest; NEXV res oppigno-

ratur, addicitur, & obligatur: sicut *Testamenta* NEXV fiebant, non MANCIPATIONE, quia Haeres quidem Familiam per *Aes*, & *Libram* emebat, adhibitis quinque Testibus, & eô, qui Emptor Familiae vocabatur, sed *Testator*, idemque *Venditor* nihil isti Emptori tradebat; tantùm Haeredem in Testamentô scriptum tali modô constituebat, ut scilicet post mortem ipsius posset Haereditatem adire; Pignora nectebantur, & Homo liliber, qui suas operas in temporariam Servitutem Creditori dabat, dum Debitum solveret, NEXUS dicebatur. Quô sensu Mutius Scaevola dixit: NEXUM *esse, quod per* Aes, *&* Libram *fiebat, ut contrahentes obligarentur, & se invicem necterent, non ut res* manciparentur. Quod & verum esse ex *Verbi* notatione *Varro* ostendit; *Nam à* nectendô, (inquiens) *dicitur* NEXUM *id, quod per* Aes, *&* Libram *obligatur, neque tamen alterius fit*. Lex 12. Tabular. CVM NEXVM FACIET, MANCIPIVMQVE VTI LINGVA NUNCUPASSIT, ITA JUS ESTO. Cicero de Aruspicum Responsis 14. *Jure haereditario*, *jure* Auctoritatis, *jure* Mancipii, *jure* Nexi. Idem ad Curtium: *Cujus quando proprium te esse scribis* Mancipio, & Nexu; *meum autem usu, & fructu, contentus istô sum*. Sed interdum NEXUS nomen *generale* est, & in eô MANCIPIUM, ut *Species* in Genere continetur. Ex quo Manilius Jurisconsultus NEXUM definivit, quodcunque per Aes, *&* Libram *geritur, ita ut in eo sint res mancipi*: Sic illam rem, quae mancipatur, NEXU TRADI, NEXV OBLIGARI dixit Cic. in Topicis 28. *Abalienatio*, inquit, *est ejus rei, quae* Mancipi *est, aut traditio alteri* Nexu, *aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt*. Id. in Paradoxo 5. *Ut* Mancipia, *quae sunt Dominorum facta* Nexu. Idem pro Muraen. n. 3. *In rebus repetendis, quae* Mancipii *sunt, is periculum judicii praestare debet, qui se* Nexu *obligavit*.

(22) q. MANCVPIVM, *propriè* est res ipsa, in quam habeo potestatem. Deinde denotat in *specie* hominem in Bello manu captum, servitu-

vitutique subjectum. Cui accensendi *Servi*, atque *Ancillae emptitiae.* Vid. *Perotti* Cornucop. *Epigr.* 58. lin. 51. seqq.

[a] *Elegantius* autem accipitur pro *quodam genere obligationis civilis*, quà *Corpus* etiam, ut *Pignus*, afficitur. Ob hoc *Nexi*, & *Addicti* vocati sunt *Homines obaerati*, qui *Lege* 12. *Tabular.* ob *aes alienum* Creditoribus in *temporariam Servitutem* addicebantur. Conf. *Doletus* loc. persaepe denomin. fol. 109. fac. b. col. 1.

(*) *Maneo* simplicem moram; *Retineo* moram cum detinentis voluntate significat.

Mango, est venalitius, qui scilicet servos venales habet; (*b*) Mercator, qui merces quaslibet emit, venditve. Nam *Veteres* appellatione *Mercis* homines censeri noluerunt, & ob eam rem MANGONIUM à *Mercatura*, & MANGONES à *Mercatoribus* sejunxere, ut scribit Africanus Quaestion. 3. l. 207. D. de Verb. Sign. Plautus in Trinummô: (*c*)

Mercaturàmve, an venales *habuit, ubi rem perdidit.* Cicero pro Corneliô: *Neque me divitiae movent, quibus omnes* Africanos, *&* Laelios *multi* Venalitii Mercatoresque *superârunt.* Seneca Lib. 4. de Beneficiis: Mercator *Urbibus prodest, Medicus Aegrotis*, Mango *Venalibus.*

(*b*) dictus quasi à *manu agendo* μάγγανον, quod *Praestigias*, seu *Deceptionem* denotat, quia *Mangones* & *Mares*, & *Foeminae*, Rerum Veteratarum, *Vestium* inprimis, Politores dicuntur. Meminit, & MANGONIS *Martialis* Lib. 1. *Epigr.* 54. de *Pueri pretio* v. 1. & apud eundem Epigr. 7. Lib. 4. v. 4. dicitur *avarus* MANGO. *Graeci* hos ab *Equis componendis* vocant *Hippoconios.*

(*c*) Act. 2. Sc. 2. v. 651.

(*) *Manifestum* est publica, seu famosa insinuatio communis, ex certa scientia, & certis Auctoribus proveniens. Mascard. de *Probat.* Conclus. 1044. *Notorium* dicitur, quod omnibus liquet, & à nemine potest inficiari sine rubore. Leg. *Abasveri Fritschii*, JCti *Additamenta* ad SPECULUM *Speidelii* p. 684. col. b.

Manubiae appellantur Pecunia ex venditione Praedae contracta; (*d*) *Praeda* verò dicitur (*e*) corpora ipsa rerũ ab hostibus capta, donec non sunt divisa, aut divendita, auctore Gelliô. lib. 13. N. A. c. 14. Cic. 1. de Lege agrariâ: Praedã, Manubias, *Sectionẽ, Castra deniq;* Cn. Põpeji, *sedẽte Imperatore, Decemviri vendent.* Id. ibidem n. 12. Ex Praedâ, *ex* Manubiis, *ex Aurô coronariô.* Svetonius in Nerone: *Ac ne non hinc quoque quantum posset* Praedae, *&* Manubiarum *invaderet.* Aliquando tamen MANUBIA-

BIARUM vocabulô pro *qualibuscunque spoliis* usi sunt *Veteres*, atque etiam ipse *Cicero*, cum ait, *Ex* Manubiarum *venditione*. Livius Lib. 29. *Cum magnô piaculô sacrilegii sui* Manubias *retulit*. Svetonius in Vespasianô 16. *Sunt contra, qui opinentur, ad* Manubias, *& Rapinas necessitate compulsum.* Itaque verius est, PRAEDAE nomine contineri omnia *Spolia* ab *Hostibus* capta; MANUBIAS verô significare *Ornamenta hostibus* ademta, quae *manu* ferri possint, ad hoc *Pecuniam* inde redactam.

[d] seu est *honestior Praeda de Hoste*, dictae, quòd *Manu* habeantur, tanquam *Virtutis Monumentum.*

(e) & quidem *generaliter*, quicquid ad *escam* rapitur seu

Marinum vocatur, quod Mare incolit, vel est ex Mari;(*f*)*Maritimum*, quòd prope abest à Mari, vel quod in eô geritur. Hinc dicuntur *Dii* Marini, qui in imis *Gurgitibus*, & *Vadis* habitare putantur, Marinus *Piscis*, *Sal* Marinus, tum *Color* Marinus, *Aqua* Marina; rursus *Agri* Maritimi, *Ora* Maritima, *Bellum* Maritimum: quae omnia notiora sunt, quàm ut exemplis firmari debeant. Interdum tamen haec confunduntur. Varro Lib. 1. de Re Rust. *Ubi salem nec fossitium, nec* maritimum *haberent*. Idem Lib. 2. *Quin aspergi solent sales, memelior fossilis, quàm* marinus. Ulpianus ad Edictum 28. l. 1. §. Navem. D. de Exercitor. Action. *Navem accipere debemus sive* marinam, *sive fluvialem*. Callistratus Lib. 1. de Cognitionibus l. 5. §. Divus Adrianus. D. de Jur. Immunit. *Immunitatem navium* maritimarum *duntaxat habere, qui annonae urbis serviunt.*

[*f*] *Transmarinum* autem dicimus, quod *trans Mare* est. Unde *Transmarinum Triumfum* vocamus, & *Transmarinas Merces.*

Materies Animi est; *Materia* Arboris. (g) & *Materies* qualitas ingenii; *Materia* Fabris apta. *Corn. Fronto.*

[g] *materia*, & *Materies*, qs. Nomen abundans, in *genere* est omne id, ex quò aliquid fit, qs. *Mater rei*. In *Specie* autem denotat lignum domibus extruendis commodum.

Matronam, & *Matremfamiliâs* eô differre *Gellius* (*h*) tradit, quòd MATRONA *propriè* dicatur, quae in *Ma*-

tri-

trimonium cum *Virô* quoquô modô convenerit;etiamsi Liberi nondum nati sint. Quâ notione *Plinius* LOLLIAM PAVLINAM CAJI *Principis* MATRONAM appellat. MATERFAMILIAS autem ea sola, quae in *Mariti* manu *coëmptione* convenerit, & non in *Matrimonium* tantùm, sed in *Familiam* quoque *Mariti*, & in sui *Haeredis* locum transierit. Vnde fuit illa *Coëmptionis* antiqua Formula: VIS MIHI ESSE MATERFAMILIAS. *Festus* autem MATRESFAMILIAS ait *non ante dictas, quàm pepererunt ex* Maritô Patrefamiliâs: *sed neque* Viduam, *neque eam, quae sine* Liberis *esset, eô nomine appellari*; MATRONAS *eas esse, quibus stolas habendi jus erat.* (*i*) Jurisconsulti l.13.& 10. D. ad leg.Jul.de Adult.longè aliter, nec unô modô, his Vocabulis utuntur. Nam interdum MATRONAS accipiunt *notae Auctoritatis, spectataeque Vitae Foeminas*; MATRESFAMILIAS verò *generaliter* appellant *quaslibet Mulieres honestas*;sive *Nuptae* sint, sive *Viduae*; *Ingenuae*, an *Libertinae*; *Puellas* item, quae *sui juris* sunt. Quibus consentit Tertullianus in Libro de Virginibus velãdis Cap.11. MATERFAMILIAE,inquit,*vocatur licet Virgo, &* PATERFAMILIAE *licet investis.* Aliquando easdem *indifferenter* vocant *Matronas*, & *Matresfamiliâs*, & solùm honestatem spectant, ut ex ipsorum *Responsis* liquet. Mihi videtur propria, & vera horum Verborum Differentia esse, quod *Matronae* sunt spectatae Auctoritatis, & Pudicitiae Foeminae, Nuptae, aut Viduae; *Matresfamilias* omnes, quae legitimae Vxores habentur. Ita MATRONA omnis est *Materfamilias*, non contrà, atque sic Veteres ferè usi. Ennius in Andromedâ (*) p.3.

Liberûm quaesendûm causâ Familiae matrem *tuae.*
Liv.Lib.10. *Ut nulla, nisi spectatae pudicitiae* Matrona, *& quae uni viro nupta esset, jus sacrificandi haberet.*

[b] Lib.18.N.A.cap.6.p.591.Conf.*Schardii* Lexicon Juridic. p. 566. col. a.

(*i*) *Dousa* in *Centurienatu*,seu *Plautinar.Explanation.*Lib.2.Cap.2.

in specie ad *Casin.* par 36. dicit, quòd criminis loco antiquitùs aestimatum fuerit, *Matronas*, seu *Matres familias Romae sine ancillarum comitatu* in proximum prodire, ne si in proximum quidem diverteret, quò videlicet non culpam solùm, sed & suspitiones omnes in *alienis* potius, quàm *suis* pectoribus sitas segregarent à se, spernerentque quàm longissimè.

Matrimonium, (k) & *Nuptias* separant Jurisconsulti Julianus Digestorum 62. l. 11. D. de Ritu Nupt. *Puto rectè* Matrimonium, *vel* Nuptias *contrahi*. Paulus ad Edictum 35. l. 10. D. eod. *Non prohibentur Liberi utriusque Sexûs*, Matrimonium, *vel* Nuptias legitimas *contrahere*. *Quae verba indicant haec differre secundùm personas utriusque Sexûs, &* Matrimonium *esse* VIRI, Nuptias MVLIERIS; *si modò sunt* Jurisconsultorum, *& non potius* à Triboniano, *homine* Graeculô, *alterum fuit adjectum, ut & in Institutionibus ab ipso compositis: quod mihi quidem videtur.* Nam Differentiam istam nulli idonei Auctores observant, & pro *eodem* haec Nomina usurpant. Illud unum mutat, quod NVPTIAE *propriè* sunt *Matrimonii* celebritas, (l) quae *Conjugii* testificationem praebet. Cicero de Inventione: Nuptiae *non* Matrimonii *dignitate*, *sed sceleris societate conjunctae*. Arnobius Lib. 2. *Non* Matrimonia *copulant*, Nuptiarum *solennibus justis*. Idem Lib. 4. *Ubi enim* Nuptiae, Matrimonia, *Puerperia*.

(k) *Matrimonium* quibusdam ex eo videtur dictum, quòd, loquente *Augustino*, propterea nubat *Mulier*, ut *Mater* fiat, & describitur, quod sit *Maris*, & *Foeminae conjugatio*. Vnde *Formulae istae* CICERONIANAE: *In Matrimonio collocare*: *In Matrimonium ducere*: *In Matrimonium habere*, *f. Matrimonium tenere*.

[l] (seu *Nubentium* solennis ritus) Caeterùm de NVPTIIS leg. *Nomognosticon* Juris universi bipartiti *Hermanni VVesselingii* Volum. poiter. p.a r88. seq.

(*) *Maturare* est perficere modestè; *Maturescere* fieri maturum; *Celerare* raptim; *Properat* efficiens; *Festinat* nihil perficiens.

Meminisse, (m) & *in Memoriam redire*, hôc differre *Aristotiles* putat, quòd μνημονεύειν, & μιμνῆσθαι: & vult meminisse omnium esse *Animantium*, ut Cibi, Potionis, Somni, Voluptatis; *In memoriam revocare*, quod exciderit, non nisi *Homines* posse. Nonius. *Memoriosus* (n) habet ad *Dicta*, *Factaque* referenda memoriam; *Me-*

mor,

mor, *Beneficii*, vel *Injuriae* memoriam refert. Ita MEMORIOSE qui facit, ostendit in omni re *Naturae Bonum*; MEMORITER, *gratum*, vel *fortem* ex eô ostendit, quòd vel retribuit *Beneficium* gratè, aut *Injuriam* vindicat fortiter. *Corn.* Fronto.

(m) *Meminisse* à *Memoria* derivatur, cùm id, quod remansit in mente, in id rursus movetur. Vid. *Varro* Lib. 5. de *L. L.* col. 1080. lin. 6. & 7. *Stephaniana* autem *Editio* tacit p. 57. MEMINI cum *Praesenti Infinitivo* etiam construi, *Gifanius* noster auctor est loc. cit. p. 345.

(n) Legitur, & *Memoriosior*, & *Memoriosissime*, sicuti tradit *Festus* Lib. 11. col. 1171. lin. 16.

(*) *Memoria* solùm fit cogitatione; *Commemoratio* fit verbis.

Mendicus est, qui palàm precatur omnes, ut vitae suae medeantur cibô; (o) *Pauper* est, qui parum habet, (p) & honestè victum quaerit. *Alter* miser, & odiosus est; *alter* tenuis, & honestus, ut eleganter definit Aristophanes in Pluto:

Πτωχοῦ γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐςὶ μηδὲν ἔχοντα,
Τοῦ δὲ πένητος ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα.
Περιγίνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἀπολείπειν.

Id est.

MENDICI *quidem vita*, *vivere est nihil habentem*;
PAUPERIS *autem*, *vivere utentem*, & *operibus intendentem*;
Superesse autem ipsi nihil, non deesse tamen.

(o) Conf. *Perotti* Cornucop. *Epigr.* 44. col. 878. lin. 20. seqq. *Brissonius* Lib. 1. de *Formul.* p. 111. ex *Tertulliano* scribit, quòd *Mendici Gentilium* iis, qui Eleemosynam sunt largiti, DEOS precati sint *propitios*.

[p] ex πάω παῦρα *pauca possideo*. Notandum autem, quòd *Pauper* non sit miser, si *Paupertatis* commoda novit. Non enim eget Medico, nec metuit *pauperari*, & sic extra curas est. *Comenius*.

Mendum in *Mendacii* significatione dicitur; *Menda* (q) in culpâ *Operis*, aut *Corporis*. Sosip.

(q) *Mendas* rei *Mendosae emendare* justum est, si *emendabiles* sunt; aliàs *emendationem* frustra tentabit *emendator*. Tu intereà, *Comenio* monente, *mendas* tuas cogita, & cave esse *inemendabilis*.

Mentiri, & *Mendacium dicere*, quemadmodum distent;

P. Ni-

P. Nigidius Figulus, qui fuit *Ciceronis* aequalis, & studiis bonarum artium praeclarissimus manifestissimè separavit. *Qui* mentitur, inquit, *ipse non falsus, alterum fallere conatur*; *Qui* Mendacium dicit, *ipse inscius, & ignarus veri, fallitur*. *Itaque Vir bonus praestare debet, ut non* mentiatur; *Prudens, ne* Mendacium dicat. *Alterum judicat in* homine, *alterum* non. Nonius Marcellus. (r) Similiter differunt *Pejerare*, & *Falsum jurare*. Nam qui *pejerat*, is sciens, & ex animi sententiâ falsum jurat; Qui autem *Falsum jurat*, non decipiendi animô hoc facit, sed quia rem ita se habere putat. Atque ita *Chrysippus* distinxit inter ἐπιορκεῖν, καὶ ψευδορκεῖν.

(r) Leg. Doleti Formul. seu Phrases elegantiores *L. L.* fol. 99. fac. b. col. 1. Aliàs *Mendacium* est Orationis vanitas, atque falsus sermo; & *mentitur Mendax*, quoties *mendaciter* loquitur, etiamsi *Mendacia* coloret Veritate.

Mereri (s) est beneficium praestare; *Commereri* est committere, peccare; (t) *Meret* pretium, *Meretur* gratiam. Itaque illud vectigale; *hoc* honorarium est. *Corn. Fronto*. Terent. in Hecyrâ. Act. 3. Sc. 5. v. 36.

Quae nunquam quidquam erga me commerita *est*, *Pater*,
Quod nollem; *& saepè, quod vellem*, meritam *scio*.

Ubi Donatus: *Mereri Bona* dicimus, *Commereri Mala*, id est delinquere, peccare. Ergo hìc *meritam* pro praestitisse, dixit. Virgil. Lib. 6. Aeneid. (*) v. 664.

Quique sui memores alios fecere merendô,
id est, beneficium praestandô.

(s) & *Merere* est ex *Andreae Reyheri* mente *mercedis aliquid pro labore parare*; seu loquente *Comenio*, *praemium dignè acquirere*.
(t) & *sic poenam mereri*. Prout quisque autem *meruit*, ita *Mercedem* meritò accipit juxta *meritum*.

Meretrix, honestioris loci est, & quaestus, quae copiam sui tantummodò *noctu* facit; (u) *Prostibulum*, vel *Prostibula*, quae se prostituit quaestûs *diurni*, & *nocturni* causâ, auctore *Noniô*. Plautus in fragm. Part. 1. v. 24. seq.

Intro ad bonam Meretricem: *adstat ea in viâ*
Sola:

Sola: Prostibula *sanè est.*

[u] *Plautus* in *Trucul* Act.2. Sc.7. v.16.seq.*eam* sic describit: Meretricem *ego item esse reor, ut Mare est; quod des, devorat, nec unquam Abundat.*

Merita (x) majora sunt, quàm *Officia*. Cicero in Philippicâ 13.*Magna ejus in me* Merita; *mea quaedam* Officia *in illum*. Idem ad Brutum: *Magna ejus non dico in me* Officia, *sed* Merita. Et ad Cornificium: *Adhaec* Officia, *vel* Merita *potiùs*, *jucundissima consuetudo accedit.*

[x] Sunt autem *Merita* Beneficia, vel *Promerita*, & sic capiuntur in *bonam partem*. In *malam* autem, quando pro *Culpa* ponuntur. Cicero pro Sestio: *Nullo meo* merito *à me alienus esse debebat.*

(*) *Meritum* dicitur id, quod negari potest; *Debitum*, quod negari non potest. *Benemeriti* repulsam pati possunt; *Illi*, quibus debetur, non facilè. *Goclen*;

Merx est Species ipsa; (y) *Mercatura* Actus ipse, vel Lucrum de Merce; *Mercatus* Locus, in quô Mercatura agitur. (z) *Non.*

[y] seu id, quod lucri causa emitur, & venditur. Sunt etiam Merces annui reditus ex *fundis*, atque *praediis*, sicuti docet *Gifanius* in *Observ.L.L.*p.345.

(z) seu Tempus *publicè vendendi*, atque *emendi* Merces.

Metior, metiris, mensus sum, est Mensurâ rationem subducere; *(aa) Metor, metaris, metatus sum*, significat eligere. *(bb)* Vnde Lucanus Lib.1.v.382.

Hesperios audax veniam metator *in agros.*

[aa] seu *Quantitatem rei* explorare.

[bb] *Propriè* autem AGRVM, vel CASTRA *meta* terminare denotat.

Metuo illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est; *Timeo* ab illô, cujus causâ possum aliquid Mali pati; etiamsi ipse nihil mali in me consulat. Sic *Metuimus* eos, qui nos amant; *Timemus* etiam inimicos. *Donat.*

[*] *Metuimus* Periculum; *Veremur* etiam Virtutem; *Horremus* gestu, & indiciis, quae sub oculos cadunt. *Goclen.* Ideoque *Metus* dissimulari, ac tegi potest; *Horror* verò non potest. *Cicero* in *Catone* dicit, quòd *Metuere* sit Servorum, *Vereri* Liberorum. Sic dicimus quoque *Metuo tibi*, h.e. Sollicitus sum pro te; *Metuo* te, h. e. reformido te, ut *Adversarium.*

Metus motus est Animi; *Timor* quasi tumor; *Formido* fert interdum rationem; *Pavor* puerilis est.*Corn.Fronto.*

(*) *Mi-*

[*] *Minae* sunt Periculorum nuncii, & ab *Adversariis* proficiscuntur; *Formido* in nobis est, & *Ciceroni* est Metus permanens; Metus, futura perspicit; *Timor* est subita consternatio; *Pavor*, Animi Metus.

Miramur Opera, *Admiramur* Virtutes. *Agraet.*

(*) *Mirari* est stupe fieri, seu aliquid intentè, & suspenso intellectu intueri; *Admirari* est valdè mirari. Nonnunquam etiam idem est, ac *Venerari*, seu *Suspicere aliquem*, & non de *Virtute* solùm, sed de *virtuosis Personis* quoque dicitur. Sic *miramur* omnia *Mira*; *Miracula* verò *demiramur*. Comenius.

(*) *Miser* est generalis; *Miserandus* specialius. si quis merito *supplicio* afficiatur, *Miser* quidem est, sed non *Miserandus*; qui verò *injuria* malis afficiuntur, *Miserandi* sunt. Quilibet igitur *Miserandus* est etiam *Miser*, sed non omnis *Miser* est *Miserandus*. Goclenius.

[*] *Misereor*, ac *Miseror* Verba ita distinguuntur, ut MISERERI *Passivum affectum* habet. Est enim *corde* anxium esse ex *alicujus Miseria*; MISERARI verò *Activum*, estque *verbis*, aut *lacrymis*, aut *ope* dolorem, quem ex *Miseria alicujus* habemus, ostendere. *Perottus*.

[*] *Miseria*, & *Luctus* differunt, ut *Antecedens*, & *Consequens*; *Luctus* tantùm *Mortem* sequitur; MISERIA *damnum* plerumque. *Goclenius*.

(*) *Moderatio* est, & in ipsa Re; *Modestia* in Animo, Vultu, & Voluntate.

Moestus est qui animô angitur; (cc) *Tristis*, qui vultu demisso, aut severo, aegritudinem prementem ostendit. Plautus in Bacchidib. Act. 4. Sc. 4. v. 18.

Quid vos moestas, *tamquam* tristes *esse conspicor?*

Caesar Lib. 1. Belli Gallici: Tristes, *capite demissô, terram intueri*.

(cc) Vnde *Moestitia*, & *Moeror* in omnibus adversis est Periculis, & Damnis, *Luctus* verò ex morte est: Estque *hoc* speciale; *illud* generale.

Moneo, & *Admoneo* hoc differunt, quòd *Monemus* Futura; *Admonemus* Praeterita. *Illô* ut caveamus, & discamus; *Hôc* ut recordemur. Livius Lib. 21. *Per* DEOS *foederum arbitros, ac testes*, monuisse, *praedixisse se*. Idem Lib. 24. Cap. 22. Admonet *saepe usurpatae* Dionysii *Tyranni vocis*. Caeterum *Monemus* propter Benevolentiam; *Admonemus*, ut confirmetur Memoria; *Submonemus*, ut ordinatè Pronunciatio fiat; *Objurgamus* eum, qui est in nostrâ Potestate: Igitur in *Objurgante* Potestas; in *Monente* Benevolentia; in *Admonente* Memoria; in *Submonente* Officium, *Corn. Fronto*. *Hortari* autem magis est,

quàm

quàm *Monere*, utpote cum imperio conjunctum. l. 4. C. ad L. Jul. repet. *Admonere* aliquando est castigare, & corripere. L. 7. ff. de Poen.

Monimentum à *Mentis* admonitione dictum est; *Monumentum* (*dd*) est, quod in *Defuncti* memoriam ponitur, sive cadaver contineat, sive sit inane, quod *Graeci* vocant Κενοτάφιον; *Sepulchrum*, in quo corpus, ossayè hominis condita sunt, ut definiunt Jurisconsulti L. 2. & 42. D. de Religios. & Sumpt. Fun. Quibus consentit *Servius*, qui *Operis constructionem* SEPVLCHRVM; *inscriptum Nomen*, *Memoriamque* MONVMENTVM esse tradit. (*ee*) Livius Lib. 41. *Capua quidem* Sepulchrum, *ac* Monumentum *Campani Populi*. Idem ibidem: *Omnia* Sepulchra, Monumenta*que diruta esse in finibus suis*. Lampridius in Alexandrô: CENOTAPHIVM, *in* Galliâ, Romae SEPVLCHRVM *amplissimum meruit*. Vetus inscriptio: HOC MONVMENTVM, SIVE SEPVLCHRVM EST, HAEREDES NON SEQVITVR.

[*dd*] Hoc Nomen derivatur à *monendo*, quod nos alicujus rei praeteritae *moneat*, ut sunt *Sepulchra*, *Statuae*, *Inscriptiones*, *Libri*, *Carmina*, *Historia*, *Documenta*, *Commentaria*, *Litterae*, *Exstructio*, *Ornamentum*, *Opus publicum*, *Tropaeum*, *Moles*, immò quicquid sit illud, quod nos in *alicujus rei memoriam* revocat, *Latinè* MONVMENTVM appellatur. Vid. *Doletus* loc. alleg. fol. 103. fac. a. col. 2. & fac. b. col. 1.

[*ee*] Ideoque secundum *viam*, quò praetereuntes *admoneat*; & se fuisse, & illos esse *mortales*, id positum esse, *Varro* Lib. 5. de L. L. p. 57. refert. *Momentum* autem *propriè* appellatur, quodcunque est minimum, ut *Momentum temporis*, i. e. exiguum temporis spacium. Ponitur & pro *vi*, *valore*, atque *pondere rei alicujus*. Conf. *Gifanius* loc. multoties cit. pag. 346. ubi & pro *occasione*, & *mutatione temporum* ponitur.

(*) *Monstrum* est contra Naturam; *Prodigium* in solitis Corporibus singulare; *Ostentum* in non solitis.

[*] *Morbilli*, sunt pustulae in summa cute exuberantes; *Varioli* sunt Papulae.

Morbum, & *Vitium* (*ff*) conjunguntur in Edictô Aedilium Curulium: *Titulus Servorum singulorum ut scriptus sit curato, ita ut intelligi rectè possit, quid* morbi, vitiique *cuique sit*. Ea Modestinus Differentiarum 9.

l. 101.

l. 101. §. Verum. D. de Verb. Sign. ita distinxit, *ut* MORBVS *sit temporalis Corporis imbecillitas*; VITIVM *verò perpetuum Corporis impedimentum*, *veluti si talum excussit*. At Labeo apud Sabinum in Libro, quem de Edictô Aedilium Curulium composuit, MORBVS est, inquit, *habitus cujusque corporis contra Naturam*, *qui usum ejus facit deteriorem*. *Et cui* Morbus *est*, *is etiam* vitiosus *est*; *neque id tamen contrà fit*. *Potest enim*, *qui* vitiosus *est*, *non* morbosus *esse*, *ut* BALBVS, & ATYPVS vitiosi *magis*, *quàm* morbosi *sunt*; & EQVVS MORDAX, *aut* CALCITRO, vitiosus, *non* morbosus *est* l. 1. §. sed sciendum. D. de Aedil. edict. *(gg)* Vlpianus h. l. pro *eôdem* accipi, *Morbum*, & *Vitium* ait, & *Aediles* tollendae dubitationis causâ bis κατ' τῦ αὐτῦ idem posuisse. Ego *Labeonis* sententiam veriorem arbitror, atque ita MORBVM à VITIO differre, ut *Genus* à *Specie*, quod idem sentit Cicero Lib. 4. Tusculanar. his verbis: Morbum *appellant totius Corporis corruptionem*; Aegrotationem, *Morbum cum imbecillitate*; Vitium, *cùm partes Corporis inter se dissident*.

(ff) VITIVM dicitur *propriè*, quod *Virtuti*, atque *Convenientiae* est oppositum, & refertur, non tantùm *moraliter* ad *Animum*, sed etiam physicè ad *Corpus*. Ejus *Opposita* vid. apud *Gambarellam* in *Oppositor*. Lib. p. 829. Sic *Vitium* Corporis, scribente *Comenio*, reddit quidem *vitiosum*; non tamen meretur *Convitium*; etiamsi *vitiositas* tanta sit, ut non *vitiosè* non agere, & opera non *vitiare* non permittat. Sed *Vitium* Animi veram dat *Convitiatori* causam *convitiandi*; cùm illa sit *vitiositas*, qua nos ipsi *vitiamus*, aliosque nobiscum *vitiosos* reddimus.

[gg] Conf. *Gellii* Lib. 4. *N. A.* Cap. 2. p. 147. & *Scardii* Lex. Juridic. p. 393. col. b.

(*) *Mors*, & *Interitus* plerumque sumuntur in *bonam* partem; *Nex*, & *Caedes* in *malam*. Goclenius.

Mos est Institutum consvetudine firmatum; *(hh) Ritus* est Ordo, & Modus in administrandis, maximè Sacrificiis. *(ii)* Virgil. Lib. 12. *Æneid.* v. 836.

- - - - Morem, ritûsque *Sacrorum*
Adjiciam.

Quamvis interdùm RITVS pro *More*, ac *Instituto* usurpatur. Cicero in Laelio: *Qui pecudum* ritu *ad voluptatem*

tem omnia referunt. Idem Philippicâ 2. *Erat ei vivendum latronum* ritu. Pacuvius:

Halcionis ritu *littus pervulgans feror*:

Vbi *Varro* interpretatur RITVS, *Institutum*.

(*hh*) seu Ratio vivendi consvetudine firmata, & per *Syncopen* à MODVS derivatur, quod *Rationem* significat. Leg. *Perotti* Cornucop. Epigr. 10. col. 653. lin. 5. seqq. *Varro* MOREM definit Institutum esse *Animi*, quod sequi debeat *Consvetudo*.

(*ii*) Vid. *Festi* Lib. 17. de *Verb. vett. significat.* col. 1203. lin. 8.

Mulcare est pugnis, vel calcibus caedere, lacerare, mutilare; à quô MVLCIBER dictus creditur, & MVLCATORES *peremptores* interpretatur Vetus Lexicon. (*kk*) *Multare* (*ll*) est punire, & infligere Multam cujuscunque rei, ut Multare *pecuniâ*, *exiliô*, *haereditate*, & similibus. Terent. in Adelphis Act. 1. Scen. 2. v. 9. seq.

- - - - - *Ipsum dominum, atque omnem familiam*
Multavit *usque ad mortem*:

Sallustius Lib. 3. Historiar. Mulcato *foedè corpore*, *postremò tamen periêre*. Tacitus Lib. 1. Annal. 70. *Magna pars nudô*, *aut* mulcatô *corpore*.

(*kk*) Conf. *Laurenbergii* Antiquar. pag. 283. col. b. & pag. seq. col. a. ut & *Adr. Turnebi* Adversarior. Lib. 28. Cap. 6. Tom. 3. col. 1010. lin. 18. & 19. ubi & Lib. 15. cap. 2. Tom. 2. col. 520. lin. 27. MVLCTARE pro *Mulcare* etiam apud *Plautum* inveniri extat.

(*ll*) vel commodiùs *Mulctare* à *Mulcta*, & idem est, ac quasi *alicui Pecuniam emulgere*.

Mulctra Tempus dicitur, quô mulgentur Animalia; *Mulctrale* Vas, in quod mulgentur, (*mm*) *Serviu s.*

(*mm*) seu Vas, mulsum Lac excipiens.

Multae, (*nn*) & *Poenae* Differentiae plures traduntur, ut MVLTA est *specialis Delicti* coërcitio, & tantùm *pecuniaria*; POENA verò *omnium Delictorum* animadversio, tùm etiam *Capitis*, atque *Existimationis*. Rursus POENA lege, vel quô aliô jure specialiter Delicto imposita; (*oo*) MVLTA arbitrio Judicis definitur. l. 244. D. de Verb. Sign. Jureconsulti etiam alias adferunt, quas non est operae pretium heîc referre; cum magis ad usum *Juris*, quàm *Sermonis* proprietatem pertineant: sicut illa

illa ad morem antiquum: MVLTA DICTA, ET IRROGATA TRIBVTIS COMITIIS AD POPVLVM CERTABATVR: POENA CAPITIS CENTVRIATIS COMITIIS. Cicero pro Domo: *Ne* POENA Capitis *cum* Pecuniâ *conjungeretur*. Idem Lib.3. de Legib. 6. *Cùm magistratus judicassit, interrogassitve per Populum*, Multae Poenae *certatio esto*. Liv. Lib. 25. 3. *Tribuni* Plebis *ducentûm millium aeris* MVLTAM M. Postumio *dixerut*; *cujus certandae cùm dies advenisset*.

(nn) De *hujus Vocabuli* Origine leg. *Becmanni* Origines *L. L.* p. 694. seq.

(oo) POENAM autem *Delicto semper commensurandam esse*, confirmat *Philippus Decius* in *Enarrat.* in Reg. 46. Tit. ff. de Reg. *Juris* n. 3. p. 192. col. a. Sed *quid Juris sit* in Poena *conventionali*, docet *Frantzkius* Commentar. in Lib. 4. *Institution. Jur. Civ. Justin.* Tit. 6. §. 21. num. 7. p. 579.

(*) *Municipes* sunt Cives Romani ex *Municipiis* suo jure, suisque legibus viventes; *Colonus*, non extrinsecus venit in *Civitatem*, sed ex *Civitate* quasi propagatus, non *proprii arbitri*, sed *Populi Romani* Jura, & Instituta habet. Vid. *Goclenii* Observ. *L. L.* p. 238.

Munificus est, tanquam beneficus; (pp) *Munifex* autem tanquam opifex, & artifex. Itaque *Munificus* Munera largitur; *Munifex* autem munere fungitur. Sosip.

(pp) Apud *Veteres* MVNIFICI non à *Largitione*, quae ignota erat, dicebantur, sed ita appellabantur *consentientes* ad *ea*, quae *Amici* vellent. Haec Perottus loc. saepissimè denom. *Epigr.* 2. col. 299. lin. 26. seqq.

Murus propriè aut Vrbis, (qq) aut Munitionum; *Paries* est Domorum. *Ille* publicus, & inviolabilis; *Hic* privatus. Rursus *Murus* interdum *privati Ædificii*, estque exterior; *Paries* est Interior. (rr) Varro Lib. 4. de Lingua Lat. Parietes *postici* Muri *sunt scripti*. Tacitus Lib. 15. Annal. 43. *Ne communione* Parietum, *sed propriis quaeque* Muris *ambirentur*. Aliquando *Paries*, nomen est generis, quô & Murus cõtinetur, & Maceria, quae *sine calce*, aut aliâ *materiã compactionis* formatur. Ælius Gallus de *Verborum* quae ad Jus pertinent, Significatione: PARIES *est sive* Murus, *sive Maceria est*.

(qq) & est *lapideus* ambitus, à Μοῖρα, *Pars*. Quamlibet enim civium *partem quandam* MVRI olim aedificasse constat. Est & *Murus* omnis *caementitius* Paries.

(rr) Di-

(rr) Dicitur autem *Aedificii* latus, quod lutat *Parietar ius*. Sed *Maceria, seu Maceries*, est *Murus*, sive *Paries*, constans ex *Lapidibus sine Calce*, aut *alio genere Ferruginis*.

Murmurare est obstrepere, & tumultuari sonô obscurô; *Mussare* est submissâ voce loqui, & intus verba volvere magis, quam eloqui. (ss) ILLUD etiam ad *Inanima* transfertur, ut *Murmurantia* Littora, *Murmurans* Mare, Nemus, & alia; HOC tantùm est *Hominum*, (tt) Sallust. Lib.1. Histor. *Vos mussantes, & retractantes verbis*. Livius Lib. 43. *Id decretum decem Legatorum clam* mussantes *carpebant*. Virg. Lib. 1. *Georg.* v. 359.

- - - *Nemorum increbescere* Murmur.

(ss) seu pressa voce loqui, ut non omnes audiant.

(tt) sic blando *murmure murmurat* defluens aquae Rivulus; Indignabundus autem ingrata *murmuratione* vel tacitè *admurmurat*, vel *obmurmurat* apertè. *Comenius.*

Mutuo (uu) est *Mutuum* do, ut *Mutuo* tibi pecuniam; *Mutuor* est mutuò accipio, (xx) ut *Mutuor* à te pecuniam. Quae sunt notissima.

(uu) Hoc Verbum nonnunquam, ut *Deponens* MVTVARI pro *Mutuo sumere* etiam accipitur, sicuti testatur noster *Schardius* in *Lex. Juridic.* p. 603. col. a.

(xx) Inde *Versiculus* tritissimus.

MVTVO dic dantis, sed MVTVOR accipientis.

Commodare autem propriè non dici de iis rebus, quae *usu* consumuntur, *Gockenius* l. c. pag. 237. affirmat.

Myrtetum Locus est ipse; (yy) *Myrtus* Arbor. Servius.

(yy) h. e. *Myrthorum* Arboretum; sed *Myrthus* Arbuscula est *baccifera*.

N.

NAe cum Diphthongo (zz) *Affirmandi* vim habet, idemque omninô est, quod, *Profectô*, *Utique*, *Certè*. Cicero: NAE *tu si id fecisses, melius famae tuae consuluisses*. Idem: NAE *isti vehementer errant*. Ne plerumque *Vetandi* sensum exprimit, ut, NE *saevi tantopere*, *Terentius* in Andr. Act. 5, Sc. 2. v. 27. Interdum etiam *Negandi*, & pro NON ponitur, (a) Idem in Eunuchô Act. 2. Sc. 3. v. 12. *quid* NE *es alacris?* Et in Andriâ: Act. 2. Sc. 1. v. 37. *Ego id agam, mihi qui* NE *detur.*

(zz) Et sic est *Graeca* Dictio *Affirmationem* cum *Admiratione* in se habens. Conf. *Perotti* Cornucopiae Epigr. 5. col. 503 lin. 21. seq.

(a) Leg. *Strauchii* Lexicon *Particular. Juris* p. 131. col. 2. & *Laurenbergii* Antiquarius p. 292. col. b.

Navis (b) appellatione continentur omnes *Navigii* species, cujuscunque sint Usus, Materiae, aut Formae; *Rates* propriè dicuntur *Naves Longe*, trabibus, & asseribus inter se tantùm nexis factae, quas *Graeci* vocant σχεδία. (c) Ita ILLUD Generis, HOC Speciei nomen est. Caesar Lib. 1. de Bellô Gallicô: Navibus *junctis*, Ratibusque *compluribus factis*. Livius Lib. 36. Navibus *ab* ANNIBALE *incensis*, Rate, *ad trajiciendum Exercitum in magna inopia materiae aegre comparantem*. Ulpianus ad Edictum 51. l. 3. D. de Feriis: *Quae de Incendio, Ruina, Naufragio*, Rate, Nave *expugnata, raptavisse dicuntur*. Idem Lib. 68. l. 1. D. Ut in Flum. *Quò minùs illi in Flumine publicô* navem, ratem *agere, quòve minùs per ripam onerare, exonerare liceat*. Idem ibidem l. 1. §. Navigii. D. de Fluminibus: Navigii *appellatione etiam* Rates *continentur, quia plerumque & Ratium usus necessarius est*. Sed *Poëtae* fraequenter RATES pro *Navibus* usurpant.

(b) Differt autem *Navis* à *Navigio* hunc in modum, quòd NAVIGIUM sit tanquam *Genus* omne id, quo navigamus; NAVIS autem est *Species* NAVIGII. Vid. *Christophori Landini* Comment. in Q. *Horatii Fl.* Od. 14. v. 14. p. 754. atque *Gifanii* Observ. L. L. p. 154. Caeterùm erant NAVES *Atheniensium* (*Triremes* inprimis) ideo *sacrae*, quoniam (*Reinesio* Lib. 3. *Var. Lect.* Cap. 5. p. 424. testante) usibus Reipubl. & negotiis urgentibus expediendis condiderant.

(c) RATEIS *Paullum* JCtum Ligna colligata, quae per aquam aguntur, vocare, apud *Jacobum Cruquium* in *Commentar.* ad *Horatii* Lib. 1. Od. 1. vers. 17. pag. 4. col. a. est videre.

Navus à praecipuo *Navis* cursu dicitur, vel *alterius* causâ natus, qui studet per officium suum, & recipit *Comparationem, Superlationem*que, quia *Cognomen* est. Ita *Navus* operam navat alteri; *Celer*, ut *suam* rem, ita alterius quoque *celeriter* perficit. *Corn. Fronto.*

[*] *Navus* in *Negotiis* est strenuus; *Celer*, est *Motu* agilis; *Pernix*, est *Pede* velox.

Najades sunt Nymphae Fontium, (d) *Oreades* (e)

Mon-

Montium, *Dryades* Arborum. *Servius.*

(d) addamus, & *Fluviorum*, dictae ἀπὸ τȣ̃ νάειν, quod est *fluere.* Conf. *Dictionar. Historico-Geographico-Poëtic.* CAROLI STEPHANI p.813. col.1. & *Natal.Comitis* Lib.5. *Mythol.*Cap.12.p.467 ubi *Fluviorum Praesides* ob quotidianum Exercitium, quod in aqua habent, apposite dicuntur. Rursus *Stagnorum* DEAS *Limniades* vocarunt, cùm Λίμνη sit *Stagnum.*

(ee) De his legendus *Strabonis* Lib.10. *Georg.* f.54. Tom.2. Edition *Janssoniano-Amstelod.* in 12.

Natio (*f*) Solum patrium quaerit, *Gens* seriem Majorum. *Corn.Fronto,*

(*f*) *Comenius* dicit, *Nationem* esse hominum ex una Stirpe; *Gentem* verò unius generis multiplicatam Propaginem.

Necare, & *Occidere* quidam censent hôc differre, quòd *Necare* est *Interficere* etiam sine *ictu*, & *telô*, veluti *Fame*, *Laqueô*, *Venenô*; *Occidere* verô *Gladiô*, & *Manu.* Nam, ut Quintilianus ait, Caedes *videtur significare* sanguinem, & ferrum. Ego arbitror utrumque Verbum *generale* esse, & ad omnes *Mortis inferendae* modos pertinere, ut *Venenô necare* dixit Cicero: *Fame necare* Svetonius; *Ferrô*, *Fuste necare* Sallust. *Securi necare* Livius; *Verberibus*, & *Telò necare* Ulpianus; Seneca *Ferrô*, *ac Fulminibus Occidere.*

[*] Quidam *Necatum*, & *Occisum* ita distinguunt, ut OCCISVS cum *ictu* sit, & *vulnere*; NECATVS quoque sine *ictu.* Vid. *Goclenius* loc.alleg.p.238.

Necessitas est vis quaepiam praemens, & urgens; (g) *Necessitudo* autem dicitur Jus quoddam, & vinculum affinitatis, Familiaritatisvè: (*h*) Unde *Necessarii* appellantur. Sallust. in Jugurthâ: *Etiam antea* Iugurthae *Filia* BOCCHI *nupserat.* Verùm ea *Necessitudo* apud NUMIDAS, MAUROSQUE levis ducitur. Interdùm tamen NECESSITAS pro *Necessitudine* usurpatur. Caesar pro Lege Plautiâ in fragm. (*) *Equidem mihi videor pro nostrâ* Necessitate, *non labore, non opera, non industria defuisse.* Cicero pro Sullâ: *Si nostram in accusatione sua* Necessitatem, Familiaritatem*que violasset. Rursus* NECESSITUDINEM pro *Necessitate* frequenter usurpat *Sallustius*, idque Antiquorum more, qui duplici ter-

 mi-

minatione multa Nomina protulerunt, ut *Acerbitas*, *Claritas*, *Sanctitas*, Acerbitudo, Claritudo, Sanctitudo. Unde *Gellius* putavit, haec duo Verba *idem* significare, neque ullâ re aliquâ differre. In quô sane illi non assentior. Ex usu enim *Antiquitatis*, ut dixi, NECESSITUDO pro *Necessitate* usurpatur, non quòd eadem sunt; & NECESSITAS pro *Necessitudine* rarum, & infrequens est, nec debet trahi ad Exemplum, quod *Cicero*, aut *Caesar* semel dixerunt.

(g) seu Vis quaedam, quae nos cogit ad aliquid *moliendum*, vel *faciendum*.
(h) Conf. *Doleti* Phrases seu Formul. eleg. L. L. fol. 108. fac. 2. col. 2.
(*) Ex A. Gel. lib. 13. cap. 3. & Nonio in voce *Necessitas*.

Necessitudo vel Sanguinis, vel Meritorum, cùm Praeceptoribus, cum Amicis; *Necessitas* immutabilis res est, ut Mori *Necessitatis* est. *Corn. Front.*

(*) Nefas est in DEOS; Impietas verò in *Parentes*, atque *Patriam*. Sed hanc Differentiam non *ubique* praestari, *Goclenius* loc. cit. p. 239. affirmat.

Nemo de personâ semper dicitur, ut *Nemo Homo*; *Nullus* tam de *Re*, quàm de *Persona*; (i) Quod *Exemplorum* probationem non desiderat.

(i) & est *universalis Negativa*, & *omnia* excludit. Lep. *Straudius* loc. hactenus alleg. p. 147. col. b. Sed *Nonnemo* est aliquis, seu quispiam.
(*) *Nescio* prorsus cuncta; sed *Ignoro* aliquid.

Nihil Adverbium; *Nihili* Nomen est. (k) ILLUD si dicas, *Quantitatem* notas; sin HOC, *Mores*, Sosip.

(k) Hujus *Oppositum* est *Frugi*. Sed NIHIL est, qui non *Hili*, h. e. cujusvis est minimi. Est autem HILUM *propriè* medius Volae scrobiculus.

Niti est conari, & labore contendere; (l) *Obniti* est contra Adversa, & Difficilia luctari, & obfirmari; quod *plus* est. Livius Lib. 23. *Omni vi, ne caperetur*, obnoxius, (vel potiùs, OBNIXUS) *occubuit*.

[l] i. e. re aliqua *inclinando in illam* sese fulcire. (2) nixu *virium*, seu sub *onere* aliquid conari. Virgil. Lib. 3. *Georg.* v. 172.

- *Valido nitens sub pondere Faginus axis*
Instrepat. - - - - -

Sed Virtuti *reniti* est suo Honori *obniti*.
(*) *Nisus* ingenio: *Nixus* corpore.

Nimbi dicuntur repentinae, & praecipites pluviae; (m) Plu-

(m) *Pluvias* ipsas vocamus lentas, & juges. (n) *Servius.*

(m) *Nimbus* interdum quoque *Vasis* est Genus, quo *Vina, Unguenta,* & alii *Liquores* funduntur. Inde *Martialis* Lib.14.*Epigr.*112.
Ab Jove *qui veniet miscenda ad pocula, largas.*
Fundet Nimbus *aquas: hic tibi Vina dabit.*
[n] vel Aquae è Coelo *guttatim* missae destillationem.

Nobilis nobilitate rerum; (o) *Generosus*, qui Graecis γνῆσι@ appellatur. Ita HIC ex generatione; ILLE ex re est. *Corn.Fronto.*

[o] *Nobilis, e,* etiam in *malam* partem sumi, docet *Valla* Lib.5.*Elegant.* Cap.35. p.359. quando nempe in ordine *meretricio* qs.excellens. vel maximè inter alia notum, NOBILE *Scortum* dicitur. Caeterùm inter *simpliciter Nobileis*, & *Equites* hanc dari Differentiam *Joann. Limnaeus* Lib.6.de *Jur.Publ.Imp.Rom.* Cap.2.num.9. Tom.2.tradit, quòd ex *ignobili* quis NOBILIS; at non ex *Ignobili EQVES* possit fieri.

Nocens à *Nefariô*, & *Impiô* distare, ut Nocens levius videri possit, Cic. Lib.2. de Offic. voluit. *Nec tamen ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni contrarium,* nocentem *aliquando*, & nefarium, impium*que defendere*.Non.Marcellus.

[*] *Nocens* est, detrimentum dans; *Nefarium*, quod ne fari quidem licet.

(+) *Nocte* partem; *Noctu* totum dicimus. HOC Temporis est *Adverbium*; ILLVD *Nomen.* Sic *Noctu* dicimus coenavi, & *hac Nocte* nihil brevius.

Nomen est, quod quisque *proprium*, & *certum* habet, ut CICERO, ROMA. (p) *Vocabulum* est, cujus significatio est *communis*, ut HOMO, URBS. Varro Lib.7. de Lingua Lat. Vocabula, *quae à* Nominibus *oriuntur, si à similibus* Nominibus *similia esse debent, dicemus, quoniam gemina sunt* PARMA, ALBA, ROMA, *Parmenses, Albenses, Romenses.* Idem Lib.9. *Non enim idem* Oppidum, & ROMA; *cùm* Oppidum *sit Vocabulum*, ROMA Nomen.

(p) Derivatur autem à *Nosco*, quia per *id*, quicquid nominamus *agnoscitur*. GRAMMATICI *Nomen* definiunt, quod significat *Substantiam*, vel *Qualitatem propriam*, vel *communem* cum Casu. Apud *JCtos* NOMEN idem, quod *Debitum* esse ex *Gifanii* Observ. *L. L.* p. 347.constat.

Nominatio nominat, quem appellat; (q) *Appellatio* appellantis vox est in *Ministerio*, & appellat ad *potentiorem*

rem propter injuriam. (r) *Corn. Front.*

(q) Sic datur apud *Politicos*, & *JCtos* NOMINATIO ad *Munera*, quae *ipsam Creationem* denotat; ut & NOMINATOR, qui aliquem ad *Magistratum*, *Tutelam*, *aliudvè*, *Munus publicum* nominavit. Vid. *Scardii* Lexicon Juridicum p. 625.

(r) *Quotuplex* autem in *Jure* sit APPELLATIO, docet idem *Schardius* loc. jam cit. p. 93. col. b.

Notat vel Locum quis, vel Personam, vel Noxiam; *Annotat*, qui Notae (s) quid adjicit. (t)

[s] Est autem *Nota* propriè *Signum, quo* aliquid *notatur*, & *designatur*. Sed quoniam turpitudine aliqua affecti, noti plerumque esse solent, apud *Latinos* vulgare est, ut NOTA in *malam* partem etiam capiatur, &, scribente *Doleto* loc. alleg. fol. 111. fac. col. 1. *Labem, Turpitudinem*que significet.

(t) Sic *Notarius* notat *Res notabileis*, iisque alias *notatu* dignas subinde *annotat*, & *subnotat* Comenius.

Nothus appellatur, qui ex *Concubinâ*, non ex *Uxore legitima* natus est, sed *Patrem certum* habet. Latini recentiores vocant *Naturalem*, quia sine legitimô Matrimonio tantùm *Naturae* conjunctione nascitur. *Spurius* est, qui *Patre incertô*, aut *illicitô* genitus est, veluti ex *Scortatione*, *Adulterio*, *Stupro*, vel *Incesto*: quasi σπορᾶδην, id est *passim*, & *vulgò* conceptus, vel ab *illa muliebri parte*, quâ Mater illum in *lucem* edidit, quam veteres SPURIUM dicebant ἀπὸ τῆς σπορᾶς, ut scribunt Plutarchus, & Isidorus. *Cùm enim* Pater *ignoretur, aut is sit, quem habere non licet*; Mater *autem semper certa sit, Filius dicitur* Spurius, *aut* Spurii *Filius*, *à muliebri parte Matris.* Quintilianus Lib. 3. NOTHUM, *qui non sit* legitimus GRAECI *vocant*, LATINUM *rei Nomen, ut* Cato *quadam quoque Oratione testatur*, *non habemus*; *ideòque utimur peregrino.* (u) Modestinus Pandectarum 1. l. 23. D. de statu Hom. Vulgò concepti *dicuntur, qui* Patrem *demonstrare* non *possunt*; *vel qui possunt quidem, sed* eum *habent*, quem *habere* non *licet*; *qui &* Spurii *appellantur.*

(u) Leg. Perotti *Cornucopiae* Epigr. 1. c. 68. lin. 56. seq.

Novissimum Ordinis, (x) *Ultimum* Orbis. *Corn. Fronto.*

(x) Aliàs *Novissimum* est *ultimo* factum; *Ultimum*, quòd est maximè

mè ultra. An autem aliquid sit ulterius, & quidnam tandem *ultimum*, ex mente *Comenii* minimè possumus assequi.

Novum est, quod nunc *primùm* accidit; (*y*) *Recens*, quod *nuper*, ut: *Lex* NOVA, quae *primùm* perfertur; eadem *Recens*, quia *non diu ante* fuit lata. NOVUM ad *Rem*, RECENS ad *Tempus* pertinet. Cicero pro Flaccô: *Memineritis, quarum rerum invidia Lege hac* recenti, *&* novâ *certus est inquisitioni comitum numerus constitutus*. Idem ad Brutum: *Hanc ipsam* recentem novam *devoravit*. *Juvenalis*: (*z*)

> *Res memoranda* novis *Annalibus*, *atque* recenti
> *Historia*. - - -

(*y*) seu nunc demùm est factum. Necesse enim est, res *novas* nasci, quia decedunt *veteres*. Sic NOVOS etiam dicimus, quorum nulli Majores *clari* fuere, sed ipsi per se ipsos *clari* esse incipiunt, & in *Civitate* consequuntur *Magistratus*.
[*z*] Satyr. 2. v. 102. seq.

Noxa est Corpus, quod nocuit; *Noxia* ipsum Maleficium, inquit Justinianus Imperator Institutionum Lib. 4. Tit. 8. In quem *Valla* (*aa*) graviter invehitur, putatque ineptum esse, NOXAM appellare *ipsum Corpus*, quod *deliquit*. Contra pertendunt *Interpretes Juris*, rectè JUSTINIANUM dixisse, NOXAM Servum, qui *Noxam* fecit, quia à *nocendô* formatur NOXA; quae tamen ratio parùm firma est, cùm ab eâdem quoque origine sit NOXIA. Meliùs, ut mihi quidem videtur, opposuissent, NOXAM duplici significatu dixisse *Juris* Auctores, sicuti dicuntur *Operae*, & *Actiones*, & *Homines*, qui agunt; *Carcer*, & *Ergastulum*, loca *Custodiae*, & *Vincti*, qui in illis custodiuntur. Sed omninò illa NOXIAE significatio, quam JUSTINIANUS tradit, non est in communi *Latini* sermonis usu. Itaque *vera*, & *propria* horum Vocabulorum *Differentia* est, quod NOXA *generale* Nomen est, quo omne id, quod *nocet*, intelligitur, tam *Culpa*, quàm *Laesio*, vel *Poena*; NOXIA tantùm significat *Maleficium*, & *Peccatum*. Unde Formulae illae loquendi: *Noxam sarcire*, pro Damnum sarcire; *Noxae*, vel *in Noxam dedere*, id est, Animal, Mancipiumve

ve vivum tradere Poenae pro Damno dato; *Noxis solvi, & solutum esse*, pro carere Delicto, ob quod possit *noxali* judicio agi. Item *Noxiam committere*, id est Damnum dare, & *Aestimatio Noxiae*, quae omnia in Iurisconsultorum Libris passim sese offerunt.

[*aa*] Hic Lib. 6. *Elegantiar.* Cap. 35. p. 446. *Servium* frustra reprehendit, quòd NOXIAM pro *Culpa* positam esse dixerit. Fortean *Valla* noster, alioquin Vir doctissimus, *Plautum*, aliosque plureis ex Antiquis neglegit, qui multis in locis *Vocabulum hocce* in eum sensum usurpant.

NUCES dicuntur omnia, quae *foris* coriô duriore (*bb*) teguntur, & *intùs* habent, quod est *esui*, ut *Avellanae, Juglandes, Castaneae, Amygdala*; POMA (*cc*) vero sunt, quae *foris* habent, quod *edendo* est, & durum *intùs* includunt, ut tradunt *Macrobius*, & *Servius*. Cassius, Dionysius Lib. 10. Geoponicῶn Ὀπώρα λέγεται ἡ χλοώδη τὸν καρπὸν ἔχουσα, οἷον δωρακῖνα, μῆλα, ἀπίδια Δαμασκηνά, καὶ ὅσα μὴ ἔχει ἔξωθέν τι ξυλῶδες, Ἀκρόδρυα, ὃ καλεῖται ὅσα ἔξωθεν κέλυφος ἔχει, οἷον ῥοιὰ, πιστάκια, κάστανα, καὶ ὅσα ξυλώδη τὸν καρπὸν ἔχει ἔξωθεν. Quò pertinet *Dictum* CASCELLI Jurisconsulti, qui VATINIO gladiatorium munus edente, cùm ab *Ædilibus* edictum esset, *Nequis in Arenam nisi* POMVM *mitteret*, consultus à quodam, *an Nux pinea* Pomum *esset*? Respondit: *Si in* Vatinium missurus es, POMVM *est*. *Nam alioquin* propriè *non erat* POMVM. Frequenter tamen POMI Nomen *generale* est, quô continetur omnis Fructus arborum *esui* aptus, sive molli coriô tegatur, sive durô. Quâ ratione *Nuces*, *Ficos*, & *Uvas escarias* POMA esse Jurisconsulti scribunt, & Plinius Lib. 15. cap. 22. POMA vocat *Nuces juglandes*, Palladius *Castaneas*.

Proceras fagos, & POMA *hirsuta virentis*
Castaneae. - - Item *Ficus*.
Se quoque miratur pingui grandescere succô,
Et solitum gaudent vincere Poma *modum*.

(*bb*) (seu duro cortice.)

[*cc*] Hoc Vocabulum derivatur à nonnullis ἀπὸ τοῦ πώματος, h. e.

h. e. à *potione*, quoniam ex *omnibus* ferme POMI *Potiones* possunt fieri, & fiebant quoque *antiquitus*.

Nummus est Materia formâ publicâ *(dd)* percussa, cujus vis ex imposita aestimatione constat, quia, ut inquit Aristoteles, τ' ὀνομαίχι ὅτι ὐ φύσι, ἀλλὰ νόμῳ ἐςί; *(ee) Pecuniae* verò appellatione NUMMI continentur, & hoc amplius *omneis Res* sive *mobileis*, sive *Soli*, & tam *Jura*, quàm *Corpora*, ut tradunt *Juris Auctores*, in se habet. Augustinus de Disciplinâ Christianorum: *Quicquid homines possident in terrâ, omnia, quorum Domini sunt*, Pecunia *vocatur*, Servus *sit*, Vas, Ager, Arbor, Pecus, *(ff) quicquid horum est*, Pecunia *vocatur*; Et *ideo* Pecunia, *quia* Antiqui *totum*, *quod habebant*, *in* Pecoribus *ponebant*.

(dd) & quidem ad *Rerum praeclare gestarum memoriam*, quemadmodum scribit *Brissonius* Lib. 4. de *Formul.* p. 354. Et *talis* NUMMOS, curiosè, ac studiosè adhibita explicatione, jampridem exhibuere *Octavius de Strada* à Rosberg, *Ezechiel Spanheimius*, & *Carolus* meus *Patinus*, Viri sanè digni, ut *Jovis* atque *Minervae* epulis quotidiè intersint.

(ee) Est autem NVMMVS vel *Denarius*, vel *Sestertius*, vel *Joachimicus*, vel *Aureus*. Sed NVMMI *adulterini* sunt, quos vulgus *falsam* MONETAM appellat. Sed quaeris, ubi NVMMOS varii *Numismatis* reperias? Apud *Nummularium* nempe, vel in *nummaria* cista *nummosi* Mercatoris.

(ff) Inde & *Pecuniae* nomen, quia *primitùs* signo *Bovis*, vel *Ovis* signabatur.

Nunciatur (gg) de Longinquô; *Denunciatur* de Praesenti; *Renunciatur* de Excusandô, & Repudiandô. Cicero: Renunciata *est tota conditio*. *Obnunciatur* mala Res; *Annunciatur* bona, sed futura. *Donat.* & *Agraetius*.

(gg) *Nunciare* est rem nunc gestam significare. Sic, loquente *Comenio*, est *Nuncius* is, qui aliunde quid *nunciat*, laetum *nuncium* hilariter *annuncians*, tristem dolenter *obnuncians*. *Praenuncius praenunciat* aliquid nondum factum; *Renuncius* affert, quod alter *renunciavit*. *Internuncius* ab altero ad alterum trasmeando *internunciat*. Judex *pronunciat* sententiam, Reoque *denunciat* Poenam, sed Arcana Reipublicae non *enunciat*; quandoque officium JUDICIS *renunciat*, atque tùm in locum ejus *renunciatur* alius. Conf. quae *supra* ad pag. 42. seq. sunt dicta.

(*) Ole-

O.

[*] *Obedio* semper in Bonis; *Obsequor* in Malis quoque.
(*) *Obscurus* natura; *Obscuratus*, obscurus factus.

O*bstare* est se objicere, vel opponere (*bb*); *Obsistere* quâlibet re impedire. Plautus in Curculione. Act. 2. Sc. 3. v. 12.

Obstant, obsistunt, *incedunt cum suis sententiis*.

(*bb*) h. e. *contra stare, adversari, impedire*. Vnde *Obstaculum*, quod idem est, ac *Impedimentum obstans*.

Obsecratio erat, cum DII irati *precibus* rogabantur; (*ii*) *Supplicatio*, cùm ob rem benè, ac feliciter gestam inprimis ob *victoriam*, gratulatio, vel honor DIIS habebatur. Livius Lib. 37. Supplicatio *circa omnia pulvinaria*, & Obsecratio *in unum diem indicta*. Idem Lib. 41. Supplicationibus *habitis jam*, & obsecratione *circa omnia pulvinaria factâ*. Svetonius in Claudiô Cap. 22. *Utque dira avi in Urbe, aut in* CAPITOLIO *visa*, Obsecratio *haberetur*.

[*ii*] *Generaliter* significat *Preces*, *Deprecationem*, vel *Obtestationem*. Vnde CICERONIANAE FORMVLAE: *Obsecratione uti*, & *Obsecrationem repudiare*. Leg. *Doletus* loc. alleg. fol. 113. fac. a. col. 2. Diversa autem *Obsecrationum* genera apud *Antiquos* fuisse, docet acutissimus Vir, *Brissonius* Lib. 5. de *Form*. p. 717.

Obsecro, & *Obtestor* majorem vim habent, quàm *Oro*, & *Rogo*. Nam *Obsecrare* est quasi ob *Sacra*, & *res carissimas* postulare; *Obtestari* est precari cum mentione *earum rerum*, per *quas* petimus, ut per DEOS, per SE; *Orare*. (*kk*) est *humiliter*, & cum *veneratione* petere; *Rogare* cum *precibus* supplicare. Cicero ad Curionem; *Ut ego te* obsecrare, obtestari*que non dubitem*. Idem ad Atticum: *Idque ut facias, te* obtestor, *atque* obsecro. Et ad Fabium: *Pro amore nostro* rogo, *atque* oro. Plaut. in Milite Act. 4. Scen. 1. v. 24.

Nunc te orare, *atque* obsecrare *jussit*.

Sallust. Lib. 1. Historiar. *Quod ego vos oro, atque* obsecro. Idem in Jugurtha: *Lacrumans per Amicitiam, perque*

Rem-

Rempublicam obsecrat. Livius Lib.39. Orare,*atque* obsecrare,*ut sibi Senatum adire, ac deprecari liceret.*

(*kk*) ORARE *proprie* est praemeditatum sermonem loqui, & dicitur quasi *ore agere*. Sic quando cum *Homine*, seu *Deo* jungitur, *precari* denotat; quando verò cum *Re*, significat *petere*. Ab *Antiquis* etiam positum est pro *Agere*. Vid.*Perotti* Cornucop.*Epigr*.11.col.641.lin.33. sqq.Caeterùm ORO plus est, quàm *Rogo*; OBSECRO plus, quàm *Oro*; OBTESTOR plus, quàm *Obsecro*; AMBIO magna. Ideoque plus facit ORANS, quàm *Rogans*; & OBSECRANS plus, quam *Orans*.

[*] *Obtinemus* nondum Nostra; *Retinemus*, quae Nostra sunt. *Obtinemus*, quae aliorum Potestate in *periculum* vocari possunt; *Retinemus* ea, quae perire non possunt, nisi nostra Voluntate. *Goclenius* loc.cit.p.219.

[*] *Occasio* respicit solum *Tempus* ad rem perficiendam idoneum,& est, *Cicerone* loquente, ipsa *Tempestivitas*; *Facultas* verò omnia *Instrumenta* continet, & *Adjumenta*.

Odorum est, quod ex se *Odorem* mittit, (*ll*) ut *odora* Viola. *Odoratum*,quod aliunde accipit *Odorem*,ut Templum *odoratum*. Martialis Lib.6.Epigr.8.v.5.

Tantus Veris honos,& odorae gratia FLORAE.

Confunduntur tamen haec interdum,& ODORATUM idem est, quod *Odorum*. Virg.(*) Lib.3.Georg.v.414.

Disce & odoratam *stabulis accendere cedrum.*

Idem Lib.6.Aeneid.(*) v.658.

Inter odoratum *Lauri Nemus.* - -

(*ll*) seu *Odorem* spargit. Sic Res *odora odorat*; nos autem *Odorem* illum *odoratu* nostro *odoramur*. *Odorarius* è rebus *odoratis* parat *odoramina*. Sed *inodorae* nec vestem,nec aliud *inodorant*.

Officina est Locus, in quô Artifices *Opera* faciunt;*Taberna*, ubi eadem *Opera*, vel *Merces* venduntur, cui, qui praeest, *Institor* vocatur, ut *Magister officinae*. (*mm*) Sic dicitur OFFICINA *Pictoris*, *Statuarii*, *Fabri*, *Sutoris*, & aliorum *Opificum*; TABERNA verò *argentaria*, *vinaria*, *ferraria*, *cauponia*, *purpuraria*, & similes, quae in Libris *Jurisconsultorum* passim nominantur. Paulus Sententiar.2.l.7.13.D. de Fund.instr. *Quod cum discipulis eorum*, *qui* Officinis, *vel* Tabernis *praesunt*,*contractum est*, *in* Magistros, *vel* Institores, *in solidum actio datur*. Quanquam illi ipsi Jureconsulti TABERNAE appellatione intelligunt *omne Ædificium*, quod est utile

ad

ad *habitandum*, vel *commorandum*, auctore *Vlpian.* L. 183.D.de Verb.Sign.Et sic Catullus (*nn*) dixit:

Frontem Tabernae *suscipionibus scribam.*

Et Carm.55.v.2.

Demonstres, ubi sunt tuae Taberne. (*oo*)

[*mm*] Conf.*Vallae* Lib.4. *Elegantiar.* Cap. 44. pag.283. & ex eo *Gocleni* observat.L.I.p.239.

[*nn*] Carm. 37. v. 10. ubi in multis *Editionibus* pro *Suscipionibus*, extat SCIPIONIBVS.

[*oo*] Heic pro *Tabernae* in utraque *Tuscanelliana Editione*, non adeò incommodè legitur *Latebrae.*

(*) *Officium* est voluntarium, & semper cum *Ratione*, & *Mente* conjunctum; *Studium* est Voluntatis; at non *Affectionis*, carens plerumque *Ratione. Labore* corpus ipsum defatigatur.

(*) OFFICIVM majus est, quàm *Studium*; BENEFICIVM majus, quàm *Officium.*

Olea (*pp*) est Arbor ipsa, unde derivatur Oleum; *Oliva* Fructus ipse, unde est *Olivum.* Legimus tamen *Olivam* & de *Arbore*, ut:

Incumbens tereti Damon, sic coepit, Olivae. (*qq*) *Serv.*

(*pp*) *Olea* profert *oleosas olivas*, è quibus *Olearius* in *olivaria* Mola exprimit *oleitatim*, & conficit *Oleum*, excipitque *Olivum* expressum in vasa olearia, Foliis *oleaceis*, & Fracibus *oleagineis* aliò reservatis. *Comenius.*

(*qq*) Hic versus extat apud *Virgilium* Ecl.8.v.16.

[*] *Omen* fit ore; *Auspicium* aspectu; *Augurium* garritu Avium.

[*] *Omitto* Totum; *Intermitto* Partem; *Remitto* relaxando Continuationem. *Goclenius.*

Omnis ad quantitatem discretam; *Totus* ad continuam refertur: sive OMNIS de *Vniversis numerò distinctis*, ut *Omnis* GREX; TOTVS de *Corpore integrò* dicitur, ut *Tota* DOMVS. Licet Poëtae, non semper hanc differentiam observent, quorum testimonia *Nonius* adducit.

[*] *Omnis* nullam excipit; *Cuncti* omnes in uno loco; *Vniversi* quasi ad unum versi.

[*] *Omne* à Numero; *Integrum*, & *Totum* à Partibus.

Oneratus est qualicunque pressus pondere; (*rr*) *Onustus*, cui onus ipsum Honori est, Vt si quis *Hostium spolia* ferat: sed *Oneratus* aspirationem non habet, quia ab

onere

onere venit; *Honestus*, quia etiam ab *honore* descendit, retinet aspirationem, *Servius*.

(rr) seu cui *Onus* est impositum; *Querosum* autem, quod *onerat*.

Opera est labor; Actio, & Industria, *(ſſ)* ut cùm dicimus, OPERAM *dare, navare, sumere, perdere*; *Opus* est id, quod *opera* perficitur, aut post *operam* extat, ut OPVS *rusticum, textorium, fabrile, caelatum, sculptum*. *Vnde* OPVS *facere, locare, conducere*, elegantes, & usitatae locutiones. Terentius in Heavtontimor. Act. 1. Sc. 1. v. 21.

Quod in opere *faciundo* operae *consumis tuae*.

Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. *Si quid datum pro* operâ, *aut* opere. *Merces à merendo*. Interdum tamen OPVS pro *Opera* sumitur. Cicero Lib. 2. Officior. *Neque Agricultura, neque Frugum, Fructuumque reliquorum perceptio, & conservatio sine* opere *hominum esse ulla potuisset*. Idem ibidem; *Adde ductus Aquarum derivationes Fluminum, Agrorum irrigationes, Moles oppositas Fluctibus, Portus manu factos, quae unde sine hominum* opere *habere possemus?*

(ſſ) Operantis nempe, seu qua *Opus* fit. Vt autem eximium *Opus* efficiatur, opus est *Operarios* jungere, *Operasque* fideliter *operari*, & sibi invicem cooperari tantopere, *quantopere* apparet, rem esse *operosam*, & requirere *operosarum* manuum *operositatem*.

Operam, & *Operas* ita distinguit *Servius*, ut OPERA significet *Actionem*; OPERAE, *Homines mercede conductos*. Cicero pro Flaccô: Operae *facessant, servitia sileant*. Sed *Jurisconsulti* frequenter OPERAS *Actiones*, & *Ministeria* vocant in *Titulo*, quem de *Operis Libertorum* fecerunt, atque etiam ipse Cicero Lib. 3. Offic. *Pleraque sunt Hominum* Operis *effecta*. Et alibi: Operas *in Scripturâ pro Magistrô dat*. Itaque puto rectiùs dici de *Actione* OPERAM, & OPERAS; de *Personis* OPERAS tantùm.

u) Hujus Vocis significatio tam *elegans* est, ac *trita*, ut loquente *Dorno*, sexcentos ferme loquendi modos à *Latinis Scriptoribus* usurpa-

tos

tos in se contineat. Leg. *Nonius Marcellus* de Propriet. *Sermon.* fol. 256. fac. a.

Opes Num. Plur. *Divitias* significat; Num. Singul. *Auxlium*; utrôque Numerô *Possibilitatem*. OPIM quando dicimus, Nympham significamus; si autem dicimus OPEM, *Auxilium*. (uu) *Opes* Num. Plur. etiam *Auxilia*, & *Censûs* accipimus. Nam OPS (xx) eadem Terra Uxor est *Saturni*, quam *Graeci* RHEAM vocant. *Servius*.

(*uu*) Cui enim *Opes* sunt, is facilè potest *Opem* ferre.
(*xx* OPS Antiquis *Multitudo* est, & ponitur non solùm pro *Opem ferente*, sed & pro *Opulento*. Unde INOPS, & COPS pro *Coops*. Vid. *Laurenbergii* Antiquar. p. 311. col. b.

Opinio hominem suspectum facit, *Fama* vel commendat, vel destruit. *Opinio* ostendit, *Fama* indicat; *Rumor* tumultuatur.

[*] *Oportet*, & *Opus* minùs sunt; *Necesse* plus. Porrò OPORTET instar *Speciei* se habet; LICET est *Genus*. Sed DECET convenit *Personis*, & *Temporibus*.

Oppidum minus, est & vilius; (yy) *Urbs* nobilior. (zz) Unde Metropolis *Urbs*, & κατ' ἐξοχὴν ROMA dicitur *Urbs*, Svetonius in Augusto: Urbe, Oppidove *ullo egressus*. Confunduntur tamen haec duo ab optimis Auctoribus non semel, neque ullâ re aliquâ differunt, nisi *Etymologia*. Cicer. Lib. 1. de Legib. *Ejusmodi conjunctionem tectorum* Oppidum, *vel* Urbem *appellarunt*. Idem Lib. 1. de Divinatione; Pheras *venisse*, *quae erat* Urbs *in* Thessaliâ *tùm admodum nobilis*, *in eô igitur* Oppidô. Varro Lib 4. de Linguâ Lat. *Quare &* Oppida, *quae prius circumducta aratro ab orbe, & urvo* Urbes. Sulpitius ad Ciceronem de Corintho, Aegina, & Megara: *Quae* Oppida *quodam tempore florentissima fuerunt*.

(*yy*) Describitur autem, quòd sit *Habitaculorum compages*, *Pago major*, qs. à *mutua Ope* petenda.
[zz] Dicitur enim *Oppidum muris*, & *fossis cinctum*, seu *Locus urbatus*, ab antiquo URBARE, quod idem est, ac *Arare*. *Aratro* enim *Civitatis Muros* Antiqui solebant describere.

Orator est, qui in *Caussis publicis*, & *Privatis* perfectâ utitur Eloquentiâ; (a) *Exorator*, qui aliquid impetravit;

Rhe-

Rhetor, qui Artē Eloquentiae profitetur; *Declamator*, qui aut docendi alios, aut se exercendi gratiâ fictam causam privatim agit, ut possit veram publicè orare. Aliquando tamen, ut quidem semper apud *Graecos*, RHETOR accipitur pro *Oratore*, vel *Declamatore*. Cic. Lib. 2. de Naturâ Deorum: *Nae Ego*, inquit, *incautus, qui cum* Academico, *&* *eodem* Rhetore *congredi conatus sum. Nam neque indisertum* Academicum *pertimuissem, neque sine ista Philosophia* Rhetorem *quamvis eloquentem*.

(a) seu qui in *Judiciis*, vel in *Concionibus Causas* agit. Propriè autem is est ORATOR, qui aliquid rogat, cujus Foemininum ORATRIX. ORATOREM etiam *Legatum* designare, *Carolus Paschalius* in *Legato* Cap. 2. p. 7. seqq. testatur. Cont. *Schardii* Lexic. Juridic. p. 657. col. b.

Oratio (*b*) est, quae copiosè, graviter, & ornatè rem exponit; *Sermo* (*c*) est Oratio remissa, & finitima quotidianae locutioni. vel, ut *Servius* definit, Sermo *est consertio orationis, & confabulatio duorum, vel plurium, à serendo* dictus. Vnde & pro *familiari Colloquio*, & *Fabulatione* sumitur, ut quod Plautus in Sticho Act. 4. Sc. 1. v. 71. dixit, *Lupus est in Sermone*, hoc Terent. in Adelph. Act. 4. Sc. 1. v. 21. dixit, *Lupus est in Fabula*. *Sermo* omnium Gentium est, *Loquela* Dialectus cuilibet Genti propria. *Corn. Fronto*.

[*b*] *Grammatici* ORATIONEM vocant congruam dictionum ordinationem, quae perfectam habeat sententiam.

[*c*] utpote qui à *Compositis*, & simul *Contextis* verbis sic dicitur. Notandum autem, quòd ORATIO magis ad *Oratorem* pertineat, quoniam ex omni parte perfecta est, dum *Numeros*, *Figuras*, atque *Affectus* habet; SERMO verò magis ad *Philosophum*. Leg. *Perotti Cornucop.* col. 1043.

Ordinatio simplex est; *Dispositio* (*d*) vaga. *Corn. Fronto*.

[*d*] Vid. *Nizolii* Thesaurus Ciceronianus col. 464. Edition. *Jacobi Cellarii* in fol.

(*) *Ortus* est natus; *Oriundus* ducens originem.

Osculum est *Officii*, ut cùm *Advenientes, Discedentesve* salutamus, atque osculamur; vel *Religionis*, ut Virgil. Lib. 2. Aeneid. v. 490.

Amplexaeque tenent Postes, atque OSCVLA *figunt*.

Ti-

Tibullus *Lib.1.Eleg.5.v.54.*

Et dare secretis OSCULA *Liminibus.* (e)

Suavium verò est *Amoris*, & *Libidinis*. Unde, & pro *Amoribus* dicunt Comici, *Meum Suavium*; ut apud Graecos φίλημα simul, & OSCULUM, & *Amores* significat. (f) Varro de vitâ Populi Rom. *Itaque hoc ab Ore dicitur* OSCULUM: *Hoc à* Suavitate SUAVIUM, *quod simile sit* suavitati.

(e) *Hic versus* in utraque Editione *Horatii Tuscanellae* non prorsus ineptè sic extat:

Et dare sacratis *oscula* Luminibus.

Ubi enim fortè *Oculorum Oscula* sunt intelligenda.

[f] Conf. *Discursùs* nostri de OSCULIS *Philologici*, cap. 6. p. 85. & in id *Additamenta* p. 178. sqq. *Edition. novae.*

Ostentum est, quod *praeter consuetudinem* apparet, veluti si videatur *Coelum* ardere, aut *spectrum aliquod* se ostendat; *Portentum*, quod *porrò*, & *diutius* tendit, *futurum*que aliquid postea indicat, ut Ululatus *Canum*, *Statuarum* Dejectiones; *Prodigium*, quodcunque *antè* praedicit; *Monstrum*, quod *contra Naturam* est, & eò monet *Futura*, ut *Homo tripes*, *Minotaurus*. Leg. 38. & 175. D. de Verb. Sign. (g) Cicero Lib. 2. de Naturâ Deorum num. 7. *Praedictiones*, & *Praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint,* ostendi, monstrari, portendi, praedici? *Ex quô illa* OSTENTA, MONSTRA, PORTENTA, & PRODIGIA *dicuntur*. Est tamen interdum, ut priora duo *latiùs* accipiantur, & OSTENTUM significet omne *contra Naturam* cujusque rei factum, genitumve; PORTENTUM quicquid *mirum*, & *inusitatum* evenit. In OSTENTO raritas *admirationem* facit; in MONSTRO *rectus Ordo Naturae* vertitur; in PORTENTO differtur *Eventus*; in PRODIGIO *detrimentum* significatur. Lucilius Lib. 15. *Satyr.* (*) p. 171.


Multa homines Portenta *in* HOMERO *versificata*
Monstra *putant*, *quorum inprimis* Polyphemus
ducentos

Cy-

Cyclops longus pedes, & porro huic majus bacillum,
Quàm malus navi in corbita (h) maximus ulla.

[g] *Perottus* in *Cornucopiae* Epigr. 2. col. 296. lin. 28. seqq. quatuor haec Nomina inter se sic *differre* dicit, ut OSTENTVM statim *futurum aliquid* indicet, qualia sunt *sereno die facta Tonitrua*, *Cometae Mulae partus*, & similia. Leg. *Doleti* Phrases, & Form. *L. L.* eleg. fol. 121. fac. a col. 1. PORTENTVM, licèt *naturale* sit; raró tamen *se* ostendit, & *futurum aliquid* cum *temporis intervallo* denunciat; Ideoque aliquando etiam pro *Re inani*, *falsa atque ridicula* ponitur. PRODIGIVM, etiamsi & *naturaliter* fit, atque *persaepe* evenit; semper tamen *mali* quid praesagit. Quapropter & *Prodigium* quidam dictum volunt; quasi *porro agendum*. MONSTRVM propriè fit *contra Naturam*, ut si *Homo* cum *Bruti capite*, *pedibus*ve nascatur, quae & *Praemonstra* aliquando dicuntur, quasi *porrò aliquid monstrantia*, sive *monentia*.

(h) *Corbitam* genus *Navigii* tardum, & grande denotare, *Nonius* ad h. l. fol. 258. fac. b. haud ineptus Auctor est.



AUSONII POPMAE
DE DIFFERENTIIS VERBORUM
LIBER QUARTUS.



Acisci est de Re certâ, & indubitatâ *(i)* convenire, ut *Pacisci Nuptias*, vel *Mercedem*, *Pacisci* ne petatur; *Transigere* verò est Rem dubiam, & Litem incertam, neque finitam, aliquô datô, retentô, promissôve decidere, auctore Ulpianô l. 1. D. de Transf. Virgilius: *(k)*

- - *Vitamque volunt pro laude* pacisci,

(i) [seu de *dandis*, & *reddendis* certa conditione]
(k) Lib. 5. *Aeneid.* v. 230.

Pactum est Contractus inter duos, pluresve, qui proprium nomen habet, ut EMTIO, VENDITIO, LOCATIO, aut CONDUCTIO; *Pactum Conventum* *(l)* est quod inter aliquos convenit tantùm, nec proprium *Contractûs* nomen adsumit; ita appellatum, quòd non *Lege* firmetur, sed ex *solo conventu* valeat, ut *Jurisconsulti* scribunt. Leg. 1. & 6. D. de Pact. Cicero Lib. 2. Rhetoric. *Sunt idem* Pacta, *quae sine* Legibus *observantur* ex Conventu, *quae juri praestare dicuntur.*

(l) Pactum Conventum in *Iure* appellatur sine *conjunctione*, seu *conventione media*; *nudum* PACTVM intelligitur, quod *solo consensu* constat. Nam alterum *vestitum* appellant, hoc est, *aliquo certo Jure* formatum, quod praeter *consensum Partium* etiam vim habet ex *Iure Civili*, & tunc aliud nomen accipit. HOC propriè *Actionem* parit; ILLVD *Exceptionem* duntaxat. Leg. *Gockenius* loc. cit. p. 240. seq.

Pactus dicitur, qui cum alterô convenit; *Depectus*, qui turpiter pactus est. Cicero pro Sext. Roscio: *Ipse tria praedia* depectus *est*. Ulpianus ad Edictum 10. L. 3. §. si igitur. D. de Calumn. Hoc *Edicto tenetur etiam is, qui* depectus *est*. Depectus *autem dicitur* turpiter pactus.

Simi-

Similiter *Pactor*, qui convenit, aut *Societatem* coivit cum altero; (n) *Depector*, qui turpis questûs, aut lucri gratiâ rem aliquam paciscitur. Cicero Orat. 7. in Verrem: *Foederum Interpretes, Societatis* Pactores, *religionis auctores*. Apulejus *Lib.* 2. Apologiae: *Litium* Depector, *omnium falsorum commentator*.

(n) sive *propriè*, qui *inter Parteis* paciscitur.

Pactum, & *Pactio* Sunt diversa apud *Oratores*, & *Historicos*, apud quos *Pactio* est conventio de re communi, aut publicâ inter *Collegas*, *Socios*, *Mancipes*, aut eos, qui *Pacem*, vel *Amicitiam* conditionibus dictis paciscuntur; *Pactum* verò est conventio de *Re quacunque*, & inter quoslibet. (o) Salluft. in Catilinâ: *Collegam suum* ANTONIUM Pactione *Provinciae perpulerat, ne contra Remp. sentiret*. Cicero pro Caecinna: *Quod Edictum Magistratûs, quod Foedus, aut* Pactio. Idem Lib. 4. ad Atticum: *Haec* Pactio *non verbis, sed nominibus, & perscriptionibus multorum tabulis cùm esse facta diceretur.* Sed apud *Jurisconsultos* nullam Vocabulorum istorum Differentiam esse animadvertimus. Nam & *nudam Pactionem*, & *nudum Pactum* promiscuè, & indistinctè dicunt; ut ex *ipsorum Responsis* liquet.

[o] Ponitur etiam pro *Conditione*, vel *Modo*; ut cùm dicimus *nullo Pacto*, aut *aliquo Pacto* aliquid fieri. Vid. *Doletus* loc. persaepe alleg. fol. 121. fac. b. col. 2.

(*) *Paedagogus* instituit; *Magister* docet. Seneca Lib. 2. de *Nat.* Cap. 21. *Pertinebit ad rem*, Praeceptores, Paedagogosque *pueris placidos dari*.

Pagi sunt Villae rusticanae in eodem tractu, & parte Regionis dispositae; dictae à *pangendo*, & *jungendo*, non, ut *Grammatici* opinãtur ἀπὸ τῶν πηγῶν, id est, à *Fontibus*, quòd illi, qui in unô Pagô habitant, plerumque unô, & eôdem Fonte utantur. (p) *Vici* sunt plures junctae Domus, remotae ab Urbe, & absque moenibus. (q) Itaque *Pagi* sunt Partes *Provinciarum*, seu Praefecturae, in quibus *Vici* insunt, & nonnunquam etiam *Oppida*, ut, HELVETIA olim divisa erat in *quatuor pa-*

gos, qui *Urbes duodecim*, & *Vicos quadringentos* habebant. Tacitus Lib. 1. Annal. 56. *Reliqui omissis* Pagis, Vicis*que* in silvas disperguntur. Idem de Moribus Germ. num. 2. *Eliguntur in iisdem Conciliis & Principes, qui Jura per* Pagos, Vicos*que reddunt.*

(*p*) Vid. PEROTTI *Cornucopiae* Epigr. 2. col. 156. lin. 57. seqq. Hinc *Pagani* dicti, qs. ex eodem fonte potantes, hoc est, *Villani.*
(*q*) Dicuntur autem *Vici*, quòd *Vias* circum habeant.

Palam est aperte, manifestè, & coram pluribus; *Vulgô* est communiter, passim, & à multis, vel in multis locis. Unde *Vulgaris Mulier* in Jure Civili dicitur, quae *vulgo*, & *passim* sui copiam facit. Virgil. (*r*)

Hinc laetis vituli vulgò *moriuntur in herbis.*

Marcellus Digestorum 26. L. 41. de Ritu Nupt. *Probrum etiam intelligitur in his mulieribus esse, quae turpiter viverent*, vulgo*que quaestum facerent, etiamsi non* palam. *id est*, cum multis corpus miscerent, etiamsi non in propatulô, veluti in lupanari.

(*r*) Lib. 3. *Georgic.* v. 494.
[*] *Palpitatio* fit praeter naturam, & accidit homini, etsi nullum membrum moveat; *Tremor* ex dimidia parte voluntarius est motus. Illos enim *Tremere* dicimus, qui cum membrum movere conantur, liberè id, & pro usu suo non possunt, nec protensum, nec suspensum servare, sed iis membrum à Facultate in altum sublatum pondere suo *κατωφέρεται*, rursumque à Facultate animali erigitur, quae vicissitudo motus *Tremor* est. Deinde *Tremoris* Subjectum est cutis, caro cum musculis, nervis, & ossibus; *Palpitatio* verò carnis solùm, cutisque est affectus. Tandem in *Tremore* membrum sursum, deorsumve, dextrorsum, vel sinistrorsum movetur continuè; *Palpitatione* verò in eodem situ manens, & immotum nunc distenditur, repletum quasi à Corpore extraneo, nunc subsidit; & propterea in *Palpitatione* Facultas animalis nullo modo laeditur, quia *palpitans* membrum pro voluntate movere potest aeger; *Tremor* verò à Facultatis motricis imbecillitate, vel ab ea onerata dependet. Haec illustris *Thomas Reinesius* Lib. 2. *Var. Lect.* Cap. 3. p. 139.

Parare (*s*) est ad *Necessitatem* instruere; *Apparare* est ad *Dignitatem*, & *Pompam* parare, ut *Apparare* Coenam, Nuptias. Terentius in Heavtontimor. Act. 1. Scen. 1. v. 73. seq.

Video alios festinare, lectos sternere,
Coenam apparare.

(*s*) Hoc

(*s*) Hoc *Verbum* pro *Comparare*, seu *Emere*, etiam sumi tradit *Gifanius* loc.cit.p.169.

Parvum in Tempore; *Breve* in Spatiô; *Exiguum* in Corpore; *Pusillum* in Corpore Pumilionis.*Corn.Fronto.*

Pasci propriè Bestiarum, & Pecudum est; *Vesci* Hominum. (*t*) ILLVD ad saginam duntaxat refertur; HOC ad *victum*,atque etiam *usum quarumlibet rerum*; ut *Vesci voluptatibus* dixit Cicero; *Vesci auris vitalibus*, *Sermone*, Lucretius. Interdum tamen PASCI *Hominum* est pro *foveri*, & *sustentari*; VESCI etiam *Bestiarum*. Cicero: Pasci *scelere*, & *maleficio*: (*u*) Varro de Re Rust.in *specie* de Ovibus: *Quaecunque jubentur*, vescuntur, *ut folia ficulnea*, & *paleas*, & *vinacea*. Plinius Lib. 10.*Aves nonnullae* vescuntur & *ea*, *quae rapuere*.

(*t*) Sic *vescis* carnibus libenter *vescimur*, si non veniunt à *vesculo* Animali.Comen.

[*u*] Sic idem *Cicero* ad *Attic*. (& quidem in *bona* significatione) dicit PASCI (id est, delectari) *alicujus Bibliotheca*.Quando autem *Ovidius* Lib.1. *Amor*. infit: *Livor* pascitur *in vivis*, tunc eleganter PASCERE, pro *Crescere* usurpatur.

Pascentia sunt, quae ex se pascuntur, ut *Prata*, & *pascentia Mancipia*, quia pascuntur, Ideo etiam Pastores vocantur; *Pabulantia* verò, quae iis utuntur, ut *Jumenta*. *Corn.Fronto.*

Pastus significat cibum, & omni *Animantium* generi convenit; (*x*) *Pastio* propriè est actus ipse pascendi, & de *Brutis* tantùm dicitur, ut *Pastio Villatica*. Cicero Lib.2.de Naturâ Deorum:*Quis pecudum* Pastus,*quae vita Silvestrium?* Varro Lib.3. de Re Rust.*Altera est villatica* Pastio, *altera agrestis*.

[*x*] & tunc est *Substantivum*. Quando vero est *Adjectivum*, tunc significat eum, qui *cibum* sumpsit.

Patens est, quod *ad tempus* patet, ut *Januae*, *Portae* patentes; *Patulum*, quod *semper* patet, ut *Bos patulus*, qui cornua diversa, & latè distantia habet.Plaut.in Truculentô Act.2.Sc.2.v.22. *Arbor* patula. & patulae *Quadrae*,Virgilius. (*y*) Patulus *Mundus*,Lucret.Lib.6.

[*y*] *Eclog*.1.v.1.de *Fago*, & Lib.7. *Aeneid*. v.115. Sic *Naves* patulae Lib.1. *Georgic*. v.376. & patulae *Puppes* Lib. 3 Georgic. v. 363. Conf. *Taubmanni* Commentar.ad *Virgilii Culic*.v.16.

Patrii Dii sunt singulis Civitatibus, ut MINERVA *Athenis*; JUNO *Carthagini* : (z) *Indigetes* autem propriè sunt Dii ex *Hominibus* facti, quasi in Diis agentes, ut *Aeneas Romulus*. Servius.

(z) BACCHVS *Thebis*; PLVTO *Elidi*; VULCANUS *Lyparae*, ac *Lemno*, &c.

(*) *Patronus*, vel *Advocatus* dicitur, qui defendit alium in Judicio, vel Jus suggerit, aut praesentiam suam commodat Amico; *Procurator*, qui negotium Absentis nomine suscipit; *Cognitor*, qui praesens causam novit, & sic tuetur, ut suam. Hodie omnis hujusmodi functio *Causidicorum*, & *Procuratorum* saltem, i.e. *Cognitorum*, nominibus continetur. Vid. *Goclen*. loc. saepissimè denomin. p. 241.

Pavidus est semper timens; *Pavens* ex causâ. *Serv.*

[*] *Paucitas* refertur ad Quantitatem *discretam*, seu *Numerum*, & opponitur PLVRIBVS; *Parvitas*, ad Quantitatem *continuam*, & ad *Corpus*, & opponitur MAGNIS. Idem *Goclen.* 16.

Paupertas est ipsa Pauperis conditio; *Pauperies* est damnum sine injuriâ facientis datum, ut cùm Animal, quod sensu, & ratione caret, damnum intulerit, de quô prodita est Actio, *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur; perquam consequimur, ut vel detur ipsum Animal, quod noxiam commisit; vel noxae, & damni aestimatio praestetur.* (Inst. Si Quadrup. pauper.) Sed interdum PAUPERIES significat ipsam *Paupertatem*, ut apud *Horatium* non semel.

[*] *Pax* est inter Personas *publicas*, & de maximis Principum dissidiis; *Concordia*, seu *Otium*, inter *privatas*, & de rebus domesticis *Compositio* inter *offensas*.

[*] *Peccat* aliquandò, qui, quod debuit, fecit, sed non rectè; *Delinquit* propriè, qui fecit, quod non debuit.

[*] *Pecora* mixtura Animalium; *Pecudes* non item.

Pedale Mensura est Pedis; *Pedule* verò Pedibus involvendis praestat utilitatem, *Corn. Frouto.*

Pejus est à *Malo*, quod in usu est, & creberrimè frequentatur; *Deterius* verò à *Bono*, ut minoris sit meriti, quàm id, quod placet. Nonius.

Penetrale dicitur, quod penetrat; *Penetrabile*, quod penetratur. Servius.

Perculsum animo, *Percussum* corpore dicimus. Cicero de Signis: *Tanquam illa face perculsos esse.* Agraetius.

[*] *Percutere* de *Instrumentis gravioribus* dicitur, quibus vulneramur,

mur, vel occidimur; *Verberare* de *Virgis*, & *Fustibus* Conf. *Gifanii* Observation. *L. L.* p. 350.

[*] *Perdere* plus; *Amittere* minus. Sed quod Litteratores quidam dicunt, *Perdimus* consultò; *Amittimus* inconsultò, eis refragari *Latinorum* usum constat. Leg. *Goclenius* loc. cit. p. 241. seqv.

Peregri in Loco; *Peregre* ad Locum significat, ut *Peregrinatus*, peregrè profectus. Plautus in Persa. Act. 1. Scen. 1. v. 50. *Quia Herus* peregri *est*. Idem in Amphitruone. Act. 1. Scen. 1. v. 196. *Bene facit; quia nos eramus* peregrè, *tutatus est domi*. Idem ibidem Act. 2. Scen. 2. v. 216. *Ita nunc homines immutantur, postquam* peregrè *advenimus*. Sed haec Differentia, cujus auctor *Charisius*, non est certa, & perpetua; & constat *Veteres* propter affinitatem Litterarum E, & I, promiscuè haec talia efferre *Herè*, & *Heri*; *Vesperè*, & *Vesperi*; *Praefiscinè*, & *Praefiscini*.

[*] *Perfuga* est, qui ad *Hosteis* profugit. Aliquando dicitur *Transfuga*, qui à suis deficiens *aliis* se adjungit, vel in *Hostium Castra* transfugit; *Profugus*, qui è *Patria*, seu *Domicilio*, sive *Finibus*, in quibus ante egit, profugit. *Perfugium* autem, atque *Profugium* CICERONI unum sunt.

[*] *Permittimus*, quod *Potestati* concedimus, ut liceat; *Committimus*, quod *Fidei* credimus, ut deceat. *Goclenius*.

Perna est pes Porci; (*aa*) *Petaso* autem est ipsa coxa. Ita *Perna* est pars petasonis, auctore Athenaeo Lib. 14. Dipnosophist. *his verbis*: Ἐκεῖ δὲ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ἣν πέρναν καλοῦσι. Varro Lib. 2. de Re Rustic. *E Gallia apportantur Romam* Pernae, *Tomacinae, & Teniacae, &* Petasones. Cato de Re Rustic. *Cùm* Pernas *emeris, ungulas earum praecidito*. Horatius (*bb*) tamen dixisse videtur *Pernam* pro *Petasone* his verbis.

Quicquam praeter olus fumosae cum pede Pernae.

[*aa*] seu armus *Porci* salitus, & infumatus, *Ventriculo* inprimis conveniens; cùm contrà PERNIO, *Comenio* teste, *pedes* affligit.

(*bb*) Lib. 2. *Sermon*. Sat. 2. v. 117.

Pernicitas est celeritas, quae cum nisu, & conatù tendit, ut in *Avibus*, quarum alae pernices; (*cc*) *Celeritas* est animorum, & Corporum; *Velocitas* est Corporis, & Pedum agilitas, levitasque. (*dd*) Cicero Lib. 5. Tusculanar. *Praestans valetudine, viribus, formâ, acerrimis in-*

tegrisque sensibus, adde etiam, si lubet, Pernicitatem. Livius Lib. 35. *Quos in expeditione*, velocitate *corporum, ac levitate armorum aptissimos esse ratus est*. Idem Lib. 36. *Juvenes maximè vigore, ac* levitate *corporum veloces.*

(*cc*) Sic *Pernix* est, qui summa celeritate pernititur.

(*dd*) Ideoque *Velox*, quòd summa quoque celeritate utitur, quasi *volax*, h.e. *volans* à *volando*, est dictus. Notandum autem, quod *velox* Tabellarius *velociter* quidem currit; *velocitate* tamen à *praeveloce* Equo longissimè superatur.

Pernicies significat interitum, calamitatem, ac exitium;(*ee*) *Pestis* afflictionem, & nocumentum. (*ff*) ALTERVM enim dicitur à *pernecando*; ALTERVM à *pessundando*, quod minus est. Lucilius Lib. 2. Satyr.

- - - *Hostibus* (*gg*) *contra*
Pestem, Perniciem*que.*

Terentius in Adelphis Act. 2. Sc. 1. v. 34.

- - - Pernicies *communis Adolescentium,*
Perjurus, Pestis.

Cicero Lib. 1. Officior. *Ad Bonorum* Pestem, Perniciem*que convertere*. Idem Orat. 1. in Catilinam: *Cum tua* Peste, *ac* Pernicie, *cumque eorum exitiô*. Et pro Rabiriô: *Contra* Pestem, *ac* Perniciem *Civitatis valeret.*

(*ee*) Vnde Formulae *Ciceronianae* illae: *Pernicie opprimi*, *Perniciem depellere*, *Perniciem comparare*, *in* Perniciem *incurrere*, Perniciei *occurrere*, Perniciem *moliri*, *ad* Perniciem *instruere*, *&c.*

(*ff*) Sic dicimus cum eodem Cicerone: *Pestem machinari*, *Pestem afferre*, *Pestem importare*. Et è contrario *Pestem comprimere*, *Pestem reprimere*, *Pestem avertere*, *Pestem depellere*, & *exsecare*, &c.

(*gg*) *Stephani* Editio p. 153. legit heic pro *Hostibus*, HOSTILIBVS.

Perpetuum propriè ad Homines; *Sempiternum* ad Deos, pertinet, inquit *Donatus*. Terent. in Andriâ Act. 5. Sc. 5. v. 3.

Ego vitam Deorum propterea sempiternàm *esse arbitror.*

Et *Perpetuum* est continuatum, non interruptum; *Sempiternum*, quod semper manet. Cicero Orat. 4. in Catilinam: *Vobis illum ignem* VESTAE perpetuum, *ac* sempiternum.

(*) *Per-*

[*] *Perpetuitas* est continuitas, cùm non intermittitur aliquid, ideoque designat medium, & tollit interruptionem; *Aeternitas* extrema curat, & tollit interruptionem. *Goclenius.*

Pertinax est, qui obstinatè tenet, & pertendit id, in quo non debet pertendi; *Pervicax* est, qui constanti, & infracto animo rem gerit. HIC laudem ; ILLE vituperationem meretur . *Pertinax* in Re mala; *Perseverans* in bona; P*ervicax* in utraque.

Attius in Myrmidonibus:

Tu Pertinaciam *esse*, Archiloche, hanc praedicas,
Ego Pervicaciam *ajo, & eâ uti volo:*
Nam Pervicacem *dicis me esse, & vincere:*
Perfacile patior; Pertinaciam *nil moror:*
Haec fortes sequitur, illam Indocti possident.
Tu addis, quod vitio est, demis, quod laudi datur. (*hh*)

Plautus in Captivis. Act.2.Sc.2.v.39.

Quid tu ais? tenaxne Pater ejus est? Immo edepol pertinax.

Sed confunduntur interdum, & PERTINAX in *bonis*, (*ii*) PERVICAX in *malis* Rebus est. Livius Lib.35.*Vicit tamen omnia* pertinax *Virtus* . Seneca ad Lucilium: *Nihil est, quod non expugnet* pertinax *opera, & intenta, ac diligens cura.* Terentius in Hecyra. Act.4. Sc.1.v.17.

Adeone pervicaci *esse animo, ut puerum praeoptares perire.*

(*hh*) Heic pro *laudi datur*, legit *Stephanus* p. 29. praeunte *Nonio*, LAVDATVR.

(*ii*) Sic Val.Maximus *Pertinacem* [quoque] *Deorum indulgentiam* dicit. Inde factum, ut *Pertinacia* saepe pro *Constantia*, quae cum *Perseverantia* semper in *bonam partem* accipitur, ponatur;quanquam *Perseverantiam generaliter* aliàs sumi è *Classicis* constat.

Pestis significat omne Malum, quòd rem aliquam sive *inanimam*, sive *animatam* affligit ; (*kk*) *Pestilentia* verò (*ll*) est morbus contagiosus, *Homines* infestans. Atque ita veteres, & idonei Auctores his Nominibus ferè utuntur, & raro admodùm PESTEM pro *Morbo pestilenti* dicunt, ut nunc vulgus. (*mm*) Livius Lib. 2. *Ibant unius Familiae viribus* Vejenti *populo* Pestem *minitan-*

nitantes. Idem Lib. 41. *Ad quam* Pestem *frugum tollendam*. Et Lib. 5. Pestilentiam *agris ubique illatam*. Immò soli *Poëtae* PESTEM pro *Morbo pestilenti* usurparunt. Ennius Lib. 16. Annal.

Hos pestis *necuit, pars occidit illa duellis.*

Plautus in *Amphitr.* Act. 2. Sc. 1. v. 33. Pestis *te tenet.* Horatius Lib. 1. *Carmin.* Od. 21. v. 13. seq.

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestem*que à populo*, &c.

Quos imitatur Justinus, non bonus Latinitatis auctor, Lib. 2. Histor. cap. 13. *Multorum deinde dierum inopia contraxerat &* Pestem.

[kk] Vid. quae jam ad *Not. ff.* sunt annotata. Caeterùm *Valla* Lib. 4. *Elegantiar.* Cap. 72. p. 299. inter *Luem*, & *Pestem* hanc dari differentiam dicit, ut inter *Genus*, & *Speciem*. Nam cùm in *Urbe*, aut in *Agro* Febris, aliudve genus Morbi saevit, sive solos *Homines*, sive sola *Pecora*, sive utrosque corripiens, LUES dicitur. Interdum etiam si *Arbores*, ac *Sata* [corripit] PESTIS verò aut citò occidit, aut citò abit ab eo, quem invasit, quae eadem dicitur *Pestilentia*. Nonnunquam tamen pro LUE ponitur, atque ad *Animi* vitium transfertur.

(*ll*) quae plerumque *Loci* est, & *Salubritati* opponitur.

(*mm*) Conf. *Gifanius* loc. alleg. p. 182.

Petere est *simpliciter* rogare; *Poscere* est *instanter*, & *imperiosè* exigere; *Postulare* est *jure* repetere. Unde & pro *Agere in judicio* sumitur, & *Postulationes* sunt *Interpellationes judiciales*. Terentius in Heavtontimor. Act. 5. Sc. 1. v. 53.

Tibi credere omnia, abs te petere, *&* poscere.

Cicero in Frumentaria in Verrem: *Incipiunt* Postulare, Poscere *nimia*. Curtius: Postulabat *autem magis, quàm* petebat. Sed haec *Verborum* proprietas, non semper observatur. Nam *Petere* interdum est *jure* exigere, & vindicare, à quo *Petitor* pro Actore apud *Ciceronem*, & *Jurisconsultos*. Contrà *Poscere*, & *Postulare* est *submissè* orare, ut Virgilius Aeneid. 4. v. 50.

Tu modo posce *Deos veniam.* - -

Cicero de Aruspicum Responsis. *Telluri* postulatio *debetur*. In eo tamen perpetuò differunt, quòd PETUNT *soli Homines* alter ab altero; POSCUNT, & POSTULANT

LANT etiam *Res inanimae*, ut *Locus*, *Tempus*, *Oratio*, *Causa* postulant, vel poscunt.

[*] *Peto* gratis; *Posco* jure; *Flagito* cum ardore; *Postulo* saepe cautè.

[*] In causis *privatis* PETITOR dicitur potiùs, quàm ACCVSATOR, sicuti in *publicis* ACCVSATOR, & non PETITOR dici solet. Caeterum *propriè* PETITOR est, qui petit, & Litem intendit, & plerumque in *Rem* agit; ACTOR verò agit in *Personam*, quemadmodum ex *Cujacio* scribit *Schardius* in *Lexic. Jurid.* p. 704. col. b.

Petulans est, qui se in omnem nequitiam effundit; *Protervus* est importunus, & lascivus, ut qui obvium cubito ferit, aut sibi cedere cogit; *Procax* est, qui mordaciter, & contumeliosè loquitur. Ita PETULANS plus est, quàm PROTERVUS, & uterque *Dictis* simul, & *Factis* Modestiam excedit; PROCAX *Dictis* tantùm. Cicero pro Coelio: *Si Vidua liberè*, proterva *petulanter*, *dives effusè*, *libidinosa meretricio more viveret*. Tacitus Lib. 3. Historiar. 32. *Ut sunt* procacia *urbanae Plebis ingenia*, Petulantibus *jurgiis illuserant*.

[*] *Phantasma* visum est *animi*, cujusmodi fit in Somniis; *Phantasia* verò est *Formae* in *animo* impressio, hoc est, mutatio, sicuti ex *Chrysippo* refert *Diogenes Laertius* in *Zenonis* Vita, ubi verba Graeca sic sonant; φάντασμα, ἐστὶ δόκησις διανοίας, οἵα γίνεται, κατὰ τοὺς ὕπνους, φαντασία δέ ἐστὶ τύπωσις ἐν ψυχῇ, τουτέστιν ἀλλοίωσις.

[*] *Piger* similis aegro; *Segnis*, & *Deses* sine fervore; *Tardus* terit tempus; *Iners* ad nullum idoneus.

Piget ad Futurum spectat; *Pudet* ad Praeteritum *Serv.*

[*] *Pigritia* est Metus consequentis Laboris; *Terror* Metus concutiens, ex quo fit, ut Pudorem *Rubor*, Terrorem *Pallor*, & *Tremor*, & *Dentium crepitus* consequatur. *Timor* Metus Mali appropinquantis; *Pavor* Metus mentem loco movens; *Exanimatio* Metum subsequens, & quasi comes *Pavoris*. *Conturbatio* Metus cogitata excutiens; *Formido* Metus permanens. Haec *Cicero* Lib. 4. *Tuscul. Quaestion.* f. 213. fac. a. Edition. *Sturmiano-Argentorat.* in 8. f.

Pinguedo (nn) est inter cutem, & carnem; *Sevum* inter carnem, & ossa. ILLA *Graecè* πιμελὴ, HOC στέαρ dicitur. Sed veteres Auctores, qui purè, atque integrè locuti sunt ante tempora Imperatorum, non utuntur voce *Pinguedinis*, sed in ejus vicem usurpant *Adeps*, aut *Pingue*, in quo errat *Servius*, qui putat, nec *Pinguedinem*, nec *Pinguetudinem* esse Latinum. Nam Plinius

Lib.

Lib. 11. dixit; *Plerisque Animalium est* Pinguedo *sine sensu.* Idem Lib 3. Sevum ex *omento pecudis.*

Pinguedinem, & *Pinguetudinem* nonnulli putant esse eadem, cùm tamen *Pinguedo* sit ipsa Obesitas, & Crassitudo, quae est ex *Pinguedine*. Cato in Originibus: *Sus usque adeô* pinguedine (* seu, ut alii legunt, *pinguetudine*) *crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam*. Varro Lib. 3. de Re Rustic. *Lux* Pinguetudinis *Vindicta.*

(nn) Haec *propriè* succi altilis abundantia, non incommodè dicitur. Ejus *Contraria* Ciceroni sunt *Puritas*, atque *Tenuitas.*

Pirata est, qui *Mare* habet infestum; (oo) *Praedo*, qui *Portûs*, & *Itinera* obsidet. Cicero pro Sext. Roscio: *Quis* Praedo *fuit nefarius, quis* Pirata *tam barbarus*. Idem Orat. 1. in Verrem: *Qualis in Bello Praedonum* Praedo ipse fuerit, qui in *Foro Populi Rom.* Pirata *nefarius reperiebatur*. Et Oration. 4. in Verrem *Haec civitas isti* Praedoni, *ac* Piratae.

(oo) *Piratae* conducti ab *Archi-Pirata*, faciunt *Piraticam piraticis* navibus. *Comenius.*

Plagae sunt, quae *Virgis* infliguntur; *Verbera*, quae *Fustibus*, *Colaphis*, *Ferulis*, *Flagellis*. (pp) Svetonius in Vitellio 10. *Quoscunque libebat, in libertatem asserebant,* Verbera, *&* Plagas, *saepe Vulnera*, *nonnunquam Necem repraesentantes adversantibus.*

(pp) Leg. *Vallae* Lib. 6 *Elegantiar.* Cap. 47. p. 462. ubi, *& Verberare* est cum *dolore* caedere; *Pulsare* verò sine *dolore.*

Plantae raptae sunt de arboribus; *Plantaria*, quae ex seminibus nata, cum radicibus, & terra propria transferuntur. Virg. Lib. 11. Georg. v. 27.

. - *Et viva suâ* plantaria *terrâ.*

[*] *Plenum* est, in quo est aliquod intervallum; *Refertum*, quod coactum est, in quo nullum spatium est.

[*] *Plura* Comparativus est, & de *duobus* dici potest; *Complura* neque Positivum, neque Superlativum habens, nonnisi de *majore Numero* dicitur.

Poësis est perpetuum Argumentum ex Rythmis, ut *Ilias* HOMERI, & *Annales* ENNII; (qq) *Poëma* est inventio parva, quae paucis verbis expeditur: *Poëtica* est

Ars

Ars earum rerum. Lucilius Lib.9.Satyr.

Cujusvis Operis pars est non magna Poëma,
Pars est parva Poëma, *proinde ut Epistola quaevis.*
Illa Poësis *Opus totum, ut tota* Ilias *una*
Est Thesis, Annalesque ENNI. *Atque istoc Opus unum*
Est majus multo, quàm, quod dixi antè, Poëma.

(qq) Quid propriè sit *Poësis*, vid. Libellus meus *Historico-Philologicus* de *Poëtar. Corona* Not. ss. ad §. 3. c. 3. p. 116. seqv. Edition. *Cygneae.*

Polimus rudia;(rr) *Novamus* vetera. *Corn.Fronto.*

(rr) *Gifanius* in *Observat. L.L.* p. 185. ex *Festo* annotavit, nos quoque posse dicere *Frumentum, Agros,* & *Vesteis polire.* Is autem *Latinè* appellatur *Politus*, qui Graecis est Λαειεύς.

Polliceri est res magnas promittere, ut *Montes aureos* polliceri, polliceri *novas Tabulas*: Unde *Pollicitatio* est magnarum rerum promissio, veluti si quis Reip. aut Civitati *Opus aliquod publicum*, *Ludos*ve polliceatur; *Promittere* est res quaslibet parvas, sive magnas offerre. Cicero pro Planciô: *Nihil tibi ego tùm de meis opibus* pollicebar, *sed horum erga me benevolentiam* promittebam. Plinius Lib. 10. Epistolar. *Huic Theatro ex privatorum* pollicitationibus *multa debentur*. Sed Jurisconsulti (l.19.D.de Aedil.Ed.l.43.D.de contr. Empt.) nonnunquam quamlibet aliam *Promissionem* vocant *Pollicitationem*, ut ex ipsorum *Responsis* liquet. Sic *Policemur* spontè, *Promittimus* rogati. (ſſ)

(ſſ) Posteriorem hanc Differentiam minimè esse *perpetuam*, non iniquè docet *Goclenius* loc.cit.p.243.

Pometa dicuntur, ubi *Poma* nascuntur, ut Oliveta; *Pomaria*, (tt) ubi servantur, ut *Penuaria. Fl.Sosip.*

(tt) Antiqui ideò plantabant *Pomaria*, & in illis *pomosas* Arbores, ut ex *Pomis* POTUM pararent.

Pompeji Porticus, si possidet; *Pompeja*, si publicavit; *Pompejana*, si in alterius Dominationem venit. *Corn. Fronto.*

Populus, & *Plebs* variè differunt. Nam Interdum *Populi* appellatione *omnes Civitatis Ordines* continentur.

Unde *Populorum* appellatione Num. Plur. Urbes significamus; *Populi* Num. Sing. Multitudinem unius civitatis. *Plebis* verò nomine sine *Patriciis*, & *Senatoribus* caeteri *Cives* significantur, ut Gellius, & Jurisconsulti Inst.de Jur.Nat.Gent. & Civil. §.4. tradunt. Aliquando *Populus* nominantur Patricii; *Plebs* autem caeteri cives. Cicero pro Muraena: Populo, Plebi*que* ROMANAE *benè, ac feliciter eveniret*. Livius Lib.2.de Tribunis Pleb. *Non enim* Populi, *sed* Plebis *eum Magistratum esse.* Rursus *Populus* ea pars *Civitatis* dicitur, in quâ sunt Cives ROMANI honestiores, & opulentiores; *Plebs* verò inops, & vilis Multitudo, in omneîs Tribûs diffusa. Tacitus Lib.1. Historiar.40. N*eque* Populi, *aut* Plebis *ulla vox*. Et: N*on tantùm in* Populo, *ac* Plebe. Idem Lib.1. Annal.8. *Et* Populo, *&* Plebi CCCCXXXV *dedit*: quod Svetonius dixit in Augustô cap. 101. *Legavit* Populo ROMANO *quadringenties*, *Tribubus tricies quinquies HS*.

[*] *Populatio* est Agrorum, & Locorum; *Vexatio* Corporum, & Animorum.
[*] *Forto* humeris; *Fero* Corpore.

Portus est, ad quem applicant Naves, & in quo hiemant; *(uu) Statio*, ubi ad tempus stant. Nam *Portus* est conclusus, & tutior, quàm *Statio*. Lentulus ad Senatum: *Urbe*, Portu, Statione, *quae extra Urbem est*.

(uu) Conf. illustris *Rhetii* Cap.1.de *Jure Portuum*, num.12. & ex eo *Fritschii* Addition.ad *Speculum* SPEIDELII Litt.K.p.685.col.b.

Poscere secundum *Varronem* est, quoties aliquid pro meritô nostrô deposcimus: *Petere* verò est, cùm aliquid humiliter, & precibus postulamus. *Serv.*

Possidere est pro *Domino* re suâ uti; *In possessione esse* est *Corpore* incumbere, & insistere possessioni, rem detinere. (xx) ILLUD & *animo*, & *corpore* fit, & justam Possessionem constituit; HOC *corpore* tantùm. Itaque Servi non dicuntur *possidere*; at iidem, & Inquilini, Coloni, & qui precariò rogaverunt, si *Corpore* in Praediô sunt

ſunt, *In poſſeſſione eſſe* cenſentur, ut ſcribunt Juriſconſulti l.49.D.de acquir.poſſeſs.

(xx) Sed in *Poſſeſſionem mittere* dicitur *Judex* ex *Edicto*, qui rem alterutri *Litigantium* adjudicat, & quidem ex *Doleti* mente loc. perſaepe alleg.fol.130.fac.b.col.1.

Poſſum, & ad *Potentiam* refertur, & ad Caſum, (yy) ut Poſſum *errare*, Poteſt *fieri*; *Valeo* ad *potentiam*, (zz) non ad *Caſum* pertinet. Itaque dicimus: Valeo *opibus*, *gratiâ*, *auctoritate*, *viribus*, non item valeo *errare*, Valet *fieri*.

(yy) Sic *Potero* eſt promittentis; *Potuero* dubitantis.

(zz) Len tat enim non ſolum (& quidem *propriè*) *integris eſſe viribus*, ſed & *ad aliquid conducere*, atque *magni pretii eſſe*.

Poſtulatur aliquid honeſtè; *Poſcitur* improbè. Cicero in Frumentariâ: *Incipiunt* poſtulare, poſcere *nimia*. Agraet. *Petimus* precariò; *Poſtulamus* jure; *Poſcimus* imperioſè. *Donat.*

[+] *Potiùs* eſt *Correctionis* particula, & interdum aliquam *Excluſionis* in *Electione* vim habet: ut *Mea*, *ac Tua Cauſa*, *vel aliorum potiùs*. Itaque longè eſt illud: *Homines* potiùs *amare tenebras*, *quàm lucem*, quàm: *Homines* magis *amare tenebras*, *quàm lucem*. Vnde & JCTI dicunt, hanc Vocem poni *electivè*, & non *comparativè*, ſicut annotavit *Straucbius* in Lexico *Particular. Iuris* p.175. col.a. *Magis* verò idem ferè, ac *Plus* eſt.Leg.*Goclenius* loc.cit.p.243.

Potum, & *Potionem* nonnulli ita diſtingvunt, quòd *Potus* ſit *Vini*, *Aquae*, & ſimilium rerum; (a) *Potio* ſit confectio, quae *Aegrotantibus* praebetur. *Cicero*, *Varro*, aliique primarii Auctores *Potionem* pro POTV frequenter uſurpant. Itaque verius eſt in eò differre, quod POTIO *generale Nomen* eſt, quae & quarumlibet rerum *Potum*, & *Confectionem Medicam* ſignificat; POTVS autem de *Pharmaco* non dicitur.

(a) *Potu* carere nullum vivens poteſt, eſtque cuique ſua naturalis *Potio* aſſignata. *Comen.*

Pravum eſt, quod laedit ipſum facientem; *Malum*, quod alios tantùm. *Donatus.*

(+) *Praecipuè* non eſt idem, quod *ſpecialiter*, uti *Indocti* interpretantur, ſed quod *maximè*, & *potiſſimum*; *Singulariter* verò idem eſt, quod *unicè*, *unico modo*, *ſingulari modo*.

Praeda ſunt Corpora ipſa rerum, quae capiuntur; *Manubiae* verò Pecuniae ex *Praeda* vendita redactae, (b)

No-

Nonius. *Praeda* victos spoliat; *Rapina* subitò venit: Itaque ILLA *Victoriâ* gaudet, HAEC *petulantiâ*. Corn. Fronto.

(*b*) *Asconius* verò *Pedianus* MANVBIAS esse dicit Spolia quaesita de *vivo Hoste nobili* per deditionem.

Praedes sunt, qui fidem suã pro *Redemptoribus* obligabant *Populo*, datis in publicum praediis; *Praediatores* sunt, qui *Sponsorum*, *Praedum*que Tabulas curabant, & si *Reus* ad constitutum diem non solveret, *Praedia obsignata* vendebant: (*c*) Vnde & *Lex Praediatoria*, quae de *Praediis*, *Praedibus*que cavebat, & *Praediatorium Jus*. Cicero Lib.12.ad Atticum: *Quod pro* Cornificio *me abamplius annis* 25. *spopondisse dicit* Flavius, *etsi reus locuples est*, Appulejus PRAEDIATOR *liberalis*. Idem pro Balbô: *Etenim si* C. Scaevola *ille Augur*, *cùm de* Jure Prediatoriô *consuleretur*, *homo Juris peritissimus*, *Consultores suos nonnunquam ad* Turium, *&* Cascelium PRAEDIATORES *rejiciebat*. Svetonius in Claudiô Cap. 9. *Vt cùm obligatam Aerario fidem liberare non possèt*, *in vacuum Lege* Praediatoria *venalis pependerit sub Edicto Praefectorum*.

(*c*) Meminit, & horum *Cujacius* Lib.5.*Observ*.Cap.29.in fin.

Praedicamus, ut *Res* sunt; *Laudamus* extollendo. *Praedicamus* Voce; *Laudamus* Argumentis. *Donatus*.

Praelium est Certamen hostile sive *eminùs*, sive *cominùs* fiat; *Pugna* verò est, cum hostes cominùs congrediuntur, dicta à *Pugno*, eò quòd ante Vsum *Telorum*, atque *Missilium*, PVGNIS, & *Calcibus*, & *Morsibus*, *Corporumque luctatione* certebatur. (*d*) Lucretius Lib. 2. de *Rer.Nat*.v.117.seq.

Et velut aeternô certamine Praelia Pugnas*que*
Edere turmatim certantia. - - -

(*d*) Aliquando etiam est *Verborum*, atque *Controversiae*, sicuti probat *Doletus* loc.cit. fol.138.fac.a. col.2. Caeterùm Pugna, & *Lucta* ita differebant quondam, ut in Pugna [*Scaligero* Lib. 1. de *Re Poëtic*. Cap. 22.p.84.testante,] solis *pugnis* pugili uti liceret; in *Lucta* autem *impulsu* tantùm, & *tractu*, & *pressione*, & *supplantatione*, ut non caederetur concertator, sed prosterneretur.

Prae-

Praemium (e) est, quod pro *rectè factis* redditur; (f) *Pretium* est, quod pro *re emta* datur, vel est Mercés *Conductionis*, *Operae*, & *Artis*, à quô *Manipretium*, & *Operae pretiū*. Gellius Lib.3.Cap.8. *Nobīs nō placet* pretiô, *aut* praemiô, *aut dolis pugnare*. Aliquando tamen Praemium latiori significatione *Lucrum*, & *Commodum* quodlibet denotat, à quô PRAEMIOSUM pro *Pecuniosō* Veteres dixerunt; & PRAEMIARI, id est, *Lucrari*, & *Quaestum facere*, Svetonius in Titô Cap.7. Lucret. Lib.3.v.969.

Omnia perfunctus vitai Praemia *marces*?

Et Lib.5.v.5.

Pectore parta suô, quaesitaque Praemia *liquit*?

Sed & PRETIUM interdum accipitur pro *Praemiô*. Cato in Oratione apud Milites: *Majores seorsum, atque diversum* pretium *paravêre bonis, atque strenuis*. Lucilius Lib.30.Satyr.p.196.

Virginis hoc pretium, *atque hunc reddamus honorem.*

Livius Lib.32. *Haud satis dignum tanti laboris, periculique* pretium *erat*.

[e] qi. *Praemium* dictum, quod quis prae *aliis* emit, vel accipit.
(f) In *specie* est id, quod in *Ludis* proponitur iis, qui se *strenuè* gessere, & *Victores* evasere.

Praes significat Sponsorem datum in civili causa, & Lite Nummaria; *Vas* propriè est Sponsor alterius in Re capitali, inquit Festus. (g) Ausonius in Monosyllabis: h

Quis subit in poenam capitali judicio? Vas.

Quid si Lis fuerit nummaria, quis dabitur? Praes.

Idem in Ludô Sapientum: (i)

Praedes, Vades*que paenitudinis reos*.

Sed tamen interdum VAS dicitur *Sponsor*, qui ex *Pactis Conventis*, & *Mancupiis* sese pro *Reô* obstringebat, si fortasse res ab Emtore evinceretur, ut in *Lege Mancupiorum*, VADEM ne poscerent, nec dabitur; vel qui in privatô Judiciô *Reum* sisti, aut ni sistatur, *Pecuniae summam* promittebat. *Nam*, ut ait Varro, *consvetudo erat, cùm* Reus *parùm esset idoneus inceptis rebus, ut pro se al-*

 terum

terum daret, qui illum Judicio sistendum certa die promittebat, ad quam diem, qui in Judicium veniebat, Vadimonium *obire, & ad* Vadimonium *occurrere, aut venire dicebatur.* Cicero pro Quintiô: Vadimonium *non obiit quidam socius, & Affinis meus.* Idem ibid. *Ad* Vadimonium *non venit, qui tibi praesto semper fuit.* *Non dubitavit,* inquit, *cùm* Vadimonium *desertum est.* Svetonius in Caligulâ Cap. 39. *Et Litigantium plerique, quòd occurrere absentes ad* Vadimonium *non possent, causa caderent.*

(g) *Budaeus* inter *Praedem*, & *Vadem* hanc facit Differentiam, ut HIC pro altero *Vadimonium* promittat; ILLE autem à *Magistratu* interrogetur, in publicum ut *praestet*; à quo, cùm responderit, dicitur PRAES. Seu PRAES est ille, qui SPONSOR *Reipublicae*, vel Principi est factus pro eo, qui *Pecuniam publicam* dispensat; aliàs *Receptor* dictus.

[h] *Edyl.* 12. quod TECHNOPAEGNION dicitur. v. 100. seq.

(i) in specie in *Thalete* v. 21.

Praesidium est auxilium militare, quod ad custodiam, & defensionem alicujus praesidet; (k) *Subsidium* verò est, quod postponitur ad subveniendum laborantibus, aut deficientibus, dictum à *subsidendo*, quôd in extremâ acie *subsidebant* TRIARII, qui caeteris usu, & fortitudine praestabant, & si priores duo Ordines, nimirùm *Hastati*, & *Principes*, locô moti, fusique ab hostibus fuissent, tùm ipsi, renovatâ pugna, hostes invadebant. Quò allusit Plautus in Fragm. part. 1. v. 92.

Agito, subsidite *omnes, quasi solent* TRIARII.

Cicero pro Flaccô: Praesidia, *immò centum* Subsidia *Reipublicae, consilia, auxilia.*

(k) Sic *Praeses* inprimis is est, ad quem potissimùm (*Ulpiano* Auctore Tit. de *Offic. Praesid.*) pertinet curare, ut *pacata*, & *quieta* sit *Provincia*, cui *praeest*, & quam gerit.

Precari est Rogare; *Deprecari* est Purgare, & Excusare. Virgilius Aeneid. 12. v. 931.

- - *Equidem merui, nec* deprecor, *inquit.*

Cicero. *Quid faciet* Hortensius, *Avaritiaene crimina Frugalitatis laudibus* deprecabitur?

[*] *Primicerius* falsò à nonnullis dicitur is Puer, qui *primam facem*

cem in Promotione Magistrorum gerit, sed potiùs idem est, ac *Λογοθέτης Secretorum*, atque *Quaestor Sacri Palatii*, quem hodiè minùs *Latinè* Litteratorum vulgus *Cancellarium* solet appellare, cujus munus est inprimis, Litteris Principis, quibus aut *Donum aliquod*, aut *Honorem*, *Magistratumque* concedit, *cereum illius Sigillum* apponere, unde & PRIMICERIVS dictus. Qui verò primus in *Magistrorum* Promotione *faculam* gestat, *Graecis* optimè πρωτοδᾳδοῦχος nuncupatur.

Primipilus est Centurio primus, & supremus inter decem Centuriones *Triariorum*, qui primum locum in *Legione* post Tribunum Militum obtinebat. (*l*) Livius Lib.7.41. P. Salonius *alternis prope annis & Tribunus Militum, & primus Centurio erat, quem nunc* Primipili *appellant*. Idem Lib.8. Cap.8. *Duo* Primipili *ex utraque acie inter* Triarios *erat*. Primus PILUS est ipse *Centurionatus*, & primus ille Ordo, quem ducebat *Primipilus*, Sallust. in Jugurthâ: *Centurio* Primi Pili *tertiae Legionis*. Caesar Lib.1. de Bello Civil. cap.13. L. Pupius Primi Pili *Centurio*. Et Lib.3. de Bellô Civil. cap. 91. *Crastinus* primum Pilum *superiore annô in Legione decimâ duxerat*.

[*l*] *Primipilus* quis sit, ejusque *Centurio*, vid. apud *Schardium* in *Lexico Juridico* p.744. col. a.

Primus è Multis; (*m*) *Prior* è Duobus: ita *Postremus* de Multis; *Posterior* de Duobus dicitur; *Alius* de Multis. *Agraetius*.

(*m*) Sic *Primus Haeres* dicitur, qui *primo gradu* est scriptus, (*Brisson*. Lib.7. de *Formul.* p.606.) & Primus Ordinis Advocatorum, qui in sede prior est. Idem ibid. *Primitus* autem, & *Primiter*, pro *Primò*, dici, tradit *Laurenbergius* in *Antiquario* p.355. col. b.

Priores Comparativi Gradûs sunt; *Primores* summae quaeque res. (*n*) Cic. in Oratore: *Quae isti Rhetores ne* primoribus *quidem labiis attigissent*. Nonius.

(*n*) Ponuntur & *Primores* pro *Optimatibus*, auctore *Modestino*.

Probatum aliud est, quàm *Spectatum*, quòd *Illâ* HOC majus est. Lucil. Lib.26. Satyr.

Tuam probatam *mihi*, & spectatam *maximè Adolescentiam*.

(*) *Probator* est post factum; *Suasor* ante factum.

Probrum significat omnem Turpitudinem, quae *ignominia*

minia delinquentem afficit, ut *Stuprum*, *Adulterium*, *Furtum*, *Mendacium*, & id genus alia; *Opprobrium* est Convitium, quod ob admissum *Probrum* fit. (o) Itaque rectè scribit Ulpianus l.42.D.de Verb.Sign.PROBRUM *idem esse*, *&* Opprobrium, *quasi objectum* Probrum: quod *Valla* frustrà reprehendit. P. Africanus de Multâ; *Omnia Mala*, Probra, *Flagitia*, *quae homines faciunt*, *in duabus Rebus sunt Malitia*, *atque Nequitia*. Cicero ad Atticum: *Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me* Probrorum.

(o) Si vacas *Probro*, *Opprobrium* non erit tibi *Probro*, sed ille potius *Probrosus* fiet, qui tibi fa sa *Exprobratione opprobraverit*. Comenius.

Profesti, *&* *Festi* Dies discernuntur sic: *Profesti* sunt à *Festivitate* vacui. *Afranius in Privignô*: (p)

Quae festivô *nos facere solemus* Die,
Quotidianô opere promisces omnia,
Atque profesto *concelebras* (die) FOCUM.

(p) p.54.Edition.*Stephanianae*, ubi veteris Poëtae verba sunt hujus tenoris: *Quae* Festis *nos facere solemus*, *de quotidiano opere promiscuè*, *atque* Profesto *concelebras Focum*.

Prohibere est avertere, & impedire Dictis, Factisve, ne quid fiat; *Vetare* est Dictis resistere. Plaut. in Curcul. Act 1.Sc.1.v.33. *Nemo hinc* prohibet, *nec* vetat.

(*) *Prohibemus* ante inceptam rem, *Inhibemus* coeptam. *Comenius.*
(*) *Proletarii* erant, qui in *Plebe Romana* tenuissimi, pauperrimique non ampliùs, quàm mille quingentum Aeris in Censum deferrent; *Capitecensi*, qui nullo, aut perquàm parvo Aere censebantur.

Prologus est velut Praefatio quaedam Fabulae, in quâ aut *Poëta* excusatur, aut *Fabula* commendatur (q) *Prologium* autem est, cùm *Argumentum Fabulae* tantùm describitur. Quam Vocem *Latini* fecerunt ex *Graeco* πρόλογος, ut ab λόγος *Exordium*, quô aliquoties utitur Varro in Satyris. Pacuvius: *Exanimasti me* Prologio *tuô*.

(q) Conf. *Jul.Caes.Scaligeri* Lib.1.*Poëtic*.Cap.9.p.33.

Promittere est *nudis Verbis* polliceri, ex quô constituitur tantùm nudum pactum; *Spondere* autem est per *stipulationem* promittere, unde nascitur Actio ex Sponsu; *Recipere* est fidem dare *se praestaturum*. Ita *Recipere* plus

plus est, quàm *Promittere*; & *Spondere* plus, quàm utrumque *Istorum*. Cicero pro Muraenâ: *Futurum esse* promittunt, *&* spondent. Idem pro Domo: *Praesto*, Promitto, Spondeo. Et ad Crassum: *Quae tibi* Promitto, *ac* recipio. Seneca ad Lucilium: *Jam non* promittunt *de te*, *sed* spondent. Quamvis *Jure consulti* interdum *Promittendi* Verbum latiùs interpretentur, & non modò ad *nudam Promissionem*, sed etiam ad *Sponsionem* referunt. *Itaque si scriptum in* Instrumentô *fuerit*, Promisisse aliquem, *perinde haberi volunt*, *atque si*, *interrogatione praecedente*, *responsum sit*, *Spondeo*, auctore Justiniano Inst.3.de in util.Stip.§.17.

(*) *Pronuba*, seu *Promnestria*, est Mulier, quae SPONSAE adest; *Nynphagogus*, qui deducit SPONSVM; *Auspex*, & *Paranymphus* sunt asseclae, & deductores SPONSI.

Protenus significat *porrò tenus*, id est, longè à Finibus; *Protinus* est *statim*, ac *sine intermissione*: (r) Alterum est Adverbium *Loci*, alterum *Temporis*, ut *Servius* notat ad illud Virgilii Eclog.1.(*) vers.12.seq.

- - - - *En ipse capellas*
Protenus *aeger ago*. - - - - -

Ego nullam Vocabulorum istorum Differentiam esse puto, sicut nec differunt *Quatenus*, & *Quatinus*, de quibus infrà.

(r) Vid. *Virg.* Lib.1. *Georgicor.* vers.1.

Pudor (s) est Metus rerum turpium, & ingenua quaedam Timiditas dedecus fugiens, laudemque maximè consectans, ex quô ortum Ruborem *Virtutis colorem* Diogenes Cynicus appellabat; *Pudicitia* est continentia à Libidine; *Verecundia* est Reverentia quaedem adversus homines, cujus Proprium est *neminem offendere*. Plautus in Amphitr.Act.2.Sc.2.v.210.

Sed Pudicitiam, *&* Pudorem, *&* *sedatum cupidinem*.

Varro Lib. 2. de Vitâ Populi Rom. *Multô praediti* Pudore, *&* Pudicitiâ *Adolescentes*. Sallustius in Catilinâ: Pudorem, Pudicitiam, *Divina*, *&* *Humana promiscua omnia*. Idem de Rep.ordinandâ: *Ubi Divitiae clarae*

habentur, ibi omnia vilia sunt, Fides, Probitas, Pudor, Pudicitia. Lactant. Lib. 2. Pudorem extinxit, Pudicitiam *flagitavit*. Idem ibidem: *Unusquisque igitur, quantum potest, formet se ad* Verecundiam, Pudorem*que colat*.

(s) *Pudorem* olim interdum idem valuisse, quàm *Pudicitia* valuit, *Gifanius* in *Observationib. L.L.* p.202. testatur, additque inde factum esse ut PUDORIS Nomen pro *Verecundia* à doctis quibusdam sit positum. Ut autem PUDOR *Vultus* est, sic PUDICITIA *Animi*.

(*) Qualis sit Differentia inter *Pueritiam*, atque *Puerilitatem* tradit Seneca Lib. 1. *Epist.* 4. his verbis: *Adhuc enim non* Pueritia *in nobis, sed quod est gravius*, Puerilitas *remanet: & hoc quidem pejus est, quod Auctoritatem habemus* Senum, *vitia* Puerorum; *nec* Puerorum *tantum, sed* Infantium: ILLI levia; HI falsa formidant; NOS utraque.

Pugnat, qui resistit; *Oppugnat*, qui obsidet; *Impugnat*, qui per omnia inimicus est. Itaque P*ugnat* Exercitus; *Oppugnantur* Castra, vel Urbes; *Impugnantur* Inimici. *Corn. Fronto*.

(*) *Pugno* magis est, & specialius; *Certo* minus, & generalius.

Pulsare est vehementi, & crebrô ictu tundere, ut fit *Pugnis, Calcibus, Malleis, Saxis*; (t) *Verberare* est caedere verberibus, aut infligere plagas, quod fit *Manu, Virgâ, Fuste, Flagellô, Ferulâ, Loris*, & similibus. Cic. Orat. 1. in Verrem: *Lictores consistunt valentissimi, ad* pulsandos, verberandos*que homines exercitatissimi*. Jurisconsulti paulô aliter haec Verba distinguunt in Lege *Cornelia* de *Injuriis*, quae *Actionem Injuriarum* ei dat, qui se *pulsatum, verberatum*que dicit, sic enim interpretatur Ulpianus L. 5. D. de Injur. Verberare *est cum dolore caedere*; Pulsare *sine dolore*. Quae Differentia, quantum ad illam *actionem Injuriarum* attinet, vera, & necessaria est. Nam qui per *Contumeliam* impulsu *cubiti*, aut *manus* alterum locô dejecit, aut qui Pileum *capite* excussit, hic *Injuriam* fecit, nec tamen verbis Legis teneretur, nisi *Pulsare* sine *dolore caedere* interpretemur. In quô *Valla* frustrâ reprehendit *Ulpianum*, quem frivolis, levibusque rationibus tuentur *Juris Interpretes*, atque etiam *Alexander Neapolitanus* in Libris *Genialium Die-*

rum

rum. Quanquam illi ipsi *Jurisconsulti* interdum haec Verba confundunt. Ulpianus ad Edictum 56. l. 4. §. si cum Servum. D. Vi Bon. rap. *Si cùm Servum meum Titius* pulsaret, *turba fuerit collecta*. Et mox: *Caeterùm, si alia causa* verberandi *fuerit, cessat haec actio.*

[t] Conf. quae *suprà* ad PRAELII *Titulum* sunt annotata.

Putant, qui omni genere errant; *Suspicantur*, qui aliquo modo praevident. *Corn. Fronto.*

(*) *Putat* dubitans; *Aestimat* ex natura rei; *Opinatur* opinioni suae, vel alienae credens; *Arbitratur* dubio fidem dans.

Q.

QVaerit, qui ad plenum, & perpetuum reponit; *Quaeritat*, qui vix quotidiè *inquirendô* victum invenit. *Donatus*. *Quaerimus* Disciplinam; *Inquirimus*, de quô dubitamus; *Desideramus* vel quod diligimus, vel quod amisimus. *Corn. Fronto*. *Quaerimus* inquirentes; *Querimur* deplorantes. *Quaerimus* lucrum; *Querimur* lacrymis; *Requirimus*, dum diu quaerimus. Afranius in Fratriis, & Fratrib. (*) p. 50.

Proin tutum quaeram, *ne* requiram *te vide*.

Quaestor est, qui *Quaesturam* gerit; (*u*) *Quaestorius*, qui *Quaestor* fuit, quem posterior Aetas *Ex quaestore* vocat, ut *Ex consule*, *Ex praefecto*; *Proquaestor*, qui mortuo, vel absente *Quaestore*, ejus munere fungitur. Cicer. Orat. 2. in Verrem: *De* Verre, *qui mortuô* MALLEOLO Quaestore, *statim* Proquaestore *jussus est esse*. Similiter differunt *Consul*, & *Consularis*; *Praetor*, & *Praetorius*. Sed *Pro-Consule* dicebatur, qui post gestum *Consulatum* annô insequenti in *Provinciam* eodem summo cum Imperio mittebatur; *Propraetore* autem, qui ex *Praetura Provinciam* obtinebat. Unde *Provinciae* aliae *Consulares*, aliae *Praetoriae* vocabantur. Etsi interdum *Pro Praetore* significat eum, qui absente *Duce* vicario munere *Exercitui* praeerat. Nam *Praetor* appellabatur etiam is, qui

Exercitum ducebat, Sic ſcribente Salluſtio in Jugurtha: *Sine decore ad* SULLAM *profugiunt, quem* Conſul *in expeditionem proficiſcens* pro praetore *reliquerat.* & ibid. ALBINUS Conſul, Aulô *Fratre in Caſtris* Propraetore *relictô, Romam deceſſit.*

(u) *Quaestoris urbani* Partes quaenam ſunt tradit *Briſſonius* Lib. 2. de *Formulis* p. 252.

Quartò Locum ſignificat, & tres antè factos; *Quartùm* Tempus denotat, & ter antè factum. Similiter diſtant *Tertiùm, Quintùm, Sextùm, & Tertiò, Quintò, Sextò.* (x) Ennius Lib. 8. Annal. *Quintus Pater* quartùm *fit Conſul.* Sed hanc Differentiam, quam *Varro*, & *Gellius* tradiderunt, non ſemper obſervant veteres Auctores. Nam & Gellius Lib. 10. Cap. 1. dixit: *Tertiò*, & *Quartò* CONSVL. & Quadrigarius Lib. 19. Annal. C. MARIUS *creatus* ſeptimô *Conſul.* Item Inſcriptio Romana: P. DECIUS DECII F. PRIMO COS. DE SAMNITIBUS TRIUMPHANS SPOLIA EX HIS CERERI CONSECRAVIT ITERUM ET TERTIÒ COS. Nec eſt ulla ratio, cur magis differant *Quartùm*, & *Quartò*; quàm *Primùm*, & *Primo*; & *Poſtremùm*, & *Poſtremò*: quae *promiſcuè*, & *indifferenter* dici notiſſimum eſt.

(x) Legatur *Nonius Marcellus* de *Proprietate Sermonis* fol. 211. fac. a.

Quatenus ſignificat *qua fine, quo uſque*, ut *Hactenus* hac fine; *Quatinus* verô ſignificat *Quoniam, Quia*, ut tradunt *Feſtus*, & *Victorinus*. Quae Differentia *arguta* magis eſt, quàm *vera*. Nam ut jam ante monui, una, eademque vox propter diverſas ſignificationes non debet variè ſcribi, & fuit alioqui *Veteribus* uſitata commutatio *Litterarum E & I*, de quâ dixi Librô primô de uſu *antiquae Locutionis*. Ut non ſit dubium, mihi quidem, antiquiſſimos in utraque ſignificatione indiſtinctè ſcripſiſſe *Quatenus*, & *Quatinus*. Sed prioris Significationis Uſus tritiſſimus eſt; poſterioris Exemplum ſuppeditat Horatius Lib. 3. Carminum: (y)

- - - Quatinus (*heu nefas!*)
Virtutem incolumem odimus.

Et Lib. I. *Sermon.* (z)

Denique quatinus *excidi penitus vitium irae,*
Caetera item nequeunt stultis haerentia.

Svetonius in Claudiô cap. 26. *Confirmavitque*, quatinùs *Matrimonia sibi malè cederent*, *mansurum se in coelibatu.* Plinius Lib. 3. Epistolar. *Et* quatenus *nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quô nos vixisse testemur.* *Juvenalis*: (aa)

Quatenus *hic non sunt nec venales Elephanti*

(y) Od. 4. v. 30. seq. ubi Editio *Cruquiana*, & *Thomae Treteri* Index legunt inprimis *Quatinus*.
(z) Satyr. 3. v. 76. seq. Conf. Lib. 2. *Serm.* Satyr. 4. v. 57.
(aa) Satyr. 12. vers. 102.

Quatio est *violenter* (bb) agito, vel impello; *Quasso* est in *varias partes* jacio, vel moveo cum *magna indignatione*, *magnaque vehementia*, quod *gravius*, & *violentius* est, quàm *Quatio*. Livius: Carthaginis *moenia nunc* quatit *ariete*. Plautus in Trinum. Act. 5. Scen. 2. vers. 45. *Quid* quassas *caput*? Hinc *Quassata*, quae disjecta, & tracta desederunt. Virgilius: (cc)

Quassatam *ventis liceat subducere classem.*

Livius: Quassata *muri reficere.*

(bb) (*Commovendo*, aut *pulsando* tremefacio &)
(cc) Lib. I. *Aeneidos* v. 555. ubi *Paulus Manutius* in Editione *Plantiniano-Antverpiana* pro SVBDVCERE, *in terram trahere* rectissimè in *Margine* substituit.

Querimonia certae rei est; *Querela* supervacua est. Itaque prior *gravitatis* est; posterior *levitatis*. (dd) *Corn. Fronto.*

[dd] Breviter: QVARELA est Quaerimonia levior; QVERIMONIA autem *Querela* gravior.
(*) *Quidam* notat Rem certam; *Quispiam*, vel *Aliquis* incertam, & vagam. *Goclenius.*

Quis infinitum ad *unum* refertur. Cicero: *Si quem tuorum Fidelium voles ad me mittere.* *Quisquis* vero, vel *Quicunque* ad *universos* confusè dicitur. Similiter QVOT *certum* desiderat Numerum; *Quotquot*, vel *Quotcunque*, OMNES denotat, ut observavit *Priscianus*.

(*) *Quis*

(*) *Quis*, & *Quid* Interrogativa sunt; *Qui*, & *Quod* Relativa; *Quicquid*, & *Quodcunque* Indefinita.

(*) *Quot* de *Discretis*; *Quantum* de Substantia.

Quotannis, & *Quotidiè* Tempus *continuatum* significat; *In singulos Annos*, & *in Dies singulos*, Tempus *interruptum* per intervalla *Annorum*, & *Dierum*. (ee) Cicero ad Atticum: Quotidiè, *vel potius in* Dies singulos *breviores litteras ad te mitto*. Ulpianus ad Sabinum 23. Leg. 13. D. de Triticô: *Haeres meus amphoras decem* quotannis in annos singulos *dato*. Labeo Lib. 2. Posterior. Leg. 17. D. de annuis legat. *Vini* Falerni, *quod domi nascentur*, quotannis in annos singulos *binos culleos Haeres meus* Titio *dato*.

(ee) seu *Quotannis* ferè est continuum; *Singulis annis* intervallum. Sic *Quotidiè* est continuum; *Singulis diebus* est intervallum.

(*) *Quotus* interrogat; *Quotusquisque* paucitatem infert.

R.

RAcemi sunt Uvae minores, & exilioribus granis, qui plerumque à Vindemiatoribus sub pampinô latentes, fallentesque relicti pôst colliguntur. *Uvae* sunt majores, ac crassioribus acinis. (ff) Plinius Lib. 3. *Quando non* Racemos, *sed* Uvas *alias gignunt*.

[ff] Ideoque *Uvae* plenae sunt suavi *u[illegible]ore*, qui in *Uvis* passis, & passulis insiccatur.

Raptio ad Personam refertur; *Rapina* (gg) ad Rem; *Raptus* ad Stuprum propriè. *Donatus*.

(gg) *Rapina* est Petulantiae; *Praeda* autem Victoriae.

Recidiva sunt, quae ex suo casu restituta *eodem modo*, & *genere* redeunt, (hh) ut *Recidivas Febres* dixit Plinius. Virgilius (ii) *Recidiva Pergama*. Tertull. *Reciprocarum Frugum*, & *uvidorum Elementorum*, & recidivi *Anni fidem argumentantur*. Arnobius Lib. 4. *Quicquid prior aetas abstulisset*, recidiva *substitutio denegaret*. *Rediviva* autem sunt, quae ex *vetustis* renovantur, & quasi in vitam novâ adsumtâ formâ, *denuô* revocantur, ut *Redivivus* Lapis, qui ex *vetere* in *novum* Aedificium

trasla-

traslatus de *integrô* politur. Cicero Orat. 1. in Verrem: *Minus operis esse unam columnam reficere ab integro novam, nullô Lapide* redivivo, *an quatuor illas reponere.* Id. Ibidem: Rediviva *sibi habeto.*

(bb) & quasi *retrò*, seu *iterùm* in aliquid cadunt.
(ii) Lib. 7. *Aeneid.* v. 322. & Lib. 10. v. 58.

Recipere, & *Suscipere* eô differunt, quòd *Suscipitur* Totum, *Recipitur* Pars: Et *Suscipitur* id, quod *principale* est; *Recipitur*, quod *hinc* pendet. Denique *suscipitur* solùm aliquid propter SE; *Recipitur* etiam propter ALIUD, ut notat Asconius Pedianus. *Recipimus* aliquid rogati, *Suscipimus* spontè. *Agraetius.*

(*) *Recipio*, quod habui; *suscipit*, qui, quod non habet, *sponte* accipit.
[*] *Recipere*, aut *Promittere* amplius quidpiam significare, quàm *Polliceri*, argumento est, quod *Cicero* inquit: *De Aestate* polliceris, *vel potius* recipis. *Recipere* enim est, quasi *periculum*, & *eventum rei suscipere in se.* Vid. *Goclenius* loc. cit. p. 246.

Recta Loca dicuntur, quae absque *ullis anfractibus* surgunt in *altum*, vel in *longitudinem* extenduntur; *Porrecta* sunt *plana*, & *patentia*: Ita *Recti* Montes, *Rectae* Turres, *Porrecti* Campi. Caesar Lib. 2. de Bello Gallico 19. Porrecta, *ac Loca aperta.* Idem Lib. 6. 24. Rectâ*que Fluminis Danubii regione*; Horat. (kk)

Non est aptus equis Ithacae *locus, ut neque planis*
Porrectus *spatiis.*

Minucius Felix in Octavio 17. *Quid loquar aptè disposita* recta *Montium, Collium flexa,* porrecta *Camporum?*

(kk) Lib. 1. Epist. 6. ad *Maecenatem* v. 41. seq.
(*) *Recusare* est denegare; *Accusare* est culpare Pares, & Inferiores; *Incusare* est culpare Superiores; *Excusare* est culpam dimovere.

Reddere est acceptum, & ablatum, vel abductum *retrò* dare; (ll) *Restituere* verò est amissa, & alienata, aut immutata, ad *priorem Dominum*, atque *Statum pristinum* reducere. Terent. in Eunucho Act. 1. Sc. 2. v. 66. seq. *Praeterea ut suis* restituam, *ac* reddam; id est, ut *Virginem servam in Libertatem* restituam, *&* *abductam* reddam. Cicero pro Flacco: Reddat *misero Patri filiam*. Idem pro Domo: *Lucem, Salutemque* redditam

sibi

sibi, *ac* restitutam *accipere debuit*. Gellius Lib. 3. Cap. 8. *Captivosque omnes, quos tum habuerit*, restituisse, *&* reddidisse.

(*ll*) *Reddere* nonnunquam, & pro *Solvere*, atque *dare* capi, *Gifanius* loc. saepissimè alleg. est auctor p. 211. & quidem praeeuntibus *Plauto*, *Cicerone*, atque *Horatio*.

(*) *Reddo*, quod prius habui; *Trado*, quod non fuit in potestate alicujus.

Regium, quod Regis; (*mm*) *Regale*, quod Rege dignum est. *Corn. Fronto*.

(*mm*) ut Regia Domus, vel Aula, sive Vestis regia.

Religio est Cultura Dei; *Superstitio* verò est coelestium, & divinarum rerum, quae super nos stant, inanis, & superfluus Timor. Cicero Lib. 2. de Natura Deorum 71. *Non enim Philosophi solùm, verum etiam Majores nostri* Superstitionem *à* Religione *separarunt*. *Nam qui tota die precabantur, & immolabant, ut sibi sui Liberi superstites essent*, Superstitiosi *sunt appellati*, *quod Nomen patuit posteà latius*. *Qui autem omnia, quae ad cultum* DEORUM *pertinerent*, *diligenter pertractarent*, *& quasi relegerent*, *dicti sunt* Religiosi *ex* relegendo. (*nn*) Idem in Partitionibus Oratoriis: *Fortitudinem Audacia imitatur*, *&* Religionem Superstitio. Frequenter tamen *Religio* pro *Superstitione*; id est, inani *Timore*, *ac Sollicitudine* usurpatur à *Varrone*, *Cicerone*, *Virgilio*, & aliis, quorum Testimonia extant apud *Nonium*. Hinc *Religiosum* à *Superstitiosô* Varrò in Libris *Rerum divinarum* ita discernit, ut à *Superstitiosò* dicat *timeri* DEOS; à *Religiosô* autem tantùm *vereri*, ut PARENTES, non ut HOSTES *timeri*.

(*nn*) Leg. *Oliverii Arzignanens*. Commentar. Histor. & Litterar. ad *Val. Maximi* Lib. 1. Cap. 1. fol. 2. fac. b.

[*] *Religio* est erga DEVM; *Pietas* in DEVM, atque in PARENTES simul.

[*] *Relinquimus* lubentes; *Deserimus* inviti: Et, *Relinquimus* aliquid, quod in Loco relicto manet; *Deserimus* etiam Locum, ubi nihil manet.

(*) *Reliqui* sunt relicti; *Caeteri*, quos nescimus.

Remotum est, quod longè abest; *Semotum*, quod *seorsum* positum est. Lucretius Lib. 1. v. 59.

Semo-

Semota *à nostris rebus*, sejunctaque *Longè*.

Idem Lib. 4. v. 811.

Tempore semotae *fuerit*, *longéque* remotae.

(*) *Renunciare* Muneri, vel Hospitio, est recusare; *Renunciare* Consulem est declarare.

(*) *Reperio* non quaesitum; *Invenio* quaesitum; *Comperio* certo scio.

[*] *Reprimere* est ad tempus; *Comprimere* in perpetuum. Ideoque *Comprimi* plus est, quàm *Reprimi*.

Restiarius est, qui facit Restes; (oo) *Restio*, qui vendit, ut tradit *Fronto*. Sed meo judicio non rectè. Nam *Restiarius* est, ut *Lintearius*, qui *Restes* vendit, ex eâque re quaestum facit; *Restio* est, ut *Linteo*, *Pellio*, qui *Restes* intorquet & nectit, alter *Graecis* dicitur σχοινοπώλης, alter σχοινοπλόκος, sive καλωστρόφος, ut *Plutarchus* in *Augustô* dixit. Glossarium σχοινοπλόκος *Resticularius*, *Restio*. Svetonius in Augusto cap. 2. *Libertinum ei Proavum exprobrat* Restionem.

(oo) h.e. Vincula è *Cannabe*, vel *Stupa*, omni *fune* minora.

Restituimur iis, *quibus* nos volumus; *Reddimur* iis, qui *nos* volunt. (pp) *Restituimus* Volentem; *Reddimus* Volentibus. *Restituit* Cupiens; *Redditur*, & *Restituitur* Cupiens Cupientibus, *Donatus*.

(pp) Conf. jam, quae paulò ante sub REDDERE *Tit.* sunt dicta.

Resto, & Resisto ita differunt, ut *Obsto*, & *Obsisto*, de quibus suprà; etsi non perpetua est haec Differentia, & interdum RESTO pro *Resisto* sumitur. Ennius Lib. 7. Annal.

Illurici restant *sicis*, *sibynisque fodentes*.

Sallust. Lib. 1. Historiar. *Urbem multos* restantem *pugnando vicit*. Ovidius Lib. 2. Fastor. v. 749.

Postmodò victa cades: melioribus, *Ardea*, restas.

Propert. Lib. 3. (qq)

Dura fugiunt Troës, *dum restat Barbarus* Hector.

(qq) Eleg. 7. v. 31. ubi utraque *Tuscanelliana* Editio, & *Basileensis*, & *Hanoviensis*, pro *Dum fugiunt* TROES, etiam non incommodè heic legit; *Dum vincunt* DANAI.

Reum facere est in Judicio legibus interrogare de Crimine, de quo postulatum est; *Reum agere* est accusare, & actio-

& actionem prosequi. *(rr)* Nam primùm postulabat *Actor* à PRAETORE, ut *accusare liceret*, quô impetratô, Nomen *deferebat*; postremò *accusabat*. Coelius ad Ciceronem: *Cn. Domitium* Reum fecit. Idem: *Illud mihi occurrit*, *quod inter* Postulationem, *&* Nominis Delationem *Uxor* à Dolabellâ *discessit*. Valer. Maximus Lib. 6. cap. 8. M. Antonius, *Avorum nostrorum temporibus clarissimus Orator*, *incesti* Reus agebatur. Id. Lib. 8. cap. 1. FLAVIUS *à* C. VALERIO *Aedile apud Populum* Reus Actus. Sed haec ferè confunduntur, sicut & *Postulare*, & *Accusare*.

[rr] Leg. *Scbardii* Lexicon Juridic. p. 819. col. a.
[*] *Rhetorice* est Ars *bene dicendi* circa *Orationem* ad persuadendum idonea. Vnde RHETORICE *aliquid dicere* est *graviter*, *splendidè*, *magnificè*, *vehementer*, ac *copiosè* aliquid dicere. *Dialectica* autem est *rectè disserendi* scientia circa *Orationem*, quae *Interrogatione*, & *responsione* consistit. Haec *Diogen. Laertius* in Vita *Zenonis* Lib. 8. pag. 462. ubi verba *Graeca* sunt videnda.

Ripae propriè Fluminum sunt; *(ss)* *Littora* Maris, ut Ovid. Lib. 1. Metam. v. 42. - - - - *Pro* Ripis Littora *pulsant*.

[ss] Dictae à ῥίπη, quod impetum *Ventorum*, vel *Aquarum*, quem sustinet RIPA, denotat.

Rixam, & *Turbā* multùm differre *Labeo* ait (l. 4. D. de Vi bon. rapt.) *Nā* TURBAM *Multitudinis Hominum* esse *Turbationē*, & *Coetū*; RIXAM etiam Duorum. *(tt)* Unde Edictô *Praetoris* de *Damnô*, quod in *Turba* datum est, in *Turba* factū interpretatur Ulpianus l. 4. §. 3. D. de Vi bon. rapt. quòd *decem*, aut *quindecim hominibus coactis factum est*. Ego hoc amplius interesse puto, quòd *Rixa* levis Verborum velitatio est; *Turba* multitudinis (*commotio*, seu) concursus, vel concertatio, & pugna. Cicero in Verrem: *Ecce autem nova* Turba, *atque* Rixa. Livius: *Concursu hominum*, Rixa, *ac prope praelium fuit*. RIXA sine *Armis* est, & habet *Defensionem*; PUGNA *Legem* habet vel *naturalem*, vel *moralem*. Palaestrans enim vel adhibet *Virtutem*; vel *Armis* per sua *Vitae* pericula dimicat. *Corn. Fronto.*

(tt) Vid.

[tt] Vid. *Valla* Lib. 6. *Elegantiar.* Cap. 61. p. 479. Caeterùm TURBA in *Turbam* concitata acceptat *turbida* consilia, *turbatque* seipsam, & alios. Sicut & cuilibet *Turbulentus* quietem *interturbare*, Negotia *perturbare*, Bonos *conturbare*, sed & sibi tandem *turbulenter* agenti poenam accersere facile est. Nam ut Res *turbatae* tranquillentur, necesse est, *Turbatorem proturbari*, hoc est, de Statu *deturbari*, Complices ejus *disturbari*, aliquando & Patria *exturbari*. Tu si vivere optas *imperturbatus*, vive quietus. *Comenius.*

Roseum per se; *Rosaceum* mixtum. (*uu*) *Cornel. Fronto.*

[uu] Sic ROSACEAS *Corollas* quaerimus apud *Virgines*; ROSEAM autem *Fragrantiam* in talibus *Corollis*.

Ruber color simplex, atque nativus est; *Rubeus* sive *Robeus* mistus, & concretus ex *Rubrô*, & *Albô* paululùm virenti, ut in *Melle*, & in *Moris maturescentibus*; ita dictus, quia ex *Rubiae* Herbae radice, quam ἐρυθρόδανον *Graeci* appellant, in tinctoriis Officinis conficiatur; *Rubidus* verò est rufus, *nigrore multô* infuscatus, fortè à *Rubi* fructu dictus. Plautus in Casin. Act. 2. Sc. 2. v. 1. seq.

- - - - *In furnum calidum condito,*
Atque ibi torreto me pro pane rubido.

Varro Lib. 2. de Re Rust. *Colore potissimum nigrô, dein* rubeo, *tertiò heluô, quartò albô*. Vetus inscriptio: OMNIBUS ANNIS VITULO ROBEO, ET VERRE.

[*] *Rumor* tumultuatur; *Fama* indicat; *Opinio* reddit suspectum. (*xx*) (*nuncupatum*, seu *devotum*, atque)

S.

SAcrum est, quod *publica auctoritate* DEO rite (*xx*) consecratum est, ut SACRI *Luci*, *Montes*, SACRA *Templa*, *Ornamenta*, *Certamina*, & alia, quae publico *civitatis* instituto, aut permissu *Principis* DEO dedicata fuerunt. *Sanctum* (l. 8. D. de Rer. Divis.) est, quod *sanctione* quâdam, & *Praecepto* firmatum, & ab *injuria Hominum* munitum est; (*yy*) etsi non sit DEO consecratum, ut, SANCTI *Muri*, & *Portae*, quae sine nefario scelere non violantur; SANCTI *Legati*, quibus noceri

non

non debet; SANCTAE *Leges*, quae certam poenam constituunt, & sanciunt in eos, qui ptaeceptis *Legum* non obtemperaverint. *Religiosum* est, quòd à *communi Hominum usu* semotum, & *sanctitate* quâdam reverendum est, ut, RELIGIOSA *Sepulchra*, *Monumenta*, in quae Mortuus illatus est. Ita SACRUM est divinum, & DEO *dicatum*; SANCTUM *incorruptum*, & *inviolatum*; RELIGIOSUM *venerandum*. Et SACRA, atquè SANCTA *Religionem* habent *publicam*; RELIGIOSA verò *privatam*, ut, *Sepulchra*, & *Monumenta*, quae olim cuilibet privatâ auctoritate constituere permittebantur, Et ideò publicâ religione carebant. Praeterea SANCTA, & RELIGIOSA tàm *animata* sunt, quàm *inanimata*; etsi Livius Lib. 3. dixit, *Quibus ipsi* DII *neque* sacri, *neque* sancti *sunt*. Et Ovidius Lib. 3. Amor. Eleg. 9. v. 17.

At sacri *Vates, & Divûm cum vocamur.*

Nam utrìque *impropriè* SACRI dicuntur, alteri, quia *Sacra* ipsis offeruntur; alteri, quia *Sacra* ferunt, quasi Sacerdotes, ut ait Virgilius: (zz)

Me verò primùm dulces ante omnia Musae,
Quarum Sacra *fero.* - - - - - -

Et Persius: (a)

Ad Sacra *Vatum carmen adfero nostrum.*

Interdum tamen *haec tria* proportione quâdam, & similitudine eadem sunt, ut *Templa*, *Altaria*, eadem & *Sacra*, quia DIIS *dicata*; & *Sancta*, quòd ea violare nefas sit; & *Religiosa*, quoniam ab usu hominum remota; id, quod Festus ex *Aelio Gallo* refert his verbis: *Quod* Sacrum *est, idem Lege, aut instituto Majorum* SANCTUM *esse, ut violari id sine poena non possit. Idem* RELIGIOSUM *quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat. Quod si faciat, adversus* DEORUM *voluntatem videatur facere.*

(yy) q. f. *sanguine* consecratum, & propterea *inviolabiliter* statutum.
(zz) Lib. 2. Georg. v. 475. seq.
(a) in Prolog. v. 7.

Sa-

Sacrarium, & *Sacrum Locum* separat Vlpianus ad Edictum 68. L. 9. D. de Rer. Divis. *Illud notandum est*, inquit, *aliud esse* Sacrum Locum, *aliud* Sacrarium. Sacer Locus *est Locus consecratus*; Sacrarium *est Locus*, (*b*) *in quo Sacra reponuntur*, (& asservantur) *quod etiam in Aedificio privato esse potest*; *& solent*, *qui liberare eum Locum* Religione *volunt*, Sacra *inde evocare*. Idem. Ibidem L. 1. D. Nequid in Loc. sacr. *Ait Praetor*, In Loco sacro *facere*, *inve eum immittere quid*, *veto*. *Hoc Interdictum de* sacro Loco, *non de* Sacrario *convenit*. Cui adstipulatur Servius in illud Virgilii Lib. 12. Aeneid. v. 199.

- - - *Duri* Sacraria *Ditis*.

SACRARIVM, inquit, *propriè Locus est in* Templo, *in quo* Sacra *reponuntur*; *sicut Donarium est*, *ubi collocantur oblata*. Sed Varro, Cicero, Svetonius, & alii SACRARIVM pro *Sacello* utuntur non semel. Vnde SACRARIVM & SACELLVM significat, & Locum consecratum, sive in *Templo*, sive in *privatis Aedibus*, in quo vel *sacrae res* custodirentur, vel *Sacra Gentilitia* fierent. (*c*) Cicero in Verrem: *Erat apud* Nejum SACRARIVM, *cum magna dignitate in aedibus*, *à Majoribus traditum*. Idem Memmio: C. Aviano Evandro, *qui habitat in tuo* SACRARIO.

[*b*] seu Pars intima *Templi*.
(*c*) Aliàs *Sacellum* describitur, quòd sit Locus parvus cum *Ara* DEO sacratus.

Sacrificare est Veniam petere; (*d*) *Litare* est propitiare, & Votum impetrare. Virgilius: (*e*)

Tu modò posce DEOS *veniam*: *sacrisque* litatis, &c. Nonius.

(*d*) seu *propriè* Sacra facere; in *specie* verò Hostiam Deo offerre.
(*e*) Lib. 4. Aeneid. v. 50.

Salem, quo utimur, *Singulari* tantum *Numero* dicimus; cùm *Jocum* (* *urbanum*) significamus, *Pluralem* tantùm ponimus numerum, (*f*) nisi quod *Singulari Numero* etiam aliquando *Urbanitatem* denotamus. Terent. in Eunucho. (*g*) *Qui habet* Salem, *qui in te est*; i. e. quae res

in te est. *Salum, Sali*, Mare denotat, ut canente Virgilio 1. Aeneid. v. 537. *Perque undas superante* Salo. *Servius*.

(*f*) Intereà danda est opera, ut *Sales* intelligamus, ne *insulsi* simus, & *insulsitate* nostra *salsos* risus aliis praebeamus, NB.
[*g*] Act. 3. Sc. 1. v. 10. & seq.

Salio est transcendo, & supero saltu; (*h*) *Salto* est motûs compositos pedibus edo. ILLUD est *alacritatis*; HOC *elegantiae*. Cato in Originibus: *Caprae fere sunt, quae* saliunt *è saxô pedes plus sexagenos*. Quanquam *Poëtae* interdum SALIO pro *Salto* usurpant. Virgil. Lib. 2. Georgic. v. 382.

Mollibus in pratis unctos saliêre *per utres*.

Propertius Lib. 4. Eleg. 5. v. 51.

Caelati medio cum saliêre *foro*.

A SALIO autem fit *Saltus*; à SALTO, *Saltatus*, & *Saltatio*. Sallust. Lib. 3. Historiar. Pompejus *cum alacribus* Saltu, *cum velocibus Cursu, cum validis vecte certabat*.

[*h*] SALIRE *ante se*, Necessitatis est, quando *saltu* superanda est fossa; SALIRE *sursum, deorsum*, Laetitiae est, ut videre est in illis, qui *subsultim* ingrediuntur; & in *Saltatoribus*, ac *Saltatoribus*, qui ad Musicam *saltando* sese in *Saltatorio* Orbe versant. *Comenius*.

Saltare Verbum *generale* est, quô omne Genus *Saltationis* continetur; *Tripudiare* propriè est ter pede in *saltandô*, quantum per artem licet, terram ferire. Quod intelligit Horatius: (*i*)

- - - - - *Nunc* pede liberô
Pulsanda tellus: - - - -

Et alibi: (*k*)

Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede *terram*.

Hinc *Saltatum*, & *Tripudium* separat Livius Lib. 120. *Ancilia ferre, ac per Urbem ire cantantes Carmina cum* Tripudiis, *solennique* Saltatu *jussit*.

[*i*] Lib. 1. Carmin. Od. 37. v. 1. seq.
(*k*) Lib. 3. Carmin. Od. 18. v. 15. seq.
[*] *Salvator*, & *Servator*, utpote *Graec* Voci Σωτὴρ, & *Ebr.* JESUS respondentia Vocabula, quomodò inter se differant, docet *Balth.* *Meisne-*

Meisnerus Disp.6.*Christolog.Sac* §.11. atque *Jacobus Pontanus* in *Amicis Bellariis* Syntag.10.p.612.seq.

Salubre ad Locum refertur, & ad cibum; *Salutare* Consilium est. (*l*) Ita *Salubre* non nocet, *Salutare* prodest. *Corn. Fronto.*

[*l*] vel SALUBRE *Loci* est, & *Personarum*; SALUTARE verò *Consilii*.

Sanguis (*m*) est, dum manet; effusus, *Cruor* dicitur. *Clarus*.

[*m*] (ruber quippe in *Animante* humor)
[*] *Sanguis* in Corpore; *Cruor* effusus; *Sanies* cruor putridus.

Sanies, & *Tabum* conjunguntur à Virgiliô Lib. 8. Aeneid. (*n*)

- - - Sanie, Tabô*que fluentes*
Complexu in miserô longâ sic morte necabat.

Ea quidem distinguuntur, ut SANIES de *Mortuo* dicatur; TABUM de *Vivô*. Quam Differentiam refellit ille ipse Virgilius, cùm de *Mortuis* dicit Lib. 3. *Georgic*. (*o*)

Et genus omne neci Pecudum dedit, omne Ferarum;
Corripuitque Lacus, infecit pabula tabô.

Et Svetonius in Vitelliô cap. 10. *Abhorrentes quosdam cadaverum* tabum. Tacitus Lib.2.Historiar.70. *Foedum, atque atrox spectaculum, intra 40. pugnae diem; lacera corpora, trunci artus, putres virorum, Equorumque formae, infecta* tabô *humus, protritis arboribus, atque frugibus dira vastitas*. Verius ergo est, SANIEM esse *atrum Sanguinem*; TABUM esse *Liquorem* putridum, cujus appellatione interdum continetur omne id, quod ex *putrescentibus* defluit. Unde Virgilius aptè dixit Lib.3. Aeneid. v.28.seq.

- - - *Huic atrô liquuntur sangnine guttae,*
Et terram tabô *maculant*. - - -

Lucanus Lib.6. v.548. seq.

Stillantis tabi saniem, *virusque coactum*
Sustulit. - - - - - - -

Antiquus Poëta, apud Cic. Lib.1. Tuscul. n.107.

Saxa spargens tabô, sanie, *& sanguine atro:*

(n) vers. 487. seq.

(o) vers. 480. seq. ubi posteriore versu Editio *Erythraei* Veneta, & *Pauli Manutii* Antverpiensis Plantina pro *corripuit*, CORRVPIT etiam sat commodè legunt.

Sanus, qui salvus est; (*p*) *Validus*, qui multum rerum necessariarum ad salutem habet. Donatus.

[*p*] Sic *Sanitas* tum *Corporis*, tum *Animi* est. Sed praecipuam Elegantiam habet, cum ad *Animum* refertur. Exempla vid. apud *Doletum* loc. cit. fol. 148. fac. a. col. 2.

Sartrix, quae sarcit; *Sarcinatrix*, quae sarcinas servat. *Corn. Fronto.*

[*] *Satietas* ad *omneis Sensus* pertinet; *Saturitas* saltem *ad Gustum.*

Satio (*q*) ad *omneis Sensus*, & ad *Animum* quoque pertinet; *Saturo* magis ad *Corpus*. Cicero: Satiare *desideria Naturae*. Hinc dicitur *Satietas* omnium rerum, ut Satietas *Hominum*, *Aurium*, Satietas *Vitae*, *Provinciae*, apud Ciceronem; *Saturitas* tantùm earum rerum, quae ad *Victum* pertinent. Idem de Senectute: Saturitate *copiâque omnium rerum, quae ad victum* Hominum, *& ad cultum etiam* Deorum *pertinent.*

(*q*) quod *propriè* idem est, ac *cibis impleo*. Ad *Animum* retulit *Cicero*, quando pro *Milone* Cap. 18. sic dixit: *Sanguine, & vulneribus suis crudelissimi Inimici mentem, oculosque* Satiavit.

Satisfacere (l. 9. §. 3. D. de Pign. Act.) est desiderium *Creditoris* quôcunque modô implere: & *Satisfactum* accipimus acceptilatione, & jurejurandô, & nudâ conventione, vel fidejussore, vel pignore: vel pretiô aliquo dato; *Solvere* propriè est *pecuniam* pro eo, quod debetur, Creditori reddere. Hoc enim Verbo *Nummorum* numeratio, vel alia naturalis ejus, quod debetur, praestatio intelligitur. (*r*) Pomponius Lib. 7. ex Plautio leg. 41. §. Sed si ita. D. de Manumiss. Testam. *Si* solverit, satisve fecerit, *liber esto*: *Non potest is servus, nisi triennio praeterito, liber esse; nisi praesentem eam pecuniam* solvat, *aut* satisfaciat. Idem ad Q. Mucium 31. l. 19. de Contrahen. Emt. *Quod vendidi non aliter fit accipientis, quàm si aut pretium nobis* solutum *sit*, *aut* satis *eo nomine* factum

ctum. Sed interdum *Solvere* latiùs patet, & *Solutionis* appellatione omnis liberatio quoquô modô facta, & qualiscunque *Satisfactio*, quâ *Creditor* contentus fuerit, continetur, ut auctor est Vlpianus L. 176. D. de Verb. Sign. Et *Satisfacere* est verbis excusare; Et *Satisfactio*, excusatio. Cicero Philippicâ 2. *Acceperam* Caesaris *litteras, ut mihi* satisfieri *paterer à te*. Idem Trebatio: *Hic tu me etiam insimulas, nec* Satisfactionem *meam accipis*.

(r) Conf. *Scardii* Lexicon Juridicum p. 835. col. a.

Saxum est lapis durior, asperiorque, qui montibus exciditur; (s) *Silex* est lapis minor, & durus, ex quo ignis excuti potest. Cato in Q. Thermum: *Ego jam à principio in parsimonia, atque in duritia, atque industria omnem Adolescentiam meam abstinui, agrô colendô*, Saxis SABINIS, Silicibus *repastinandis atque conserundis*. Lucretius Lib. 2. v. 447. seq.

In quo jam genere imprimis adamantina Saxa
Primâ acie constant, ictûs contemnere sveta:
Et validi silices, *&* *duri robora ferri.*

Virg. (t)

Stabat acuta Silex *praecisis undique* Saxis.

(s) Sic *Saxeis* Montibus internascuntur variae *saxatiles* [seu *saxetanae*] Herbae. Abi ad *Saxeta* in *saxosis* Regionibus videbis.
(t) Lib. 8. *Aeneid.* v. 233.

Sceleratus est, qui *Scelera* versat animo, & opere perficit; *Scelerosus*, qui multorum *Scelerum* auctor damnatusve existit; *Scelestus*, qui *Facinus* aliquod patravit. Terent. in Eunuch. Act. 4. Sc. 3. v. 1.

Ubi illum ego scelerosum, *misera, atque impium inveniam?*

Varro de Linguâ Lat. *Ante privati hujusce* T. QVINTII TROGI scelerosi *Hominis ostium canat.*

[*] *Sceleratus* est contaminatus; *Scelerosus* plenus scelere; *Scelestus* excogitat exitium.

[*] *Scientia* rei certae est; Opinio incertae. Itaque *Scire*, & *Opinari* differunt, quod *Cicero* indicat pro *Archia* his verbis: *Adest Vir summa auctoritate, & fide* Lucius Lucullus, *qui se non* opinari, *sed* scire;

non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit.

[*] *Scrutor* profundum; *Sciscitor* sciendi; *Percontor* arguendi causa.

[*] *Sciscere*, & *Jubere* s .n' *suffragio* aliquid *probare*, aut *improbare*. Sed *sciscit* plebs; [unde appellata sunt *plebiscita*] Populus verò *jubet*. Quamvis etiam Plebs *Jubere* dicatur; inde *Scita*, & *Jussa* appellata sunt.

Scorpio bellica Res est; (*u*) *Scorpius* Animal. *Clarus*.

(*u*) seu *Machinula militaris*, quae parvis spiculis infert mortem.

Scrutatur in te ille, qui intercipit quaedam Secreta: *Quaerere* duo significat, vel quod *abest*, vel quod ad *Patrimonium* pertinet. *Corn. Fronto*,

[*] SE simplex ponitur, cùm aliquis se in *alium* quid fecisse fatetur; SESE geminatum, cùm in *seipsum*. uti *Caesar* Lib. 2. de *Analogia*, praecepit, auctore *Servio*. Consf. Charisius.

[*] SECESSIO idem est, quod *Seditio* esse potest; Sed non SEDITIO, *Secessio*. SEDITIO enim est, cùm *Plebeji*, & *Patricii* in Vrbe aliqua ita *dissentiunt*, ut Pars eorum mixta in utrisque Partibus *Plebeji*, & *Patricii* mixti. In SECESSIONE autem altera Pars dividitur, & *secedit* ab altera: atque in una Parte tantùm *Plebeji* sunt, in altera *Patricii*. Goclenius.

Secus, *Secius*, & *Sequius* nonnulli ita distinguunt, ut *Secus* significet aliter, vel malè; (*x*) *Secius* minùs; *Sequius* deterius, aut pejus. Svetonius in Tiberio cap. 2. *Multa etiam* secus *admissa in Rempublicam extant*. Tacitus Lib. 2. Annal. 50. *Interrogatus à Consule, quid de his Censeret, quae de Matre ejus locuta* secus *argueretur, reticuit*. Virgil. Aeneid. 5. v. 862.

Currit iter tutum non secius *aequore classis*.

Varro in Tanaquil. *Non modò absens quicquam de te* sequius *cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem*. Livius Lib. 1. *Invitus, quod* sequius *sit, de meis civibus loquar*. Mihi videtur, illa duo *Seciùs*, & *Sequiùs* omninò eadem esse, nec magis differre, quàm *Arcus*, & *Arquus*; *Oculus*, & *Oquulus*, de quibus *Libro* 1. dixi.

[*x*] Sic SECVS decursum aquarum feruntur *Salices*; SECVS ac *Juniperi*. qui *sicco* gaudent. *Comenius*.

Segnitia est tarditas; (*y*) *Socordia* est remissio. ILLA Corporis; HAEC Animi. Plautus in Asinariâ Act. 2. Sc. 1. v. 6.

Quin tu abs te Socordiam *omnem rejice, &* Segnitiem *amove*.

Te-

Terent. in Andriâ Act. 1. Sc. 3. v. 1.

Enimverò, Dave, *nihil loci est* Segnitiae, *neque* Socordiae.

Ubi Donatus: Segnitiae *ad agendum*; Socordiae *ad considerandum*. Livius Lib. 1. *Jam* segnius, socordiusque *oppugnabant*.

(y) Sic *Segnis* omnia agit *Segniter*, qui aliter agere *Segnitie* prohibetur.

[*] *Sementis* est ipsa Satio; *Seges* nondum demessa; *Fruges* fructus *Terrae*, & *Arborum*.

Sempiternum ad DEOS pertinet; *Perpetuum* ad *Homines*. (z)

(z) Caeterùm *Perpetuum* est, quod intermissione; *Sempiternum* autem, atque *Aeternum*, quod fine caret.

Senes appellantur, qui usque ad senilem Aetatem pervenerunt; *Veteres*, qui superioribus temporibus vixerunt. Ita *Senes* sunt, *Veteres* fuerunt. Aliquando tamen *Veteres* dicuntur *Senes*, ut VETULUM pro *Sene* dici, notissimum est. Terent. in Eunucho Act. 4. Sc. 4. v. 21.

Hic est vetus, *vietus*, *veternosus* Senex.

Lucilius Lib. 14. Satyr. (*aa*)

Nam Vetus *ille* Cato *dignum quemcumque lacessit*.

Varro in Bajis: *Quod non solùm* Innubae *fiunt communes*, *sed etiam* Veteres *puellescunt*: *& multi* Pueri *puellascunt*. Antiqua Inscriptio: ARUNCITANI VETERES, ET JUVENES OPT. CIV. Alia: ARBOCRISENSES JUVENES, ET VETERES STATUAM IN FORO POSUERE.

[*aa*] p. 169. ubi ex *Capro*, quem *Priscianus* Lib. 10. in Verbo LACESSO citavit, sic allegata sunt invenienda: *Nam* vetus *ille* CATO *lacessisse appellari*, *quòd conscius ipse non erat sibi*.

Sensus sunt, qui sentiunt, ut, Gustus, Tactus; *Sensa* sunt, quae sentiuntur, velut objecta *Sensus*, & Concepta *Mentis*. Cicero de Oratore: *Et quòd exprimere dicendò* Sensa *possumus*. Interdum tamen *Sensus* accipitur pro *Sententiâ*, *Ratione*, *& Voluntate*. Lucret. Lib. 2. v. 886.

Quod movet, & varios Sensûs *expromere cogit.*

Livius Lib. I. *Ut elicere omnia Arcana, specularique abditos ejus* Sensûs *possent.*

[*] *Sequimur* Pedibus; *Imitamur* Moribus; *Assequimur* Studio. Aliàs: *Sequimur* Vestigia; *Imitamur* Mores.

Sertum, & *Serta*, cum nihil adjicimus, dicitur, ut Virg. Aeneid. I. v. 417.

- - - Sertis*que recentibus halant.*

Et idem Eclog. 6. v. 16.

Serta *procul tantùm capiti delapsa jacebant.*

Si autem *Sertos* dixero, addo Flores; Si *Sertas*, addo coronas: (*bb*) ut Lucanus Lib. 10. v. 164.

Accipiunt Sertas *nardô florente coronas.*

(*bb*) Notandum autem, quòd SERTUM *Gen. Neutr. Coronam* quoque, sive *Corallam* significet, h. e. circularem textum eorum Florum, qui *capiti redimendo* apti sunt, ac destinati. Leg. *Paschalii* Lib. I. de *Coronis*, Cap. 12. p. 35. seq.

Servire, & *Servum* esse separat Quintilianus Lib. 5. ita, ut SERVIRE *latiùs* pateat. Nam serviunt *etiam Famulus, Addictus*, & *Nexus*, *licet liberi*; Servus *est is solùm, qui servilis conditionis est.*

Servitus est sub Domino: *Servitium* patientia Servi facit. *Corn. Fronto.*

[*] *Servitus* est Necessitas; *Servitium* est multitudo Servorum.

[*] *Servo, Asservo, Reservo* idem est, ac in *Tempus futurum* aliquid repono; *Conservo* est praesentem *Statum* continuo; sed *Retineo* est *non dimitto.*

Serum ad Negotium pertinet; *Serò* ad Tempus. (*cc*) *Corn. Fronto.*

(*cc*) Sic *sera* Dei pars *Serum* est; sed *Sero* maturescens fructus est *serotinus.*

Sestertius dicitur quarta pars *Denarii*. Itaque cùm DENARIUS *Decussi*, id est, decem *Assibus* aestimabatur, tum *Sestertius* duobus *Assibus*, & *Semisse* permutabatur. At cùm sedecim *Assibus* DENARIUS aestimatus est, tum *Sestertius* quatuor *Asses* valuit, auctore Pliniô Lib. 33. *Sestertium* valet mille *Sestertiis* Nummis, suntque idem *mille Nummi*, & SESTERTIUM; ut, quod Varro Lib. 3. de Re Rustic. scribit: *Mulum emptum*

octo

octo SESTERTIIS, hoc octo *millibus Nummûm* dixit Macrobius in Saturnal. & quod Tacitus in 7. Annal. Lib. 11. *Capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena* SESTERTIA, hoc Plinius Lib. 5. Epistolar. *Peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare*.

[*] *Severitas* Auctoritatis est; *Accuratio* Sollicitudinis; *Diligentia* Laboris.

[*] *Sic* ad Exemplum; *Ita* ad Rationem *communiter* refertur.

Sidus est Signum fixum, in quo plures *Stellae* insidunt, ut *Aries*, *Taurus*, *Perseus*, *Andromeda*, & si quod aliud *Notâ*, aut *Formâ* aliquâ in Coelum receptum est. *Stella* est erratica, & sola fertur, non admissis aliis *Stellis*, ut *Lucifer*, *Vergiliae*, *Vesperugo*, & reliquae omnes toto Coelo sparsae. Cicero Lib. 6. de Republicâ: *Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae* Sidera, *&* Stellas *vocatis*. Lucretius Lib. 2. v. 209.

Non cadere in terram Stellas, *&* Sidera *cernis?*

Quanquam interdum SIDVS pro *Sole*, & *Luna*, aliquando (sed ferè Numero *Multitudinis*) pro *Stella* usurpant Cicero, Quintilianus, & Poëtae; ut quod dixit Lucretius: Sideribus *fixum Coelum*; Hoc Virgilius: (*dd*) *Coelum* Stellis *ardentibus aptum*. Sed STELLA pro *Sidere*, sive *Signo*, apud nullos Auctores reperitur. Itaque vera, & perpetua est illa Differentia, quam posuimus; etsi *Valla* aliter sentiat.

(*dd*) Lib. 4. *Aeneid.* v. 481. seq. & Lib. 6. v. 797. seq. ubi verba, (ut & loc. priore) *propriè* sic sonant:

- - - - - - - *Coelifer* Atlas
Axem humero torquet Stellis *ardentibus aptum*.

[*] *Sidus* non sine Astris; *Astra* non sine Sidere.

Signum, & Statua ita differunt, ut *Genus*, & *Species*. Nam SIGNVM est exemplum & DEI, & *Hominis*, & *Bruti*; STATVA est DEI tantùm, & *Hominis*. Ita *Statua* omnis Signum est, non *contrà*. Et STATVA ponitur in *Foro*, aut in alio *publico*, & *conspicuo Loco*; Signum in *Templis*, vel *Aedibus privatis*. Cato in Oratione:

tione: *Uti praeda in publicum referatur, Miror audere, atque Religionem non tenere.* Statuas DEORVM *exempla earum facierum*, Signa *Domi pro supellectile statuere.* Praeterea SIGNVM interdum dimidiam habet eminentiam, & haeret in ipsa *Materia*, in qua vel incisum est, ut in *Gemma*; vel incrustatum, aut affixum, ut in *Vase Coelato*; vel intextum, ut in *Veste*. Virgil. Lib. 1. Aeneid. v. 648.

- - - *Pallam signis, auroque rigentem.*

STATVA verò integra undique, & solida prominet, nec *Materiae*, unde facta est, inhaeret.

(ee) Vid. *Emundi Figrelii* Liber singularis de STATVIS *Illustrium Romanor.* Cap. 23. p. 199. seq.

Signa, & *Vexilla* saepe jungunt *Historici*, inter quae hoc interest, quod *Signa* erant oblongae Hastae, in quarum summitate breve transversim affixum lignum ad formam Crucis cum titulo *Cohortis*, ut Cohort. 1. aut 2. (ff) *Vexilla* erant parva vela. ILLA habebant Caesarum ex aurò, argentôve *Imagines* innexas à summo ad medium; HAEC quoque eorum *Nomina* praeferebant. Svetonius in Nerone cap. 13. *Inter* Signa *militaria, atque* Vexilla. Idem in Vespasiano cap. 6. *Nomenque ejus* Vexillis *omnibus sine mora inscripserunt.* Tacitus Lib. 1. Historiar. 36. *Medium inter* Signa OTHONEM Vexillis *circumdarent*. Idem Lib. 2. 18. *Correptis* Signis, Vexillis*que ruere*. Hinc manarunt elegantes, & usitatae Locutiones, *Signa movere, Signa inferre, Concurrere infestis Signis, sub Signis ducere, habere*; item *Vexillum flagitare*, pro *Velle exauctorari*, *Ad Vexillum ducere, sub Vexillo retineri*, id est, *exauctoratum esse*; quae legenti Libros Historicorum occurrunt.

[ff] Ideoque dicuntur in *specie* SIGNA MILITARIA, quando nempe eriguntur, & à *Signiferis* gestantur, propugnanda ab *Antesignanis*. In *genere* autem dicuntur SIGNA *Notae rei arte* curiosè *inditae*.

Silere propriè est eorum, qui jam *loqui* coeperunt; (gg) *Tacere* est & loquentium, & non loquentium. Plautus in Poenul. prolog. v. 3. Sileteque, & tacete, *atque animum*

mum advortite. Cic. pro Syllâ: *Cùm caeteri de nobis* silent, *non etiam nosmetipsi* tacemus. Confunduntur tamen interdum, ut quam Catullus *Tacentem Noctem*, eandem Virgil. (*hh*) *Silentem* dixit. Et idem rursus (*ii*)

- - - Tacitae *per amica* silentia *Noctis*.

(*gg*) Aliàs *Silere* idem est, ac *nihil soni edere*. Illud enim *silet*, quod nihil sonat; *Silescit* autem, quod *sonare* desinit, ut fiat *silentium*.
(*hh*) Lib. 4. *Aeneid*. v. 527. & Lib. 7. *Aeneid*. v. 90. 102. & seq.
(*ii*) Lib. 2. Aeneid. v. 255. ubi pro *Noctis* Voce VOX LVNAE in *plurimis Editionibus* nequaquam inique est substituta.

Simul notat conjunctionem Temporis; (*kk*) *Unà* conjunctionem Loci. Unde dicuntur SIMVL *fuisse*, qui eôdem tempore fuerunt; UNA, qui in eôdem Locô. Cic. ad Marium: *Proximè fuimus* unà.

(*kk*) Interdum etiam denotat idem, ac *simili ratione*, *unà*, atque *conjunctim*.

Simulare est referre, & effingere id, *quod* est; *Dissimulare* est *artificiosè*, & *astutè* aliquid celare, ne intelligatur. (*ll*) Itaque *Dissimulamus*, quae sunt; *Simulamus*, quae non sunt. Cic. Lib. 1. Officior. *Quidam* simulabit, *aut* dissimulabit *Vir bonus*. Sallust. in Catilinâ: *Cujuslibet rei* Simulator. Arnobius L. 2. Simulare *in hominibus discerent*, dissimulare, *mentiri*.

(*ll*) seu ea, quae sunt non *apertè* prodere. *Insimulare* autem est per *simulationem* criminari.
[*] *Singulare* in *suo genere* est unicum; *Eximium* est praestantius.

Sinus est Genus *Vasis*, quod cùm significamus, Si producitur; cùm *Gremium* significamus, Si corripitur. *Servius*.

[*] *Sinus* est Vas fictile ventrosum; *Sinus* est laxitas vestimenti supra *cingulum*, cui indimus aliquid.

Sobrini ex duabus Sororibus; (*mm*) *Consobrini* ex Fratre, & Sorore. *Donatus*.

(*mm*) seu *Sobrini* sunt *duarum Sororum* Filii; *Consobrini* ex *Sobrinis* nati.
[*] *Societas* in *utramque sumitur* partem; *Conjuratio* in *malam*.
[*] *Solus* est relictus; *Unus* ex multis; *Unicus* inopia aliorum; *Solitarius* semper fine aliis.
[*] *Solvere* ALICVI est satisfacere; *Solvere* ALIQVEM est liberare.

Somnus

Somnus est (nn) naturalis, & placidus; *Sopor* est profundus, & plerumque noxius, ut *Temulentorum*, *Fessorum*, & *Aegrotorum*. M. Coelius in Anton. *Namque ipsum offendunt temulento* Sopore *profligatum*. Id. ibidem: *Semisomno* Sopore *inter manum Centurionum*, *Concubinarumque jactabatur*. Plinius: *Curandum*, *ne* Somnus SOPOR fiat.

(nn) [*Sensuum* quies, & quidem]

Sordidus est, qui *sordibus*, vel *illuvie* squallet, ut *Dissolutus*, aut *Avarus*; *Sordidatus* est, qui *Sordida veste*, & *obsoleta* amictus est, ut *Reus*. Ille *Natura*, vel *Instituto*; HIC *Necessitate* fit. (oo) Terent. in Heautont. Act. 2. Sc. 3. v. 56. *Scin' tu hanc*, *quam dicit* sordidatam, *&* sordidam.

(oo) Vnde SORDIDVM *Natura*; SORDIDATVM autem sordidum *factum dicitur*.

[*] *Speculator* in malam; *Legatus* in bonam partem sumitur. Sive *Speculatoris* [i. e. *Exploratoris* alienorum consiliorum] nomen est infame; *Legati* honorificum.

Speculum est, quô ora, ac imagines Animantium, Rerumque redduntur; *Specularium* est, quod lumen transmittit, & transfundit in aedes, ut hodie per *Vitreamina*, & *Chartacea* fit; sic dictum, quòd olim fiebat ex *lapide speculari*, quem *Hispania* dabat, qui *vitri* modô perlucidus in quaslibet tenues crustas findebatur, ut tradit Plin. Lib. 6. Seneca ad Lucilium: *Quaedam nostra demum memoria prodiisse scimus*, *ut* Speculariorum *usum*, *perlucente testa*, *clarum transmittentium lumen*. *Specula* significat Locum, ex quô despicimus. Virgil. Lib. 10. *Aeneid*. (pp)

- - *Utque Leo*, speculâ *cum vidit ab alta*, &c.

Martialis Lib. 8. Epigrammat. 14. v. 3. seq.

Hibernis objecta notis specularia *puros*
Admittunt Soles, *& sine luce* (qq) *diem*.

(pp) v. 454. Conf. Lib. 3. *Aeneid*. v. 239. seq.
(qq) Heic legit Editio *Langiana* pro *sine luce*, nequaquam iniquè SINE FAECE.

Sperata Sponsa dicitur, quae nondum petita est; dehinc

hinc *Dicta*, *Pacta*, *Promissa* dicitur. Plaut. in Amphitr. Act.2. Sc.2. v.44.

Amphitruo uxorem salutat laetus speratam *suam*. Virgil. Lib.2. Aeneid. v.678.

- - - *Conjux quondam tua* dicta *relinquor*.

Idem: (rr)

- - - - *Gremiis abducere* pactas.

(rr) Lib.10. *Aeneid*. v.79.

Spinus Masculinô genere *Prunorum Arbor* vocatur; *Spina* verò Foem. *Sentes*. Servius.

(*) *Spondere*, & *Despondere* ita distinguit *Donatus* Commentar. in *Terent*. ut *spondeat* PVELLAE Pater, *despondeat* ADOLESCENS, ut: *Despondeat* Puellam, qui petit; *Spondeat* autem, à quo petitur. Sed ubique haec *Donati* Differentia non observatur. Illud tamen observari solet, ut *Spondere*, vel *Despondere* Puellam, non *Adolescentem* dicamus. Sibi quoque *Adolescens* uxorem *despondere* dicitur. Leg. *Gocle-nii* L.L. *Observationes* p.248.

Statura significat Corporis quantitatem, ut Statura eminens, brevis; *Status* est corporis habitus, dispositio, & σχῆμα. Terent. in Eunuchô Act. 3. Sc.5. v. 49. seq.

Videre nimium vellem, quis esset Status?

[*] *Stimulamur* inviti; *Excitamur* etiam ultrò.

Stolidus significat hebetem, agrestem, aut ineptum; *Vanus* est levis, inconstans, atque fallax. Sallust. Lib.4. Hist. *At* Cn. Lentulus *patritiae Gentis, Collega ejus, cui cognomento Clodiano fuit, per incertum* stolidior, *an* vanior. Lucret. Lib.1. v.1067.

Sed vanus STOLIDIS *haec omnia finxerit error*.

Tacitus Lib.2. Annal.30. *Inerant & alia hujusmodi* stolida, *ac* vana. Gellius Lib.18. cap.4. tradit: Stolidôs *vocari non tam stultos & excordes, quàm tetros, & molestos, & illepidos, quos* Graeci μοχθηρὺς καὶ φορτικὺς *dicunt*; Vanos *autem esse mendaces, & infidos, & levia, inaniaque pro gravibus, & veris astutissimè* componentes. Atque ita *Sallustium* his vocibus usum. Quod mihi quidem non videtur. Neque enim *Sallustius* notavit LENTVLVM, ut *morosum* pariter, & *mendacem*, sed ut *ineptum*, & magis quàm *ratione* utentem, tum etiam *levem*, & *incostantem*, sicuti Liv. dixit Lib.3. *Levius enim*, va-

vaniusque *professu est sua* Decreta, *&* Consulta *tollere*, *quàm aliorum.*

(*) *Stolidus* est ad naturam Brutorum; *Stultus* imprudens; *Fatuus*, qui nihil sapit.

Stipendium à *Tribulo* ita differt, ut *Species* à GENERE. Nam *Stipendium* propriè est, (ʃʃ) quod confertur in mercedem Militum; *Tributum* autem est, quòd in quemcumque usum Reipublicae tribuitur. Ita omne *Stipendium* est TRIBVTVM, non contrà. Quod sensit Pomponius Jurisconsultus in l. 27. D. de Verbor. Sign. cùm *Stipendium* etiam *Tributum* appellari, ait. Sed ab Imperiô AVGVSTI, qui cum Populô Provincias est partitus, caepit alia harum Vocum Differentia, atque eadem ferè, quae *Aerarii*, & *Fisci*. Quippe *Stipendium* dictum, quod Bellô victae Provinciae *Caesari* quotannis pendebant; *Tributum*, quod Populi in *Aerarium* inferebant. Vnde *Praedia* alia *stipendiaria*, alia *tributaria*, Auctore Theophilo. Paulus Jurisconsultus l. 13. D. de impens. in Reb. dotal. fact. *Neque* Stipendium, *neque* Tributum *ob dotalem fundum praestita*. Vlpian. ad Sabin. 17. *Quoniam & alia onera adnoscit usufructu legato, utputa* Stipendium, *vel* Tributum, *vel* Salarium.

(ʃʃ) [pecuniaria *Militum* merces, seu]

Stirps in significatione *Sobolis* Foeminino Genere dicitur; sed cum *Materiam* significat, Masculino. *Charisius*.

[*] *Strabo* oculos distortos habet; *Luscus* uno captus est oculo. *Goclen.* loc. cit.

[*] *Stupor* est Stultitiae; *Furor* Insaniae. *Furor* est majus; *Stupor* minus. Deinde *Stupor* est in re cognita; *Impudentia* post rem cognitam abjectus Pudor. Denique *Stupor* est Inclinatio, & minus; *Stupiditas* est Habitus, & majus.

[*] *Stuprum* in Virginem, & Viduam; *Adulterium* in Nuptam; *Incestus* in Consanguineas, & Sacras.

[*] *Suademus* Facilia; *Persuademus* Difficilia. *Suadere* Facientis est; *Persuadere* Perficientis. *Donatus.*

Sumimus, quae posita sunt; *Accipimus*, quae porriguntur. *Corn. Fronto.*

Super est, quod eminet; *Supra*, quod substratum aliquid

quid habet ; *Subter* , quod à re aliquâ superiori premitur, & conculcatur ; *Subtus* , quod demissum altius non contingitur. *Agraetius.*

[*] *Super* notat Continuum, eique respondet SVBTER; *Supra* notat interjectum Spatium , eique respondet INFRA.

[*] *Superbia* est à *Super* habendo , & est *propriè* supergradiens Mentis elatio; *Arrogantia* autem etiam in *Pauperem* cadit. Corn. Fronto.

Supervacaneum est , quod non necessarium est ; *Supervacuum* est , quod abundat, & superfluit . Sallust. in Catilinâ: *Illis* supervacaneum *est* pro *potentiâ Paucorum pugnare* . Quod sumsit à *Demosthene* , qui in *Oratione* περὶ στεφάνου ait : οὗτος δ' ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ , h. e. *Huic autem* supervacaneum *est me accusare* . Gellius Lib. 1. cap. 22. *Quod* supervacaneum *esset , ac non necessarium* . Et mox : *Superesse aliàs dixisse pro superfluenti , &* supervacuô .

[*] *Suspicax* arguit ; *Suspiciosus* recipit.

[*] *Sylva* Generale est; *Saltus* Sylva densa ; *Lucus* DIIS sacra. Vid. supr.

T.

TAbularium est publicum ; *Tablinum* privatum . Nam *Tabularium* erat (tt) Locus publicus adservandis *Instrumentis*, & *Tabulis*, in quibus omnia *Praedia*, *Pascua*, *Vectigalia*, *Portoria*, *Redemptionesque Publicanorum* perscripta erant . Paulus Lib. 13. Respons. leg. 90. D. De legat. 3. *Tablinum* verò erat Locus in Aedibus proximè Atrium, in quo veteres *Romani* coenabant, & *Tabulas* Rationum suarum reponebant . (uu) Varro L. 1. de Vitâ Populi Rom. *Ad* Focum *hieme, ac frigoribus coenitabant* , *aestivo tempore in* propatulo, *Rure in* Corte, *in Urbe in* Tablino , *quod* Menianum *possumus intelligere* Tabulis *fabricatum* . Plinius Lib. 35. Tablina *Codicibus implebantur* , *& monumentis rerum in Magistratu gestarum*, Virgil. Lib. 2. *Georgic.* v. 502.

Insanumque forum, aut Populi Tabularia *vidit* .

Livius Lib. 43. 16. *Censores extemplo in Atrium Libertatis adscen-*

adscenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausóque tabulario, *& dimissis publicis servis*. Vetus inscriptio: C. CALPETANVS STATIVS SEX. METRONIVS M. PERPENNA LVRCO P. SARTIVS DECIANVS CVRATORES TABVLARIOR. PVBLICORVM FAC. CVR.

(*tt*) [Repositorium *Instrumentorum*, & *Litterarum*, seu]

(*uu*) Quid autem propriè *Tabulustrum*, seu rectiùs, *Tubilustrum* sit, docet *Varro* Lib. 5. de *L. L.* p. 49.

Tacere, *Reticere*, & *Obticere* hôc differunt, quòd *Tacemus* Consilia; *Reticemus* Dolores; *Obticemus*, quorum nos pudet. Terent. in Heautontimor. Act. 1. Sc. 1. v. 33. *Ne retice, ne verere, crede, inquam, mihi*. Idem in Eunucho Act. 5. Sc. 1. v. 4. *Virgo conscissa veste lacrumans* obticet.

[*] *Tacet*, qui desinit; *Silet*, qui nondum coepit loqui.

Taciturnus est, qui facilè tacet; *Tacitus* argutus etiam, qui potest aliquando tacere. (*xx*) *Festus*.

(*xx*) seu *Tacitus* tacet, dum non loquitur; *Taciturnus* tacenda reticet, & obticet. *Comenius*.

Temerarius est, qui sine respectu salutis objicit se periculis; (*yy*) *Audax* sine ratione impetum facit. Ergo *Audax* non providet; *Temerarius* non timet. *Corn. Frouto*.

(*yy*) Dum autem agit temerè, temerat sua temeritate res, quas intemeratas esse conveniebat.

Temperantia est Animorum; *Temperatio* Rerum; *Temperies* (*zz*) Ventorum. Agraetius.

(*zz*) [Corporis, & Aëris, & inprimis]

[*] *Temperare* sibi à *Mendaciis*, est abstinere; *Temperare* Rempublicam *Legibus* est moderari. *Propriè* autem *Temperare* est *tempore*, & modo Actiones mensurare, seu Res diversas *proportionaliter* componere.

[*] *Templum* Aedificium; *Ecclesia* coetus Hominum; *Lucus* à densitate Arborum; *Fanum* à fando; *Sacellum* sine tecto; *Delubrum* quasi, in quo peccata diluuntur; *Bidental* ab ovibus bidentibus.

Tendere (*a*) est cum *nisu*, & *contentione* pergere; *Pertendere* est *pertinaciter*, & sine *remissione* insistere. ILLUD *Constantiae*; HOC *Pertinaciae* est. Virgil. Lib. 5. *Aeneid.* v. 155.

- - - *Locum* tendunt *superare priorem*.

Terent.

Terent: in Heautontim. Act. 5. Sc. 5. v. 9.

Video, non licere, ut coeperam, Hoc pertendere.

[a] (propriè denotat Rem *trahendo* in *longum* dilatare; deinde)

Tergum propriè est Dorsum : Unde *Terga vertere* pro Fugere ; *Tergus* est Corium , ut Virgili. Lib. 1. *Aeneid.* v. 211.

Tergora *deripiunt costis*, *&* *viscera nudant*.

Idem tamen Lib. 9. *Aeneid.* v. 763. sequ. TERGUM pro *Dorso* ponit his verbis :

- - - *Hinc raptas fugientibus ingerit hastas*
In Tergum.

Immò TERGUM dicit pro *Corio* Lib. 1. *Aeneid.* v. 368.

Taurino quantum possent circumdare Tergô.

[*] Alias *Terga* sunt Hominum ; *Tergora* Animalium.
(*) *Terminus* manu ponitur, & *propriè* est, ubi aliquid incipit, aut desinit ; *Finis* generale est.

Terror propriè est, qui aliis infertur , ut si dicas : Ille habet *Terrorem*, h. e. timendus est . Unde & *Terribilis* dicitur, quem habent *timentes*. (*b*) Servius.

[*b*] Sic *territamus* Homines *terribilibus* minis , ut à Malo *deterreamus*. Quanquam autem animus *imperterritus terricula* non curat; attamen te divini Judicii *terror* à peccatis *absterreat*. Comenius.

Theatrum, & *Amphiteatrum* quid differant, ostendit Plinius Lib. 36. de C. Curione loquens his verbis: Theatra *duo juxtà fecit amplissima è ligno , cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano Ludorum spectaculo edito, inter se aversis, ne invicem obstreperent Scaenae, & repentè circumactis , ut contrà starent , postremò jam die descendentibus tabulis , & cornibus inter se coëuntibus faciebat* Amphitheatrum, *& Gladiatorum Spectacula edebat* . Et Cassiodorus Lib. 5. Variorum : *Cùm* Theatrum *Hemisphaerium* Graece *dicatur* , Amphitheatrum, *quasi in unum juncta duo visoria, rectè constat, esse nominatum* . Isidorus dicit, Amphitheatrum *dictum* , *quòd ex duobus* Theatris *sit factum* . Nam *Amphiteatrum* rotundum est, *Theatrum*

 verò

verò ex mediô *Amphitheatro* est, Semicirculi figuram habens. (*c*) Heic celebrantur in Urbe tria *Theatra*, ut *Theathrum* POMPEJI, BALBI, MARCELLI; de quibus Strabo Lib. 5. & Ovid. Lib. 3. de Arte amandi, v. 394.

Visite conspicuis terna Theatra *locis.*

Amphitheatrum unum amplissimum *Statilii Tauri*, quod tempore *Augusti* extruxit *Statilius Taurus*, & postea *Neroniano* incendio consumitum *Vespasianus* restituit, & *Titus* filius absolvit, dedicavitque, ut tradunt *Svetonius*, *Martialis*, *Papinius*, & alii.

(*c*) Conf. *Perotti* Cornucop. Epigr. 1. col. 78. seqq.

Timere propriè est *Servorum*, qui *formidine poenae* continentur; *Vereri* est *Liberorum*, qui *Virtutis*, & *Honesti amore* ducuntur. Et TIMEMUS *Dominos*, & *Tyrannos*; VEREMUR *Parentes*, & *Seniores*, & qui sunt in honore aliquô, aut dignitate constituti. Cicero in Catone: *Metuebant Servi*, verebantur *Liberi*, *carum omnes habebant*. Idem pro L. Flaccô: *Nihil* timent, *nihil* verentur. Liv. Lib. 39. Veremur *quidem vos*, Romani, *&*, *si ita vultis*, *etiam* timemus; *Sed plus &* veremur, *&* timemus *Deos immortales*.

[*] *Timeo tibi* idem est, ac sollicitus sum pro te; *Timeo te* est reformido te, ut adversarium.

Tollere, ut Nonius ait, est levare, & erigere; *Auferre* levatum transferre. Virgilius: (*d*)

Tollite *cuncta*, *inquit*, *coeptosque* auferte *labores*.

(*d*) Lib. 8. *Aeneid.* v. 439. Vid. *Erythraei* Scholia Marginalia in h. l. ubi p. 317. Edition. *Venetae* pro *coeptos*, CERTOS legitur.
(*) *Torris* adhuc ardens, extinctus *Titio* fiet.

Totum (*e*) est unius corporis plenitudo, ut *Totum Auditorium*, id est, integrum; *Omne* de Vniversis dicimus, ut *omne Auditorium*, id est, universa Auditoria. *Servius*.

(*e*) *Totum* prima ejus Syllaba, uti h. l. *producta*, significat *tot Partis* con-

continens, quot debet; *correpta* autem *tot Numero* est, *quot* alterum.

Transfuga suos relinquit, & ad alios venit; *Perfuga* supplex est. Ergo *Transfuga*, ut adjuvetur, fit *Perfuga*. *Corn. Fronto.*

[*] TRANSIGO *Rem aliquam* cum *aliquo*; non DECIDO autem, *Rem aliquam*, sed *de aliqua re*, & per *aliquam rem*. Vid. *Goclenii* Observ. *L. L.* p.249. dicentes, duas hasce Formulas solo *eloquendi* modo differre.

[*] TRIBULA *grana* terit; TRIBULI nascuntur in *agris*.

(*) *Tribunalia* dicuntur majora exercentium (v. g. *Tribunorum*, *Triumvirorum*, *Quaestorum*, &c.) Judicia; *Subsellia* autem *minora*.

Tributum est pecunia, quae Populo imperatur, ita dictum, quòd *tributim à singulis proportione* censûs exigitur, ut *Varro* tradit, vel ab *intributione*; aut quod *Militibus* tribuitur, auctore Ulp. Leg.27. D. de Verb.Sign. *Vectigal* propriè dicitur, quod pro *invectione*, vel *evectione Mercium* debetur; Sed *generaliter* significat omne, ex quo Respublica *Reditum* habet, veluti *Vectigal Portûs*, *Decumarum*, *Vicesimae*, *Scripturae*, *Salinarum*, *Metallorum*, & similium. *Ultro-Tributa* erant Redempturae Operum publicorum faciendorum, quae *Censores* quintô quoquô annô Mancipibus certâ mercede locabant, sic appellata, quòd *ab ipsis Locatoribus ultro attribuerentur, & persolverentur*. Plutarchus in Vitâ Catonis vocat Ἐργολαβίας. Itaque *Tributum*, & *Vectigal* erant Fructus, & Reditus Reipublicae. ILLUD *Graecis* est τέλος, & *Res*, atque *Fundos* maximè spectat; HOC *Graeci* vocant φόρος, & in *Capita*, *Resque mobiles* imponitur. *Ultro-Tributa* autem erant *Sumtus*, & *Impensae publicae*. Varro Lib. 5. de Linguâ Lat. *Lustrum nominatum tempus quinquennale à* luendo, *hoc est* solvendô, *quòd quinto quoquo anno* Vectigalia, *&* Ultro-Tributa *per* Censores *persolvebantur*. Liv. Lib.39. Vectigalia *summis pretiis*, Ultro-Tributa *infimis locaverunt*. Idem Lib.43. 16. *Edixerunt, ne quis eorum, qui*, C. Fulvio A. Postumio *Censoribus, publica* Vectigalia, *aut* Ultro-Tributa *conduxissent, ad Hastam suam accederet*.

Sed interdum *Vectigal* latissimè pro *Tributo*, ac *Stipendio* accipitur; & *vectigales Provinciae*, *Agrive*, pro *stipendiariis*, vel *tributariis*. Festus: *Vectigal* Aes dicitur, quod ob *Tributum*, & *Stipendium*, & equestre, & ordinarium *Populo* debetur.

(* *Trucido* GRAECIS *ἀποκτείνω*, plus est, quàm *Occido*, seu GRAECORUM illud *φονεύω*. Est enim TRUCIDO *immaniter*, seu *summa* cum saevitia, atque *truculentia* occido, ut si aliquis occidatur *ictibus*.

Tumultus est perturbatio magna, & repens, quae ex hostili incursu, aut populari seditione oritur; (*f*) *Turba* verò est turbatio minor. Cicero Philippicâ 8. *Quid est enim* Tumultus, *nisi perturbatio tanta, ut major rumor oriatur: Unde etiam nomen ductum est* Tumultus. *Itaque Majores nostri* Tumultum Italicum, *quòd erat domesticus*, Tumultum Gallicum, *quòd erat* Italiae *finitimus*, *praeterea nullum* Tumultum *nominabant*. Livius Lib. 35. *Qui* Turbae, *ac* Tumultûs *concitatores fuerunt*.

[*f*] *Tumultum* à *Bello* differre *Cicero* Orat. 2. *Philipp.* ostendit. Dicebant Socii Antonii esse TUMULTUM *mitius Verbum*, quàm BELLUM. Sed *Cicero* repugnans dicebat, esse *plus*, quàm *Bellum*. Ut si quis dicat *Hominem*, dicit etiam *Animal*: Ita, qui *Tumultum* dicit, dicit quoque *Bellum*, ut sub *Genere* continetur *Species*. Haec Goclenius loc. nuper alleg. p. 249

(*) *Tunc* Temporis *Adverbium* est; *Tum* Ordinis. *Clarus*.

Turbam angustus Locus facit; *Frequentiam* Multitudo. *Corn. Fronto*.

Turpe, & *Foedum* quam habeant distantiam, manifestum est. Nam *Turpe* levior res est; *Foedum* vim habet majorem. Cicero de Offic. *Luxuria verò cùm omni Aetati* turpis, *tùm Senectuti* foedissima *est*. Nonius.

[*] *Turpe* est, quod omni *laude*, atque *honore* est spoliandum; *Nefarium*, quod *lege* cumprimis est coërcendum.

Vulgus

V.

V *Algus*, & *Vatius* (g) est, qui habet pedes distortos, & diversos, ita ut pars introrsus extet, pars extrorsus procedat, quales Cancrorum, & Lacertorum; *Varus* est, qui habet crura incurva, Pedesque introrsus figit. Plautus in Fragm. v. 129. part. 1. *Aut* Varum, *aut* Valgum, *aut Compernem*. Varro Lib. 2. de Re Rustic. *Sint cruribus rectis, ac potius* Varis, *quàm* Vatiis. Ulpianus ad Edictum Aedil. Curul. 1. L. 10. D. de Aedil. Edict. *Quaesitum est, an Balbus, & Blaesus, & Atypus, isque, qui tardius loquitur,* Varus, *&* Vatius *sanus sit.*

(g) It. *Vatrax*, & *Vatricosus*, à βάτραχος, h.e. *Rana*, qs. qui *pedibus tortis* est instar *Ranae*.

Vallum dicitur ipsa Munitio; (h) *Valli* sunt Pali, quibus in terram destitutis, & farcillatis Vallum munitur, (i) Virgil. Lib. 1. Georg. v. 264.

Exacuunt alii Vallos - - - Servius. [*]

(h) & hi quidem ex *aggesta terra* à βάλλω jacio.

(i) seu sunt Sudes humi defixi ad *Valli* praemunimen.

Vanus est, qui etiam sine utilitate mentitur; *Mendax*, qui etiam ad decipiendum. Sane *Vanus* apud idoneos auctores Stultus invenitur, ut Juvenalis Satyr. 3. v. 159.

Sic libitum vano, *qui nos distinxit, Othoni.*
Servius.

[*] *Ubique* simul in omni; *Passim* pro sparsim.

Vegere est movere, impellere & agitare, ut Ventus veget undas, Spiritus vitalis veget herbas, & stirpes; *Vigere* est florere, & pollere. Varro in Manio, ut citat Nonius: Viget, veget, utpote plurimum. Seneca ad Lucilium: *Viget, veget, liber est*. Hinc *Vegetus* dicitur sanus,

& incolumis; *Vigens* est fortis atque robustus. Nam *Vegetum* corporis, *Vigens* etiam Animi dicitur, auctore Nonio.

(*) *Velocitas* Corporis; *Celeritas* animi est.
[*] *Velut*, *Uti*, *Quasi*, *Tanquam*, *Ceu* significant saepe Imaginem; *Sicut*, *Sicuti*, *Ut*, Similitudinem.
(*) *Venale* expositum; *Vendibile* facile venditu.

Venalitii dicuntur ipsi Servi venales; *Venalitiarii* autem sunt Mangones, qui Servorum negotiationem exercent. Africanus Quaestionum 3. L.207. D.de Verbor. Sign. *Mangones non Mercatores, sed* Venalitiarios *appellari*; à quo dissentit vetus Inscriptio Romana: L. VALERIUS ZABDAE MERCATORI VENALITIARIO. Interdum tamen *Venalitii*, pro *Venalitiariis* accipiuntur. Cicero pro Cornelio: *Neque me divitiae movent, quibus omnes* Africanos, *&* Laelios *multi* Mercatores, Venalitii*que superârunt*. Svetonius de claris Rhetoribus: Venalitii *cùm* Brundisii *gregem venalium è navi educerent*.

[*] *Venustas* muliebris; *Dignitas* virilis Pulchritudo. Nonius.

Verbum est Dictio articulata, & significabilis; *Vox* est quilibet sonus ore prolatus. Tacitus Lib.3. Histor. 65. Verba, Voces*que duos testes habebant*. Horat. Lib. 1. Epistola 1. v.34.

Sunt Verba, *&* Voces. - - - - -

Ubi VERBA sunt *Disputationes*, & *Orationes Philosophicae*, ut in antiquâ Formulâ: *Verba habere*, *&* *Orationem*. *Voces* sunt *Sententiae*, & *Dicta*.

[*] *Vereor* plus est; *Metuo* minus.

Vertex Capitis est; (k) *Vortex* Fluminis. *Clarus*.

(k) & inprimis ejus summitas, ubi *Capilli* gyrant.

Vetus est, quod habet aetatem; *Vetustum* est, quod Hominum memoriam excedit; sicut *Vetustas* significat Tempus infinitum, cujus scilicet *Memoria* non extat. Plautus in Curculione Act.1.Scen.2.v.4.

Ut veteris Vetusti *cupida sum*.

Ve-

[*] *Vetus* ad Nova; *Vetustum* ad Antiquitatem refertur; *Antiquum* excessit Memoriam Patrum. Sed *Senex* ab Annis dicitur.

Vetustiscere, & *Veterascere* Nigid. Lib. 10. Commentar. Gramm. differre ostendit. Dicimus enim, quae vetustate deteriora fiunt, *vetustiscere*; (*l*) quae meliora, *veterascere*.

[*] Sic *Veterani* Milites plerumque sunt *vetuli*, & *veteratores*, *veteratoriis* insidiis *veteratoriè* ludere gnari, quos in nequitiis *vetustescere*, & *inveteratos* esse ad malum *inveteravit* opinio. *Comenius.*

Vicinia significat locum, ubi plures *Vicini* habitant; *Vicinitas* est *Vicinorum* propinquitas, vel multitudo. (*m*) Terent. in Andriâ Act. 1. Scen. 1. v. 43. *Commigravit huc* Viciniae. Idem in Heautont. Act. 1. Scen. 1. v. 4. *Virtus tua me, vel* Vicinitas. Cicero Orat. 6. in Verrem: *Signum, quod notum erat,* Vicinitati *buccina datur.*

(*m*) HAEC est *Conversationis* conjunctio; ILLA *Vicinorum*.

Videre est cognitionis, & curae, (*n*) ut, *Videre* quid agatur, *Videre*, ne res pereat; *Visere* est officii, ut Visere *Aegrotum*, *Amicum*, vel Visere *ad Aegrotum*, *Amicum*. (*o*) Nam utrumque Veteres dixerunt. Terent. in Hecirâ Act. 1. Sc. 2. v. 113. seq. *Nostra illico it* visere *ad eam*. Varro Lib. 2. de Re Rustica: *Cùm proretam fessum visere venissemus*. Frequenter tamen VISERE pro *Videre* usurpatur. Aliàs *Videmus* Naturâ; *Spectamus* Voluntate; *Intuemur* Cura; *Aspicimus* ex improviso; *Animadvertimus* animo; *Cernimus* Oculis. *Corn. Front.*

(*n*) *Propriè* autem est *oculis* percipere.
(*o*) Ideoque in hoc sensu sumtum idem est, ac *saepius videre, quid quis agat.*

Vincere est probare, conformare, & argumentis docere; *Evincere* autem est obtinere, ut in *Judicio* dicitur *Evincere*, qui legitimo certamine apud *Judicem* obtinet, & sic rem jure Dominii ab aliquo aufert, ut *Evincere Haereditatem*, & *Evincere per Bonorum possessionem*. (*p*) Nam prima litera hic auget significationem, ut in

Emigro, *Elaboro*, *Emereor*, & aliis multis. Lucret. lib. 6. v. 497.

Multa simul vincam *consurgere nubibus ipsis*.

Idem ibidem v. 708.

Nam neque eum ferro, nec frigore vincere *possis*.

(*p*) Sic quilibet *pervicax pervincere* semper avidus apertè *convinci* potest, ut *convictus* obmutescat, aut illi *evictione* certà *evincatur*, quòd ille, tanquam jure possidendo *pervicaciter* tenuit.

Vindicta Factum punit, vel Futurum prohibet, atque propulsat; *Ultio* persequitur contumeliam, vel Injuriam factam, aut Damnum datum. Et *vindicta* etiam legitima est, & ad *Magistratûs* in reos animadversionem pertinet; Ultio aliorum quorumlibet est. (*q*) Cato Lib. 4. Originum: *Si quis membrum rupit, aut os fregit*, talione vindicta *proximus cognatus* ulciscitur. Varro Lib. 3. de Re Rust. *Lux pinguetudinis* Vindicta.

[*q*] *Comenius* VLTIONEM inprimis Deo adscribit his verbis: *Vir* ulcisci *injurias tuas*, *non* inultae *manebunt*, *si* ultionem *permittas* Vltori DEO.

Vir *Ducit*, Mulier *Nubit*, quia pallio obnubit caput suum, genasque. Fl. Clarus.

Virtus Hominis summum Bonum est, quae & in *Oratione*, & in *cursu* potest videri; *Fortitudo* vis corporis ad sustinendos labores; *Vigor* Animi habet elationem; *Velocitas* corporalis celeritas, quasi velox, & cita; *Vehementia* à vi, id est, impetu Mentis. *Corn. Fronto*.

Visus genere utimur masculino, cùm de his loquimur, quibus videmus; ut si dicam: Nubecula obest visibus meis. *Visa* neutro si dicamus, ea, quae videntur, significamus. Servius.

[*] *Virtutes* Animi sunt; *Vires* Corporis.

Visere semel; *Visitare* Visionum frequentiam indicat. *Corn. Fronto*.

[*] *Vitium*, & *Vitiositas* sunt generaliora; *Malitia* est specialius;

Exem-

Exempla *Ciceroniana* leg. ap. *Goclen.* in *Observationib. L. I.* p. 250. seq.

Vituperatio vitium parit; *Culpatio* à culpâ incipit. *Corn. Fronto.*

Vittae Sacerdotis sunt; *Laurus* verò etiam Imperatoris Victoris. Servius.

[*] *Ulciscor* illatam injuriam; *Vindico*, ne accipiam.

Vlcus est, quod nascitur; (r) *Vlnus*, quod ab alio infertur. *Agret.* *Vlcus* tecta, & clausa est malignitas; *Vulnus* hians, ac patens. Virgilius lib. 3. Georg. v. 453. seq.

Quam siquis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, vivitque tegendo.

Et lib. 9. Aeneid. v. 87.

Produxi, pressive oculos, aut vulnera *lavi.* Nonius.

[r] Et fit inprimis, cum acris humor carnem *ulcerat*, *ulcerosoque* dolorem facit. Sed tu, monente *Comenio*, ne animum cujusquam hominis *exulceres*, cave.

Vltio vindicat Factum; *Vindicta*, vel *Vindicatio* futura prohibet. Ideo MARS *Vltor*, non *Vindex* dicitur. *Corn. Fronto.*

Vnà Locum; *Simul* verò Spatium designat. (s) Rectè itaque dicimus: *Simul* consules fuerunt. *Unà* ambulant. Sosip. Charisius.

(s) Conf. quae supra ad *Tit.* SIMVL sunt annotata.

Volema ab eô. quod *Volam* (* f. Palmam) impleant, dicta sunt GALLIS Pira bona, & grandia; *Vola* autem est (t) medietas *Palmae*, vel *Pedis*: Vnde & *Involare* dicimus. Servius.

(t) cavitas Manus; seu

[*] *Volucris* Generale est, ut APIS, MVSCA, VESPA; *Avis* speciale, quod & *pennas* habet, & *ova* parit.

Volventia, quae voluunt; Volubilia, quae voluuntur. Corn. Fronto.

Voluntas (u) facto gaudet; *Voluptas* fieri cupit. *Corn. Fronto.*

VO-

(u) VOLENTIAM quoque pro *Voluntate* dici *Salustius* Lib. 4. *Histor.* auctor est his verbis: *Multisque suspicionibus* VOLENTIA *plebi facturus habebatur.*

Urbs constat Muris; *Civitas* Incolis. (x) Virgil. Lib. 2. Aeneid. v. 363.

Urbs *antiqua ruit, multos dominata per annos.*

(x) Vid. quae sup. pag. 33. seq. ad CIVITATIS *Tit.* sunt adjecta.

Usucapere, & *Usurpare* Jurisconsulti distinguunt, & *usucapere* est usu adquirere, & possessione suum facere; sicut *Usucapio* est Dominii adeptio, adquisitioque per continuationem possessionis temporis lege definiti. (y) Leg. 3. D. de Usucap. *Usurpare* autē est apprehendere id, quod alius possidet, eâque re possessionē illius interrumpere; & *Usurpatio* est possessionis interruptio. Leg. 2. & 5. D. de Usucap. Unde ex *Leg. XII. Tabb. usu Uxor, nondum* usucapta, *si ante annum à Marito trinoctium abfuisset, dicebatur* usurpata *esse: quòd interrupta ejus* Usucapio *erat, ipsaque apprehendebatur ab iis, quorum antea in potestate fuerat, puta* Parentum, *aut* Tutorum, *&* Mariti *potestate exibat*, ut Gellius, & Macrobius tradunt. Sed Oratores, & Historici *Usurpationem* frequentem usum vocant, & *Usurpare* accipiunt pro crebrò aliquid agere, aut dicere, ut Cicero multis in locis, & Livius Lib. 24. cap. 22. *Admonet saepe* usurpate DIONYSII *Tyranni vocis.*

(y) Vid. *Scardii* Lexicon Juridic. p. 963. col. 1. fac. 2.

Usus est jus utendi re alienâ, salvâ rerum substantiâ; *Usus fructus* autem omnem rei fructum significat, & jus utendi, fruendique praestat, tam ad *Quaestum*, aut *Voluptatem*, quàm ad *Necessitatem*. Ita in *Usufructu* & USUS est; at in *Usu* FRUCTUS non continetur. Ab ILLO dicitur *Usuarius*, qui USUM habet; ab HOC *Usufructuarius*, qui FRUCTUM: de quibus prolixè tractant Jurisconsulti. Leg. 10. 11. 12. D. de Usu, & Habit. Cicero pro Caecinnâ: *Cujus enim* USUS, inquit, *ejus &* FRUCTUS *Fundi.*

Usu-

[*] *Usuvenit*, quod fit frequentius; *Contingit*, & *Accidit* etiam, quod non est consuetum.

Vterus est Mulierum; (z) *Alvus*, quâ defluunt Sordes. Salluft. in Fragm. incert. libr. (aa) *Simulans sibi* Alvum *purgari*. *Venter*, qui videtur. Juvenalis *Satyr*. 4. v. 107.

Montani quoque Venter *adest abdomine tardus*. Servius.

(z) & quidem propriè Locus *Foetum* concipiens, Vnde VTERINI *Fratres* dicuntur ex uno *Vtero* editi.

(aa) apud Isidorum lib. 2. in Voce *Alvus*. Servius tamen ad Lib. 3. Aneid. habet: Simulans *Album* purgare; quod magis est ex adstrictâ Salluitii Oratione.

Vti est ad necessitatem, & honestè insumere; (bb) *Abuti* est ad alium usum re uti, quàm in quem ea comparata est, vel rem omninò consumere, & perdere: sicut *Vsus* est utilitas; *Abusus* est Consumtio, & Perditio. Svetonius in Nerone: *Qui* abuterentur, *ac perderent*. Terentius: (cc) *Nam in prologis scribendis operam* abutitur. Plautus in Asinariâ Act. 1. Sc. 3. v. 44. *Vbi illaec, quae dedi ante?* abusa. Cicero in Topicis: Vsus *enim, non* abusus *legatus est*. Vbi Boëthius: *Vtimur* his, quae nobis utentibus *permanent*; His verò *abutimur*, quae nobis utentibus pereunt.

[bb] *Vtimur* alterius gratia; *Fruor* delectandi sine ampliore respectu; *Potimur re* aliena expetita.

(cc) In Prologo *Andriae* v. 5. ubi Castigationes Marginales *Martini Haymeccii* sunt videndae.

Vtrubi significat *utro* in Loco; *Vtrobique* est *utroque* in Loco. (dd) Illud DVBITATIONEM habet *utrius* Loci; Hoc AFFIRMATIONEM *utriusque* Loci. Naevius in Tarentillâ: Vtrubi *coenaturi estis, hiccine, an in triclinio?* Cato in Servium Galbam pro Lusitanis: *De frumento* utrubi *bona*, utrubi *mala gratia capiatur*. Plautus in Sticho Act. 5. Sc. 5. v. 9. Vtrubi *accumbo*; Utrubi *tu vis*. Vlpianus ad Edictum 72. Lib. 1. D. Vtrubi. Praetor ait, Utrubi *hic homo, quo de agitur majore parte hujusce anni fuit*. Theophilus, Grae-

cus

cus Institutionum Interpres, VTRVBI interpretatur παρ' ἑκατέρῳ.

(*dd*) Seu in *utraque* parte; *Vtrinque* de *Loco*, id est, ex, vel in utraque parte; *Vtroque* ad *Locum*, id est, in utrumque Locum.

Vultus propriè Hominis; (*ee*) *Os* omnium; *Facies* Plurium. *Corn. Fronto*. *Vultus* mutatur; *Facies* permanet. *Clarus*. *Vultus* est Voluntas, quae pro motu Animi in Facie ostenditur; *Facies* ipsa Oris species. Sallust. in Catil. *Prorsus in* Facie, Vultu*que* *vecordia inerat*. Nonius.

[*] *Vulnus* illatum; *Vlcus* innatum.

[*ee*] & scribitur, quod sit ipsa in homine indicatio, quae pro motu *Animi* in *Facie* ostenditur, interdum etiam significat *ipsius Corporis* Faciem. Leg. *Forum Romanum*, seu *Thesaurus L. L.* p. 1160. col. 2. tit. 3.

AUSONII POPMAE DE DIFFERENTIIS VERBORVM

FINIS.



AUSONII POPMAE FRISII

DE USU ANTIQUAE LOCUTIONIS

LIBRI DUO.





ANNO M. DCC.XIX.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



VETERUM SCRIPTORUM
DE
USU ANTIQUAE LOCUTIONIS SENTENTIAE.

M. Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. p. 2. Edition. *Scaligeriano-Stephanianae*,

VETUSTAS *non pauca depravat, multa tollit. Quem Puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in Senectâ. Tertium Seculum non videt eum hominem, quem vidit primum.*

Qv. Horatius Flacc. in Lib. de *Arte Poetica*, v.60. seqq.

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita Verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.


Et v.68. seqq.

- - - *Mortalia facta peribunt,*
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multa renascentur, quae jam cecidere; cadentque,
Quae nunc sunt in honore Vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Quintilianus Lib. 8. *Institution. Orator.* Cap. 3. p.364. seqv.Edition. *Pithoeiano-Stoërianae.*

Cum sint autem Verba propria, ficta, translata, propriis dignitatem dat Antiquitas. Namque & sanctiorem, & magis admirabilem faciunt Orationem, quibus non quilibet fuerat usurus, eôque ornamentô acerrimi judicii

P.Vir-



INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

CAPUT



LIBRI SECUNDI

CAPUT

AU-



AUSONII POPMAE
DE
USU ANTIQUAE LOCUTIONIS.
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.
DE LITERARUM VOCALIUM INTER SE COMMUTATIONE.



NTIQUI, & idonei Latinae Linguae Auctores multa Vocabula usurpârunt, ab usu, & consuetudine Sermonis nostri penitus remota; multa longè aliter protulerunt, quàm à nobis hodie vulgò efferuntur. Utriusque generis exempla in ipsorum Scriptis non pauca reperiuntur, & plura extarent, nisi imperiti Librarii antiquam, & minus usitatam Locutionem ferè ubique ejecissent; Quam cùm difficile sit in suam, unde vi dejecta est, possessionem restituere, nos, quod potuimus, in hoc Libellô USUM ejus ostendere, & collectis quasi per *Saturam* undique

testimoniis probare conati sumus. Ut autem à minimis ordiamur, multa propter *mutuam Cognationem*, & *Affinitatem* LITERARUM Veteres promiscuè dixerunt. Nam *Literae pleraeque omnes inter se locum commutârunt*, ut principes duae Vocales A, & E. Unde *Defetiscor*, *Depeciscor* scriptum olim notat *Priscianus*, hodieque in Libris veteribus extat. Terent. in Phormione Act.4. Sc.1. v.23.

Neque defetiscar *unquam adeò experirier.*

Id.ibid.Act.1.Sc.3.v.14.*Jam* depecisci *mortem cupio*.Cic. pro Sex. Rosciô:*Partem suam* depecisci. Et mox ita: *Ipse tria Praedia* depectus *est*. Et in Verrinis frequenter. Gellius Lib. 20. cap. 1. *Reus*, *qui* depecisci *noluerat*. Ulpianus Lib. 10. ad Edictum leg. 3. §. si igitur. D. de Calumn. *Hoc Edictô tenetur etiam is*, *qui* depectus *est*. *Depectus* autem dicitur *turpiter* pactus. *Aequipero*, *Praepero*, ut *Recipero* etiam nunc dicimus. Enn. Lib.2. Annal.

Ingens cur animis cum concordibus aequiperare.

Gellius Lib. 10. cap. 11. *Namque in* praeperatu *Rei rusticae per tempestates pluvias*, *quoniam otium est*, *matûrari potest*. *Hieto*, Plautus in Fragm. part. 2. v.45. *Ubi eum* hietare *nondum in mentem venit*. Caecilius: *Praei herclè tu*, *qui mihi oscitans*, hietansque *restas*. *Edor* pro *Ador*, Frumenti genus, Festus.

Similiter A, & I, ut *Fontinalia*, pro *Fontanalia*, Varro Lib.5. de Ling.Lat. *Juvenilis*, *Juvenalis*, Glossae, & Ulp. de Adulteriis 2.leg.15: §. Lex Julia, D.ad l.Jul. de Adulter. *Sanè si* juvenali *facilitate ductus*. Rursus *Bacchanal*, *Bacchinal*, Plaut. in Aulularia Act.3. Sc.1.v.3. *Ad Bacchas veni in* Bacchinal *coquinatum*. Id. ibid. v. 6. *Aperit* Bacchinal. *Librale*, *Librile*, scapus Librae, Festus. *Subigitare* retinent Libri veteres Terentii in Heautontimorumeno. *Beneficere*, & *Maleficere*, Pandectae Florentinae, sicut eaedem *Fornicator*, & *Fornicarius*, qui *Fornacis* accendendi curam gerit. *Aquaemanile*, & *Aquiminale*, Vas, sive Urceolus, quô aqua in trul-

leum effundebatur lavandis manibus, Paulus Lib.7. ad Sabinum leg. 3. pr. D. de Sup. legat. & Lib. 3. Sententiar. tit.6. *Aquiminale*, Χέρνιβον Glossarium. Item Subjunctivi Modi Verborum tertii Ordinis, quos non per *Am*, sed per *Im* efferebant, ut *Arcessim*, *Edim*, & alia, de quibus suô locô dicemus.

A, & U, ut *Condalus*, *Condulus*, Festus, & Graeci κονδύλος. *Fabalia*, *Fabulia*, Lucilius Lib. 10. Satyr. *Hic in stercore, humu*, fabulôque, *fimô*, *atque sucerdâ*. Varro Lib.1. de Re Rusticâ: *Id ex* fabuli *segete*. *Pedule* indumentum *Pedis*; Ulpianus, & Grammatici, *Pedale*, Ποδεῖον Glossarium.

E, & I, ut *Seco*, *Sico*, & quae ex eô junguntur, ut *Circumsico*, *Praesico*, *Resico*, Varro in Libris de Re Rustica, & Lib.4. de Ling. Lat. *Brassica*, ut *Praesica*, *quòd ex hujus scapo minutatim praesicatur*. *Exsico*, Plautus in Rudente Act.1. Sc.2. v.34.

Quin tu in paludem is, exsicas*que arundines*.

Consiptum, Ennius in Medeâ: *Teneor* consipta, *undique venor*. Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. *Gallorum ossa*, qui *possederunt urbem*, *ibi coacervata*, *ac* consipta. *Luciscit*, Plaut. in Amphitr. Act.1. Sc.3. v.45.

- - *Eamus*, *Amphitruo*: luciscit *hoc jam*.

Quod imitatus Terentius in Heautontim. Act.3. Sc.1. v.1.

Luciscit *hoc jam*, *cesso pultare ostium*.

Augisco, Ennius Lib.1. Annal. & ab eo Varro in Satyrâ Testament.

Qui Rem Romanam, *Latiumque* augiscere *voltis*.

Putisco, *Flaccisco*, *Incurvisco*. Cic. Lib.5. de Finibus. n.38. *Animum Sui datum pro sale*, *ne* Putisceret. Varro Lib.4. de Linguâ Lat. *Puticuli*, *quòd* putiscebant *ibi cadavera projecta*. Pacuvius in Chryse: *Interea loci flucti* flaccescunt. Vetus Poëta apud Cic. lib.1. Tuscul. n.69.

Rami baccarum ubertate incurviscere.

Milli pro mille, Lucilius Lib.9.

Tu milli *nummum possis uno quaerere centum*.

Idem Lib. 15.

Hunc milli *passûm qui vicerit, atque duobus.*

Quatinus pro quoniam, Quia, auctore Festo. Horatius Lib. 3. Carmin. Od. 24. v. 30. seq.

- - Quatinus (heu *nefas!*)
Virtutem incolumem odimus.

& Lib. 1. Sermon. Satyr. 3. v. 76. sequ.

Denique quatinus *excidi penitus vitium irae,*
Caetera item nequeunt stultis haerentia - - -

Svetonius in Claudio cap. 26. Quatinus *sibi matrimonia malè cederent*. *Ni* pro Ne, Plautus in Menaechmis Act. 1. Sc. 2. v. 1. Ni *mala*, ni *stulta* sis. Idem in Mercatore Act. 4. Sc. 4. v. 28. Ni *metuis tu istanc*? Varro Lib. 1. de Re Rusticâ: Ni *extrinsecus spiritus afflet*. Cicero ad Varronem: *Consilii nostri*, ni, *si eos quidem, qui id secuti non sunt, non poeniteat, nobis poenitendum putarem*. Virgil. Lib. 3. Aeneid. v. 686. Ni *teneant cursus*. *Em*, & *Im*, pro Eum, Festus. *Endo*, vel *Indo*, pro In, Ennius, & alii. E diverso *Amecus*, *Menerva*, *Magester*, dixerunt Vetustissimi, ut Ennius Lib. 1. Annal. *Daidala*, *Menerva*, *Genetrix*, Virgilius, & Lucretius, ut ipsorum antiqui testantur Libri. (a) *Derigo*, Varro Lib. 1. de Re Rustic. & ab eo *Derectarii*, qui in aliena Coenacula se dirigunt furandi animo. Item *Dejudico*, *Intelligo*, *Despereo*, *Delenimentum*, *Deverticulum* edunt Libri Jurisconsultorum. *Specio* pro Spicio, id est, Video, Plautus in Cas. Act. 3. Sc. 1. v. 2. *Nunc specimen* specitur. *Felix* Herba, & *Felicula*, Cato de Re Rustica. & Felicata *patera, quod ad Felicis herbae speciem sit caelata*, Festus. & Cicero in Paradox. 1. Felicatas *aliorum pateras*. *Ques* pro Quis, Ennius, & Cato. *Herè* Adverbium, Juvenalis Satyrâ 3. v. 23.

Res hodie minor est, herè *quàm fuit.*

Quam Scripturam *Priscianus* ibidem observavit, & *Quintilianus* suâ aetate usu fuisse testatur. Nam in fine Dictionum Veteres usi indifferenter his Litteris, maximè

mè in Adverbiis, & Casibus Dativo, & Ablativo tertii Ordinis, ut infrà dicemus.

E, & O, unde *Apello* Antiqui dicebant pro *Apollo*, Sol. *Helus*, & *Helusa*, quod nunc Holus, & Holera, teste Festô. Item *Hemo*, Homo. Ennius Lib. 2. Annal.

Vulturius sylvis miserum mandebat hemonem.

Pigneris, ut *Pignero* Verbum. Plaut. in Captivis Act. 3. Sc. 4. v. 122.

Reliquit pigneri *putamina*. Cato de Re Rust.

Si qua illata erunt, pigneri *sunto*. Juvenal. Sat. 9. v. 141. Pigneribus positis. Gellius Lib. 16. *Obsidis vice*, pignerisque *esse apud Rempublicam videbatur*. *Temperi* Adverbium, & *Temperius*, id est maturius, *à Tempus Temperis*. Plaut. in Amphitr. *Num satis* temperi. Idem in Persa: Temperi *hanc vigilare oportet*. Cicero Orat. 4. in Verrem: *Se ad comitia* temperi *venturum*. Idem ad Paetum: Temperius *fiat*. Cornelius Nepos de Viris illustribus: C. LAELIUM *quondam in* PUTEOLANO *Kal. Mart. admonitum ab uxore*, temperius *ut discumberet*. *Memordi*, *Peposci*, *Spepondi* observat Gellius. Rursus *Amploctor*, *Animadvorto*, *Voster*, *Vortex*, *Vorsus*, & id genus alia Vetustiores omnes usurpant, quae in Catone, Plauto, Terentio, Sallustio passim occurrunt, & Antiquitatis caussâ diligenter conservanda sunt. *Volim* pro velim, Lucilius Lib. 24. Satyr.

Idola, atque atomos Epicuri vincere volim.

Plautus in Asinaria Act. 1. Sc. 2. v. 26.

Meô modô loquar, quae volim.

Idem in Captivis Act. 3. Sc. 3. v. 1.

Me fuisse, quàm esse nimio mavolim

Cicero Lib. 2. de Naturâ Deorum: *Quô faciliùs id, quod dicere volimus, intelligi possit*. *Apprimò*, *Arcano*, *Tutissimò*, *Quotidianò*, & similia Adverbia, quae infra referuntur. (*b*)

E, & V, ut *Auger*, *Augeratus* pro Augur, & Auguratus, notat Priscianus. *Hemona*, Humana, Festus. *Pepugi*,

gi, *Cecurri*, pro pupugi, cucurri, Gellius Lib. 7. cap. 9. Contra Participia *Faciundum*, *Vendundum*, caeteraque U Litterâ mediâ proferunt Cato, Salluſtius, Varro, & alii, de quibus Priſcianus Lib. 1. *Apud Antiquiſſimos*, inquit, *quotieſcunque* N D *ſequuntur in his Verbis, quae à tertia Conjugatione naſcuntur, loco* E, U *ſcriptum invenimus, ut* Faciundum, Legundum, Dicundum, Vertundum, pro *Faciendum*, *Legendum*, *Dicendum*, *Vertendum*.

I, & O, ut *Olli* pro Illi, praeter vetuſtiores Ennium, Plautum, Lucretium, etiam Virgilius, amantiſſimus antiquitatis, in *Aeneide* uſurpavit. *Agnotus* pro Agnitus, Pacuvius in Ilionâ: *In turba cognita* agnota *eſt Soror*. *Apolloni*, Apollini, in aereô Nomiſmate: APOLLONI SANCTO. *Inlico*, ſive *Illico*, pro in Loco. Terent. in Phormione Act. 1. Sc. 2. v. 38. ſeq. *Exadvorſum inlico Tonſtrina erat quaedam*. *Siſpes Juno*, Feſtus, pro eâque vulgo appellatur Soſpes, aut Soſpita, à quâ diverſa eſt Juno Hoſpita, cujus meminit Martianus Capella Lib. 1. Philologiae: JUNONIS *verò* HOSPITAE *Genius accitus ex nona*. *Vt enim* JUPPITER *cognòminatus fuit* Hoſpitalis; *ſic* JUNO Hoſpita *dicta*, *&* Hoſpita MINERVA, *quae in Promontorio juxta* Surrentum *Templum habuit ab* ULYSSE *conditum*, ut auctor eſt Strabo. Statius Lib. 3. Sylvarum v. 108.

Quo Pater aetherius, menſisque accita Deorum
Turba, & ab excelſo veniat Soror Hoſpita *Templô*.

Craſtini, *Quarti*, *Septimi*, *Noni Die*, pro Quartò, Septimò, Nonò, de quibus Gellius Lib. 10. cap. 24. *Quivis*, *Quicquam*, *Quicum*, pro Quôvis, Quôcum, vel Quâcum, Terent. in Adelphis Act. 2. Sc. 3. v. 1. *Abs Quivis homine*. Plautus in Ciſtellariâ Act. 1. Sc. 1. v. 88.

- - - *ſed tun' unquam cum quiquam viro*
Conſueviſti? Idem in Perſâ Act. 4. Sc. 3. v. 8.
Nec ſatis à quiquam homine accepi. Et in Mercatore Act. 5. Sc. 2. v. 65. *Quid tua refert, quicũ iſtac venerit*.

Vir-

Virgilius Lib. 11. Aeneid. verſ. 820.

- - - - *Accam ex aequalibus unam*
Alloquitur; fida ante alias quae ſola Camillae,
Quîcum *partiri curas.*

I, & V, ut *Exiſtumo*, *Fuo*, *Diſſupo*, *Optumus*, *Maxumus*, *Inclutus*, & infinita alia omnes Veteres, atque etiam ipſe Cicero in illis Libris, in quibus Viros antiquos inducit diſſerentes de *Amicitia*, & *Senectute*. Primus autem *C. Julius Caeſar* per I ejuſmodi Verba enunciavit, & ſcripſit: Inde caeteri ſecuti auctoritatem, ut Varro, & Quintilianus tradiderunt. Contrà *Manipretium*, Cato de Re Ruſticâ, & Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. *Scripulum*, idem Lib. 13. de Re Ruſtic. & Satyris: *Vt ne unum quidem habuerit* ſcripulum, *quem hirundinibus hoſpitis oſtenderet*. *Simus*, pro Sumus, Auguſtus Caeſar ſemper ſcripſit, itemque Meſſalla, Brutus, & Agrippa, teſte Svetoniô. *Recipero*, in Juriſconſultorum, & aliorum veterum Auctorum manu exaratis Libris extat, atque etiam in antiquis Inſcriptionibus, ut *Romae*: SANCTO SEMONI DEO FIDIO SACRUM DECURIA SACERDOTVM BIDENTALIVM RECIPERATIS VECTIGALIBVS.

O, & A, ut *Poſthoc* pro poſthac in Lege *Papiria*: QVICVMQVE PRAETOR POSTHOC FACTVS ERIT. Et rurſus *Hacpropter*, ut *Quapropter*, pro Propter hoc. Varro in Satyris: Hac propter *omnes, qui laborant, invocant*.

O, & V, ut *Folmen*, *Fonus*, *Popolus*, *Piacolom* in Libris Foederum, & Legum antiquarum. *Ollorum*, id eſt, Illorum, fuit in columna Duillii. *Hoc*, *Adhoc*, *Illoc*, pro Huc, Adhuc, Illuc. Plaut. in Captivis Act. 3. Sc. 1. v. 20.

Quis ait hòc? *aut quis profitetur?* Idem in Mercatore Act. 2. Sc. 2. v. 49. Hòc *non voluntas me impulit*. Terent. in Andriâ Act. 5. Sc. 2. v. 20. *Sublimem intra* hoc *rape*. Idem ibidem Act. 2. Sc. 2. v. 25. *Cùm* illoc *Advenio, ſolitudo ante oſtium*. Idem in Adelphis Act. 4. Sc. 4. v. 11.

Satis

Satis adhoc *tua nos frustrata est fides*. Varro Lib. 5. de Ling. Lat. *Voca inlicium* hoc *ad me*. Lucr. Lib. 1. v. 545.

Hoc *accedit, uti solidissima materiai*.

Virgil. Lib. 8. Aeneid. v. 423.

Hoc *tunc ignipotens coelo descendit ab alto*.

Vlpian. ad Sabin. 17. L. 6. D. de Vs. & Habit. Hoc *usq; erit procedendũ*. *Quatenos* pro Quatenus, scripsit Scipio Africanus, teste Festô. *Antiquos, Divos, Ovom, Servom, Volgus, Volt*, & caetera, quae nunc V geminô scribũtur, Plautus, Terẽtius, Varro, & ipse Cicero in Laelio, & Catone, ut ex veteribus Libris apparet. Quam scribendi rationem suâ eatate desiisse Quintilianus auctor est. Idem observat *Hecoba*, & *Notrix*, ac ne in *Graecis* id tantùm notetur, *Dederont*, & *Probaveront*. Ennius Lib. 16. Annal.

Concidit, & sonitum simul insuper arma dederont.

Antiquae Inscriptiones, *Fueront*, *Vixeront*. Contrà *Fruns*, & *Frus Frundis*, *Funs funtis*, & similia, de quibus ita Priscianus Lib. 1. Multa praeterea vetustissimi in principalibus mutârunt syllabis, ut *Cungrum* pro Congrum, *Cunchin* pro Conchin, *Huminem* pro Hominem, *Funtes* pro Fontes, *Frundes* pro Frondes. Ennius.

- - *Populea frus*. Idem Lib. 7. Annal.

Rurescunt frundes. *Vtrubi*, *Vtrubique* habent Libri *Pandectarum*, qui ab archetypô *Florentino* manârunt. Idem constanter, & sine ullâ varietate referunt *Suboles*, *Adulescens*, *Epistula*; è quibus illud *Suboles* etiam in aliorum Auctorum veteribus Libris perpetuò scribitur, eamque Scripturam confirmat Etymologia, quae in *Adulescens* repugnat. Vtrumque enim deducitur ab antiquo verbo *Olesco*, quod significat *Cresco*, auctore Festo. Sed & *Epistula* in aliis multis Libris, & antiquis Inscriptionibus exstat, neque ante JUSTINIANI *Imperatoris* tempora, ut videtur, O Litteram recepit; quamvis origine sit *Graecum* Ἐπιστολή: quod ipsum quoque est in *Numisma*, & *Brundisium*, (c) quae *Graeci* scribunt Νόμισμα, Βρεντέσιον.

V, & Y

V, & Y mutant in *Graecis* Dictionibus, ut *Myrrha*, *Murrha*, *Myrtus*, *Murtus*. Quam commutationem observavit Cic. in Orat.n.160.PURRUM *semper* Ennius, inquit, *numquam* Pyrrhum.*Vi patefecerunt* Fruges, *non* Phryges, *ut ipsius antiqui declarant Libri*; *Nunquam enim* Graecam *Literam adhibebant*, *nunc autem etiam duas*: *&* *cùm* Phrygum, *&* *cùm* Phrygibus *dicendum esset*, &c. Ennius Lib.7. Annal. (*d*)

Purrus *uti memorant Divom à stirpe supremô*.

Idem, *Eurudica*, *Illurica*, *Olumpus*. Livius in Odyssea, *Cuclops*, *Vlusses*. Cato, *Murtus*, *Mutili*, Μύτιλοι Pisces. Ulpianus Lib.9. de Officio Proconsulis.leg.8.§.Quicumque.D.De Poenis: *Quod instituuntur Venatores, aut* Purricharii. Similiter *Assurius*, *Musia*, *Tumpanum* in *Jurisconsultorum* optimis Libris extat: sicut contrà *Lysitania* pro Lusitania, *Lydi* pro Ludi. Plautus in Curculione Act.1.Sc.2.v.63.*Fite caussâ meâ* Lydi *Barbari*. *Cymaeus* pro Cumaeus, Varro Lib. 1. de Re Rustica: *Antigonus* Cymaeus.Virgilius Eclogâ 5. (*e*)

Vltima Cymaei *venit jam carminis aetas*.

Idem Lib.6. Aeneid. v.98.

Talibus ex adyto dictis Cymaea *Sibylla*.

Ex hôc autem genere pleraque U Literam retinuerunt, ut *Duplus*, *Sulla*, *Tuscia*. Quaedam in I mutarunt, ut *Inclitus*, *Lacrimae*, *Stilus*, *Olimpus*; *Mitili* Pisces apud Plinium. Alia Y receperunt, ut *Cyclops*, *Myrtus*, *Mysia*, & similia.

(*a*) Recentiores enim Editiones, imprimis *Virgili*, legunt Lib. 1. *Aeneid.*v.599. Lib.2. v.787. Lib.8. v.383. Lib.9.v.82. 94. 117. 284. & 297. Lib.10. v.234. & Lib.12. v.412. & 554. pro *GENETRIX* semper *Genitrix* sicut ex *Aldina*, *Bersmanniana*, *Calagiana*, *Erythraejanis* (Hanoviensi *videlicet*, *&* Veneta) *Frelloniano-Lugdunensi*, *Meyeniana*, *Minelliana*, *Plantiniano-Antuerpiensi*, *Taubmanniana*, & aliis Editionibus.

(*b*) Scil. huj.Lib.1.cap.13. de *Adverbiis*.

(*c*) Legunt & *Graeci* Βρεντήσιον, s. Βρεντέσιον. *Brentesium* à *Brento* quodam (si *Stephano* credimus) HERCVLIS Filio, aut certè à Cervini Capitis similitudine, quod *Messapii* sua Lingua Βρεντέσιον appellabant.

(*d*) Hic

(*d*) Hic Locus *Ennianus* Lib.7. *Fragmentor.* quae *Henricus Stephani* studiosissimè excudi curavit, non extat, nec est reperiendus inter istos Versus, quos ex incertis *Annalium* Libris ibid. p. 84. seqq. collectos deprehendimus.

(*e*) Non extat hic Locus Eclog. 5. sed 4. & quidem v. 4. ubi pro *Cymaei* in plurimis Recentiorum Editionibus rectiùs legitur *CVMAEI*.



CAPUT II.

DE MVTATIONE DIPHTHONGORVM.

EX *Vocalibus* coalescunt, & conflantur *Diphthongi*, quibus itidem variè usos Antiquiores observavimus, ut pro AE nonnulli *Graecorum* more semper efferebant AI: quidam *singulariter* tantùm, cùm in *Genitivum*, vel *Dativum* Casum incidissent, ut Quintilianus testatur. Hinc *Aimilius*, *Aiternus*, *Paitus*, in antiquis Marmoribus exstat. *Maisius*, *Naiuia*, *Operai*, adservant veteres plerique Libri. Poëtae autem hâc Diphthongô distractâ ferè utebantur, ut Ennius, *Terrai*, *frugiferai*; & Nevius, Lucretius, atque etiam ipse Virgilius, cùm ait Aeneid. 3. v. 354. *Aulai in medio*, & 9. Aeneid. v. 26. *Pictai Vestis*,

OE fuit loco U vocalis, ut *Poenio*, à quo manet *Poena*, *Moerus*, *Moenera*, *Poeniceus*, *Oesus*, quae nunc Punio, Murus, Munera, Puniceus, Vsus. *Commoetat* pro Commutat, Cato de Re Rusticâ. Interdum ponebatur loco I, ut *Loeberum* Liberum, *Loebertas* Libertas, Festus. maximè in *Nominativis* Pluralibus *Graeca* terminatione, ut *Oloe*, Olli, sive Illi, in Lege Regia: *Si Parentis Puer verberit, ast oloe plorassint*. In Carmine Saliari: *Pilomnoe Poploe*, id est, Pilumni Populi, scilicet Romani *Pilis* in Bello uti adsueti.

AU pro O, *Auscultor* Osculor, *Aula* Olla, Vnde *Aulicoqua* Exta, quae in *Ollis* coquuntur. *Raudus* Rodus

Rodus. In XII. Tabulis: Rauduſculo *libram ferito*. *Caurus* Corus Ventus, *Saurex* Sorex, *Caudex* Codex, à quô *Caudicariae* Naves.

E diversô, O pro AU, ut *Clodius* apud Ciceronem, quem *Claudium* aliis dictum *Dio* Hiſtoricus notat. *Coda*, *Plodo*, *Ploſtrum*, *Cloſtrum*, pro Cauda, Plaudo, Plauſtrum, Clauſtrum; quae Diomedes Librô primô annotavit, & in veteribus Libris paſſim occurrunt. *Oricularius* clyſter in Libris Medicorum, pro auricularius. *Dehorito* Dehaurito; *Polulum* Paululum, Cato de Re Ruſtica. *Copo*, & *Copona* pro Caupo, & Caupona, Feſtus, & Chariſius.

Praeter has autem *Dipthongos*, quibus hodie utimur, aliis multis uſos Veteres conſtat, ut EI pro J longa: unde *Quei*, *Lucei* in antiquis Libris; *Etruſcei*, *Sabinei* in Monumentis legitur. Quem uſum tradit Lucilius Lib. 9. Satyrar. ubi de Litteris diſputat.

Jam Puerei venêre, E poſtremum facito, atque I,
Ut plures Puerei fiant; I ſi facis ſolum,
Pupilli, Pueri, Lucilli, hoc unius fiet.
Hoc Illi factum eſt uni, tenue hoc facies I;
Haec Illei fecere, addes E, ut pinguius fiat.
Meille hominum, duo meillia, item huic utroque opus meille.
Melitiam, tenues I; Pilam, quâ ludimus; Pilum
Quô pinsô, tenues I; plura haec feceris Peila,
Quae jacimus, addes E, Peila, ut plenius fiat.
Mendacei, Fureique addes E, quam dare furei
Juſſeris.


Sed à *Luciliô* diſſentiunt Quintilianus, & Velius Longus, qui obſervationem illam cùm ſupervacuam, tùm incommodam eſſe docent.

OI, ut *Coilum* Coelum; *Proilium* Proelium, quod retinent Libri veteres Plauti in Menaechmis Act. 1. Sc. 3. verſ. 3.

Ego istìc mihi hodiè apparari jussi, apud te proilium
Hodiè id fiet. In eo uterque pro Ilio potabimus.

Ubi est venusta PARONOMASIA *Proilium*, & *pro Iliô*, quae nulla est in voce *Proelium*.

OU, ut *Fourius*, *Foures*, *Jous*, *Joudico*, aliaquae hujosmodi, quae in antiquis Inscriptionibus exstant.



CAPUT III.

DE CONSONANTIUM INTER SE COMMUTATIONE.

NEc minor varietas, & mutatio fuit inter Literas consonantes, sicut inter B, & P, unde *Scapreo*, pro *Scabreo*, Ennius, & Pacuvius apud Nonium. *Optineo*, *Optulit*, *Suptile*, Libri, & Monumenta.

B, & U, Veteres & in pronunciandô, & in scribendô indifferenter posuerunt, ut *Ferveo*, & *Ferbeo*, *Ferbesco*. Horatius Lib. 1. Sermon. Satyr. 2. v. 71.

Velatumque stola, mea cum conferbuit *ira?*

Rebito, Plautus in Captivis: *At si non* rebitas *huc*. *Revito*, περικάμψω Glossar. *Billius* est apud Valerium Maximum Lib. 8. Idem *Villius* apud Livium Lib. 29. & 31. *Bagienni* Populi nominantur à Varrone Lib. 1. de Re Rusticâ, qui *Vagienni* à Plinio Lib. 3. Sic in antiquis Monumentis leguntur *Albus*, *Serbus*, *Amavilis*, *Venemerens*, & similia. Ex hôc autem promiscuô, & indifferenti Usu istarum Literarum multi errores veterum Auctorum Libros insederunt, ut in Dictionibus *Acerbat Acervat*, *Habe Have*, *Belle Velle*, *Bilis Vilis*, *Jubet Juvet*, *Nobis Novis*; quarum altera in alterius locum migravit; sicut *Favia Lex*, & *Faviana Actio*, *Jubentius*, *Jabolenus*, Ha-

Habitus scriptum fuit, pro *Fabia, Fabiana, Juventius, Javolenus, Avitus.*

C, & G, invicem commutarunt, ut *Acetare* dicebant, quod nunc dicimus Agitare, Festus. Idem *Calbei* & *Galbei, Cerrones* & *Gerrones, Culiocae* & *Guliocae, Clucidatū* & *Glucidatum.* Sic in Lege *Numae:* ACNOM FEMINAM CAIDITO. Et in XII. *Tabulis* : NEI CUM EO PACIT. Ut & in Libris *Augurum* : INTERA EA CONRECIONE, pro *Conregione*. Similiter in antiquis Marmoribus, & Nomismatis, *Curges, Calba, Calbinus, Oculnius*, pro Gurges, Galba, Galbinus, Ogulnius. *Germalum* Montem Romae nominat Varro, *Cermalum* Festus. *Ancras* Arborum intervalla, Idem ; *Angras* Isidorus. *Cajus* vulgò, in *Pandectis Florentinis* est *Gajus*. *Gummis* à Catone dicitur *Cummis*, ut à *Graeci* κόμμι. *Vacca* Oppidum, & *Vaccenses* sunt Sallustio ; *Vaga*, & *Vagenses* Plutarcho, & Ptolomaeo, quibus pleraque *Sallustii* antiqua Exemplaria accedunt. Item *Sugambri, Nongaea, Nonagria, Lygurgus* habent Libri veteres.

Praeterea mutant C, & Qv, ut *Arquus, Oquulus*, pro Arcus, Oculus, Priscianus. Vicissim *Anticus, Eculus*, pro Antiquus, Equulus, scripti Libri. *Quum*, vel *Quom* scribi indicat Quintilianus, qui velut frigidam notat, quae sit à multis tradita Differentia, ut cùm significaret Tempus, Q; cùm autem Caussam, vel Conjunctionem, C acciperet. *Quoi* pro Cui paullò ante *Quintiliani* aetatem, ut distingueretur à Nominativô Qui, scribebatur, ut Virgilius Lib. 3. Georg. v. 6. *Qui non dictus Hylas.* Sic illud Terentii in Andriâ Act. 1. Sc. 1. v. 140. *Qui mihi exorandus est* ; nonnullos legisse, *Qui mihi expurgandus est*, pro Cui, annotat Donatus. *Quae* ratio scribendi opinor induxit *Servium Grammaticum*, ut Nominavum *Qui* pro Cui, vel Quoi perperam acciperet, in illo Virgilii Ecloga 4. v. 62. - - *Qui non risere Parentes.* *Delicia* tignum, Festus ; *Deliquiae*, Vitruvius Lib. 6. *Querquera* febris, Lucilius ; *Quercera*, Gellius Lib. 20.

Co-

Cotidie non Quotidie, licet originem habeat à quoto die, scribunt Quintilianus, & Victorinus. *Stercilinium* pro Sterquilinium habent Libri veteres Catonis de Re Rusticâ, & Terentii in Phormione, quibus consentiunt Pandectae Florentinae. *Inseco*, & *Insequo*, id est, dicendô praeeo, & sequentem verba duco, Ennius, Livius Andronicus, & Cato, ut disputat Gellius Lib. 18. cap.9. *Hujusce*, & *Hujusque* promiscuè olim scribebant, etsi Victorinus istâ significatione distinguit. Hinc eadem *Fortuna hujusce diei* apud Plinium Lib.34. & *Fortuna hujusque diei* apud Ciceronem Lib. 2. de *Legibus*, & Victorem de *Regionibus* Urbis: VICVS HVJVSQVE DIEI FORT. AED.

Sic D, & L, ut *Dacruma* Lacruma, *Dautia* Lautia, *Fidius* Filius, *Reduvia* Reluvia, aliaque id genus, de quibus praeter Festum, *Victorinus* his verbis: *Novensiles sive per L, sive per D scribendum; Communionem enim habent hae Littere apud antiquos, ut* Dinguam *Linguam*, *&* Dacrimas *Lacrimas*, & *Capitodium Capitolium*, *&* *Sella à* Sede, *Olere ab* Odore. *Melicae* Gallinae appellantur, quae Medicae à Mediâ Insulâ dici debebant, auctore Varrone, & Columellâ. *Delicare* pro Dedicare, & *Delicatus* pro Dedicatus, sive Consecratus, *Impelimenta* Impedimenta, *Cassilem* Cassidem, Festus.

D, & R, ut *Apor*, vel *Apur*, pro Apud, idem, & Victorin. *Medidies*, Meridies, Varro Lib.6. de Linguâ Lat. In Lege *Numae*: JOVI FEDETRIO BOVIM CAIDITO. *Monerulae* pro Monedulae, Plaut. in Capt. Act. 5. Sc. 4. v. 5. seq.

Aut Monerulae, *aut Anates*, *aut Coturnices dantur.*

Arvectum, Advectum, Cato de Re Rustica. *Arcedo* pro Accedo, Turpilius in Boëthuntibus:

Qui *verba venatur mea, post is arcedat, & sermonem hinc sublegat.*

Arfero Adfero, unde *Arferia aqua, quae in sacris inferorum adferebatur*, Festus. Similiter *Arvenio*, *Arvento*, *Arfari*, ut notat Prisc. Lib.1. *Antiquissimi verò*, inquit, *pro*

AD,

AD, AR *ponebant*, Arvenas, Arventores, Arvocatos, Arfines, Arvolare, Arfari *dicentes*, pro *Advenas*, *Adventores*, *Advocatos*, *Adfines*, *Advolare*, *Adfari*.

D, & T, ut *Andruare*, & *Antruare*, id est Circumflectere. *Drua*, & *Trua*, Cochlear, quô olla commovetur, Festus. & maximè in fine Dictionum, ut *Apud*, & *Aput*; *Ad*, & *At*; *Quod*, & *Quot*; *Quodannis*, & *Quotannis*; *Sed*, & *Set*; *Haud*, & *Haut*: quae etiam nunc in optimis vetustissimis Libris promiscuè scripta reperiuntur. Id, quod videtur confirmare Quintilianus Lib.1.ubi notat, quosdam frigidè observare, ut *Ad*, cùm esset Praepositio, D Litteram; cùm autem Conjunctio, T acciperet. Quam tamen Differentiam sequendam praecipit Victorinus, & similem tradit inter *Haud*, & *Haut*: *Haud*, inquit, *D Literam conservat, si sequens vocabulum incipiat à Vocali, ut*, Haud aliter *minor*, *&* Haud equidem; *at cùm Verbum à consonante incipit, D perdit, & T inducit, ut* Haut dudum, *&* Haut multum.

F,& C, ut *Ecfero* Effero, *Ecfari* Effari, apud Plautum saepè, & Lucilium Lib.26.

- - *Neu Mysteria ecferres foras.*

F,& H, ut *Forda*, & *Horda* Bos praegnans, à quô *Fordicidia*, & *Hordicidia* Sacra, Varro. Idem *Foedus*, *Folus*, *Fostis*, *Fostia*, *Fircus*, pro Hoedus, Holus, Hostis, Hostia, Hircus, idem Festus. *Hanula* pro Fanula, parva Delubra, idem. *Hortes* pro Fortes, Isidorus.

F,& R, ut *Sufflamen*, & *Sufframen*. *Conflages*, Loca, in quae diversi confluunt Venti, Festus; *Confrages*, Isidorus. Hinc in Versu Plauti in Curculione Act.3.Sc.1. v. 54. legit Festus, *Clupeatus Elephantum ubi machaerâ dirigit*; Nonius autem *diligit*: ubi tamen nunc melius est *difficit*.

G,& N, de quarum communione ita Varro Lib.1.de Linguâ Lat. *Aggulus*, *Aggens*, *Agguilla*, *Iggerunt*, in ejusmodi *Graeci*, & *Attius* noster binam G scribunt, alii N, & G, quod in hoc veritatem facilè videre non est

Similiter *Anceps*, & *Ancora*. Ita *Stagneum* pro Stanneo, Plaut.in Fragm. part.2. v. 16. apud Festum: *Muriatica autem video in vasis* stagneis. Scribonius Largus: Pixide *stagneâ*, Vase *stagneô*. Vlpianus leg.9. §.1. D. ad Legem Cornel.de Falsis: *Ne quis numeros* stagneos, *plumbeos emere, vendere dolô malô velit*.

L, & N, ut Lympha *Nympha*, Lingua *Ningua*, unde *Ninguosi* Garruli, Glossae Isidori. Luscitiosus, & *Nuscitiosus*, qui interdiu parum videt, Festus.

L, & R, ut Palilia, & *Parilia* Sacra; Proeliaris, & *Proelialis* Dies; Latiaris, & *Latialis* Juppiter; *Polliceo*, Perlicio, Velius Longus. Perlego, *Pellego*, Terentius Scaurus in versu Virgilii 34. lib.6.Aeneid.

Pellegerent *oculis*. - - - *Agonalia*, Agonaria Sacra, Glossae. *Mortualia*, Plaut.in Asinariâ:

Haec sunt non nugae: *Non enim* mortualia.

Mortuaria, Gellius Lib. 18. cap. 7. *Vos Philosophi mera estis, ut M.* Cato *ait*, Mortuaria *glossaria*. *Imperia* pro *Impelia*, sive *Impilia*, scribitur in Libris *Pandectarum* ex *Pauli* ad Sabinum 4.L.3.pr.D.de Supel.legat. *Lecti etiam inargentati, culcitrae, focalia*, imperia, *vasa aquaria*.

L, & T, ut *Thetis Dea Graecè*, Ennius *Thelis*:

- - - - *Dea* Thelis *ei mater*.

M, transire in N adnotat Priscianus Lib.1. maximè sequentibus Litteris D, T, C, Q, ut Tam, *Tandem*, *Tantum*, *Tantumdem*; Idem, *Identidem*; Num, *Nuncubi*. Contrà *Muginor*, pro *Nuginor*, idest Nugor, Varro apud Plin.in praefat.Nat.Histor. *Dum ista* muginamur, *pluribus horis vivimus*.

M, & S mutant in fine Dictionum, ut *Demus* pro Demum, Livius Poëta, teste Festô. *Seorsus*, pro Seorsum, Afrânius apud Charisium. *Prorsum*, pro Prorsus, Idem in Emancipatô:

Vetuit me sine mercede prorsum pauciens
Remeare in ludum.

N, & R, ut *Architectores*, pro Architectones; *Strigores*,

pro

pro Strigones, homines magnarum virium, Festus. Item *Extrarius*, & Extraneus; *Praecidarius*, & Praecidaneus; *Proletarius*, & Proletaneus; *Vicarius*, & Vicaneus; *Praesentarius*, & Praesentaneus, quae eadem esse, & nihil omninò differre monui Lib.2. De Differentiis Verbor.

N, & S migrant ferè in fine Graecarum Dictionum, ut *Aris* Arin, *Eleusis* Eleusin, *Delphis* Delphin, *Minos* Minon, & similia, quae Priscianus observavit.

R, & S, ut *Comperce*, pro Compesce, Festus. *Quaere*, pro Quaese, Plautus in Menaechmis Act.5. Sc.1. v.36. seq.

Quaere meum Patrem, tecum simul ut veniat ad me.

Nisi quis hîc malit *Quaese*, uti in Bacchidibus Act. 2. Sc.2. v.1.

Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere.

Contra *Esit*, vel *Escit*, *Obescit*, *Superscit*, pro Erit, Oberit, Supererit, Festus. In XII. Tabulis: SI MORBVS, AEVITASVE VITIVM ESIT. &, QVOI AVRO DENTES VINCTI ESVNT. Ennius in Annalibus:

Dum quidem unus homo Romae *toga* superescit

Lucretius Lib.1. v.613.

Ergo rerum inter summam, minimamque quid escit.

Auselii, *Papisii*, *Valesii*, antiquitùs nominati, qui postea Aurelii, Papirii, Valerii, de quibus Cicero in Epistola ad Paetum. Varro Lib.VI. de Linguâ Lat. *In quô Antiqui dicebant* S, *nunc dicunt* R, *ut in* Carmine Saliari sunt haec, *Cosculo*, *Dolosi*, *Eso*. *Post melios melior*, *Foedesum Foederum*, *Plusima plurima*, *Janitos Janitor*. Cato de Re Rusticâ: *Fundus melios erit*. Item *Amos*, *Colos*, *Monos*, & similia Masculina, nunc in OR finita. Plautus in Curculione Act.1. Sc.2. v.2.

Ejus amos *cupidam me huc prolicit.*

Clamos, Ennius Lib.17. Annal.

Tollitur in Coelum clamos *exortus utrimque.*

Colos, Varro in Prometheo: *Ex sanguinibus dolore evirescat* Colos. Sall. in Catilinâ: Colos *ejus exsanguis*.

Labos, *Odos*. Idem ibidem: *Igitur talibus viris non*

labos *insolitus*. Terentius in Hecyra Act. 3. Sc. 1. v. 6.
- - - - *Aliquis objectus est* labos.
Plautus in Captivis Act. 4. Sc. 2. v. 35.
Quorum odos *Subbasilicanos omnes abigit in forum*,
Idem in Curculione Act. 1. Sc. 2. v. 9.
- - - *Naso* odos *obsecutus est meo*.
Timos, *Vapos*, Laevius Lycurgo: *Jam ibi nos implicat adveuientis* timos. Lucretius Lib. 6. v. 952.
- - *Permanat* odos, *frigusque*.

S, & H, ut *Hospicatur* pro Suspicatur, Claudium Quadrigarium Lib. 8. *Annalium* dixisse observat *Diomedes*, qui mihi tamen de mendo suspectus est, & puto illum notare voluisse *Sospicatur* pro Suspicatur dictum, U in O versâ. Rursus *Sos*, pro Hos, dixit Ennius Lib. 1. Annal.
Constitit inde loci propter sos *Dia Dearum*,
& Lib. 3. *Circum* sos *quae sunt magnae Gentes opulentae*, quibus in locis Festus *Sos*, pro Eos accipit.

S, & T, ut *Adgrettus*, *Exfutus*, pro Adgressus, Exfusus. *Adgrettus fari*. Apud Festum. *Merto*, Merso, Lucretius Lib. 5. vers. 1006.
- - - *Contrà nunc rerum copia mertat*.

Pulto, & *Pultatio*, pro Pulso, & Pulsatio. Terent. in Heavtontim. Act. 3. Sc. 1. v. 1. *Cesso* pultare *ostium*. Plaut. in Mostellaria Act. 2. Sc. 2. v. 15. *Pultabo*: *Heus*. Idem in Bacchidibus Act. 4. Sc. 2. v. 1. *Quaenam istaec est* pultatio? *Ostentus*, *Tertus*, Ostensus, Tersus, Terentius in Phormione Act. 5. Sc. 4. v. 7. *Ni mihi esset spes* ostenta. Varro Lib. 3. Rerum Divinar. *Salute* ostentâ. Idem in Satyra Ἔχωσι: Terta *nitet galea*. *Ipsipti*, vel *Ipsipte*, Festus, & Glossae, quod Plautus in Trinum. Act. 4. Sc. 2. v. 146. *Ipsipsus est*.

S, & X, ut *Nugas*, pro Nugax, Charisius, & Priscianus. Varro in Synephebô: *Quod si Actaeon occupasset*, *&* *ipse prius suos canes comedisset*, *non* nugas *saltatoribus in theatrô fieret*. *Adassint* pro Adaxint, Plaut. in Aulul. Act. 1. Sc. 1. v. 11.

Vti-

Utinam me Dii adassint *ad suspendium.*

Ninsi, pro Ninxi. Priscianus.

X, & C magnam habent adfinitatem. Unde ab *Illexit* fit Illicium, auctore Varrone Lib.6. *Secus* pro Sexus neutri Generis, & unius Casus. Plautus in Rudente Act. 1.Sc.2.v.19.*Virile* Secus *nunquam ullum habui*. Sallust. Lib.2. Historiar. *Concurrentium undique, virile, & muliebre* Secus. Gellius Lib. 3. cap. 10. *Quod ejus virile* Secus *futurum est*. Ausonius Idyll. 11. v. 8. VESTA, CERES, & JUNO Secus *muliebre sorores*. Idem Idyll. 12. de Histor. v. 26. *Nota* Calidoniis *nuribus muliebre* Secus *Strix*. Arnobius Lib.5. *In quô* Secus *virile, non solùm homines ponunt*. Ammianus Marcellinus Lib. 16. Rerum gestarum. *Egressi promiscuè virile, & muliebre* Secus *sine eatate ullô discrimine trucidabant*.



CAPUT IV.

DE LITERARUM IN DICTIONIBUS ADIECTIONE.

UT autem Literis commutatis, sic quoque iisdem adjectis, vel detractis multa Veteres variarunt. Cujus rei ignoratione plurima in optimorum Auctorum Libris interpolata sunt. Et aliquando quidem Literae appositae in initiô Dictionum, ut *Stlocus* Locus, *Stlatus* Latus: Unde mansit *Stlata* genus Navigii, quod plures Malos, aut Asseres habet. *Stlis* Lis, à quô nuncupati Decem-viri Stlitibus judicandis. *Stritauus* Tritavus, *Scensa* Cena, *Sesopia* Esopia, Festus. *Scaelum* Caelum in Carmine Saliari: *Sed jam* Scaelo *candens aurora*. *Gnosco*, *Gnarro*, *Gnobilis*, *Gnavus*, *Gnatus*, quae in Compositione nunc G Literam servant, ut *Ignosco*, *Ignarus*, *Ignobilis*, *Ignavus*, *Cognatus*. Quamvis *Cicero*

aliter sentire videatur in Oratore n.158.cũ scribit:Noti *erant & Navi,& Nari,quibus cùm In praeponi oporteret, dulcius visum est, Ignoti, Ignavi, Ignari dicere, quàm veritas postulabat.* Cui consentit Festus, qui *Navus* in Enniô, & Plautô agnoscit, ut etiam Libri veteres Sallustii in Jugurthâ: *Imperata* navi *fecerant*. Interdum autem in mediô Dictionum Literae interpositae, ut C in *Frucmentum, Ferctum* genus Sacrificii apud Catonem, *Forctis* in XII. Tabulis: NEXO SOLVTO FORCTI SANATIQVE ITEM JOVS ESTOD. *Dumecta, Escit,* pro Dumeta, Esit, sive Erit, Festus.

D in jungendis Verbis,ut *Mederga, Sederga, Tederga*: sicut est in *Redarguo, Redimo, Redamo.* Plautus in Asinariâ Act.1. Sc.1. v.5. *Si quid* mederga *tu hodie falsum dixeris*. Idem in Epidicô Act.3. Sc.3.v.9.

Quasi quid filius meus deliquisset Mederga.

E, ut *Cereo* Creo, à quô fortè CERES Dea appellata. Varro Lib.5.de Linguâ Lat. *Cerno à cereo, id est, creando. Trabes,* Ennius,& Varro in Satyris. *Plebes,*Cato,& Sallustius ubique. *Arbiterium,*pro Arbitrium,saepe scribitur in *Pandectis Florentinis,* & in *Inscriptione Romanâ*: M. LARGIVS M. F. POMPTINVS ARBITERIO LARDIAE FORTVNATAE VXORIS. *Dextera, Extera, Infera, Intera, Supera,* pro Dextra, Extra, Infra, Intra, Supra. In Libris Augurum: Intera *ea conrectione.* Cicero lib.2. de Nat.Deor.n.160.

--- *Torvu' draco serpit subter,* supera que *retorquens Sese,* - - - - Lucretius Lib.2.v.475.

Linquit enim supera *tetri primordia viri.*

Et aliis multis locis. I, ut *Audaciter.* Cicero pro Sex. Roscio: *Multa scelerate, multa* audaciter, *multa improbe fecisti.* Seneca in Librô, Quare bonis Viris mala accidant: Audaciter *Veteranus cruorem suum spectat. Cavitum, Ducitum,* Plautus in Pseud. Act.2. Sc.3. v.4.

Opportunè mihi cavita *est haec Epistola.*

Idem in Truculentô Act.1. Sc.2. v.31. Quia *te* adducituram

turam *huc dixeras*. Vlpianus Lib.45.ad Edictum leg. 1. §. similiter, D. de Mil. Testam. Ducitum *à Graeco*. *Favitum*, *Favitor*, quod tamen negat Charisius ulla Veterum auctoritate, vel ratione dici. Plautus in Prologo Amphitr. v.79. *Sat habet* Favitorum *semper, qui rectè facit*. Idem ibidem: *Si cui favitores delegatos viderint*. Lucilius Lib.29. Favitorem *me tibi, atque Amicum summum*. *Vacivus*, *Vacivitas*, pro Vacuus, Vacuitas. Plautus in Prologo Casinae v.29. *Aures vacivae si sunt*. Idem in Curculione Act.2. Sc.3. v. 40. *Ita cibi* vacivitate *venio lassis lactibus*. *Calix*, *Merix*, pro Calx, Merx. Idem in Penulô Act. 4. Sc.2. v.86.

Quin prius disperibit faxo, quàm unum calicem *ciuerit*.

Navita, Nauta, praeter Poëtas Cato, & alii. *Stribilita* genus Placentae, quod apud Catonem *Scriblita*. Plautus in Poenuli Prol. v.43.

Nunc dum scribilitae *aestuant, occurrite*.

Civitatium, *Haereditatium*, *Anuis*, *Victuis*, & similes Genitivi, de quibus suo loco dicemus.

M, ut *Aedituмus* pro Aedituus, in quo ineptiunt *Grammatici*, qui hac significatione discernunt. Varro Lib. 1. de Re Rustica: *Rogatus ab* Aeditumô, *ut dicere didicimus à Patribus nostris*, *ut corrigimur à recentibus urbanis*, *ab Aedituo*.

N, ut *Ferinunt*, *Nequinunt*, *Obinunt*, *Prodinunt*, *Redinunt*, pro Feriunt, Nequeunt, Obeunt, Prodeunt, Redeunt, Festus. *Thensaurus*, *Vicensimus*, *Octogensimus*, *Totiens*, *Quotiens* habent Pandectae Florentinae; è quibus posteriora duo etiam in aliorum *Auctorum* Libris veteribus perscripta exstant, atque ita scribenda esse monuerunt Caper, & Victorinus Grammatici. *Pauciens*, observat Festus ex Titinii Gemina: *Uxorem* pauciens *video*.

P, ut *Ips*, *Quips*, pro Is, Quis, ut alibi annotavimus.

R, ut *Laneus* Lanerus, *Querceus* Quercerus.

 S, an-

S, ante M, vel T, ut *Dusmosus*, *Casmenae*, *Cosmittere*, Varro, & Festus, pro Dumosus, Camenae, Committere. Ennius Lib.1. Annal.

Musae, quas memorant Casmenas *esse* Latini.

Obstineo, *Obstrudo*, pro Obtineo, Obtrudo, in Carmine Saliari; *Sed jam scaelo candens Aurora* obstinet *suum patrem*. Plautus in Curculione. Act.2. Sc.3. v.87. *Atque aliquid prius* obstrudamus. *Praestergeo* Praetergeo, idem in Pseudolo Act.1. Sc.2. v.31.

Vorsa, presterga, *strata*, *lautaque*.

V, ut *Duo*, Do, *Adduo*, *Creduo*, *Redduo*, *Venunduo*, Plautus, Terentius, & Vetustiores omnes. *Anguina* pro Angina, Glossae. *Bovarium* pro Boarium, antiqua Inscriptio: IN FORO BOVARIO. *Nuculeus* Nucleus, Plautus in Curc. Act.1. Sc.1. v.55. *Qui è nuce* nuculeum *esse volt*. Idem in Captivis Act.3. Sc.4. v.122. Nuculeum *amisit*, *reliquit pigneri putamina*. *Nomenculator*, *Figulinae*, *Secutio* pro Nomenclator, Figlinae, Sectio, habent Pandectae Florentinae. *Lautumiae*, quas Cicero in Verrem. 7. & Festus dicunt Latumias, est in Pandectis. & Seneca Lib.9. Declamat. & Controversiarum 5. *Cùm Reus rogaret*, *ut in* Lautumias *transferretur*, *Ne nunc*, *inquit*, *quemquam vestrûm decipiat nomen* Lautumiae, *illa animo meo non lauta res est*. *Ninguo*, *Tinguo*, *Ungueo*, *Urgueo*, Varro Lib.7. de Linguâ Lat. *Et alia* urguent. Idem Lib. 8. *Cùm alia vis* urguet. Virgilius Lib.3. Georgic. v.367.

Interea totô, *non secius aëre* ninguit.

Et Lib.1. Aen v. 745. *Quid tantum Oceano properent se* tinguere *soles*. Idem ibid. v. 111. *In brevia*, *& syrtes* urguet. Lucretius Lib.4. v.1172. Unguit *amaracino*, *& foribus miser oscula figit*. Quam Scripturam Verborum *Unguo*, & *Tinguo* approbant Valerius Probus, & Caper Grammatici. *Duonum* pro Donum, in Carmine *Cn. Martii* Vatis: *Quamvis noventium duonum* negінate; id est, negate, & repudiate donum etiam eorum, quos nove-

noveritis. Aliquando verò in Fine Dictionum Literae adjectae, ut C in Pronominibus *Hic*, *Haec*, *Istaec*, pro Hi, Hae, Istae, de quibus infra.

D, in omnibus ferè Vocibus vocali Litera finitis, tùm maximè, cùm subsequentis Dictionis prima Litera est vocalis. Hinc *Estod*, *Habetod*, in XII. Tabulis. & in Columnâ Duillii *Altod*, *Marid*: de quô ita Quintilianus Lib. 1. *D Latinis veteribus plurimis in verbis in ultimo adjecta est, quod manifestum est etiam ex* Columnâ rostratâ, *quae est* Duillio *in Foro posita*. *Med*, *Sed*, *Ted*, *Meritod*, & id genus alia Ennius, & Plautus. E, ut *Lacte*, *Sale*. Ennius Lib. 7. Annal. *Coeruleum spumat sale confertâ rate pulsum*. *Cùme*, *Tame*, pro Cùm, Tam, fuit in carmine Saliari, quod recitat Terentius Scaurus. *Virgilie*, *Laërtie*, & similes Vocativi Nominum secundi Ordinis, de quibus Priscianus Lib. 7. *Exemplare*, *Pugillare*, & alia Neutra, quae hodie in AR desinunt.

I, ut *Sicuti*, *Uti*, *Veluti*, Ennius, Cato, & Sallustius ferè semper usurpant. N, ut *Atquin*, *Caeteroquin*, pro Atqui, Caeteroqui, in optimis Libris Pandectarum aliquoties occurrit.

Huc pertinet geminatio Vocalium, quàm etiam Quintilianus notavit, cùm scilicet Vocalem producendam vetustissimi geminarent tam in fine, quàm mediô Dictionum, ut *Feelix*, *Viirtus* in Nomismatis; *Eijus*, *Eii*, *Reii*, *Habuvit*, *Fluvit*, in Libris antiquis exstat. De quô ita Priscianus Lib. 1. *Ut Majus*, *Pejus*, *Ejus*, *in quo loco Antiqui solebant geminare eandem I Literam*, *&* *Maijus*, *Peijus*, *Eijus scribere*; *quòd non aliter pronuntiari posset, quàm si cum superiore Syllaba prior I, cum sequente altera proferretur, ut Peijus, Eijus, Maijus; &* *duo* II *pro duabus Consonantibus accipiebant. Nam quamvis I sit Consonans, in eadem Syllaba geminata jungi non posset: ergo non aliter, quàm Tellus, Mannus proferri debuit. Unde* Pompeji *quoque Genitivum per tria I Antiqui scribebant, quorum duo superiora loco Consonan-*

tium

tium accipiebant, ut si dicas Pompejji. *Nam tribus* III *junctis, qualis possit syllaba pronuntiari?* Quod *Caesari*, doctissimo artis Grammaticae, placitum à *Victore* quoque in Arte Grammaticâ comprobatur. Sic *Eii*, *Reii*, Plaut. in Casinae Prolog. v. 35.

Senex hic Maritus habitat: Eii est Filius.

Et mox v. 37. *Est eii quidam servus.*

Item in Milite Act. 2. Sc. 1. v. 25.

Magnai reii publicai gratiâ,

Lucretius Lib. 1. v. 689. - - - *Neque ullae*

Praeterea reii, quae Corpora mittere possit.

Idem Lib. 5. v. 285.

Nam primum quidquid fulgoris disperit eii. Idem ibidem v. 103. *Via, quâ munita fideii.* *Fuvit*, *Fluvit*, *Fluvidus*, *Habuit.* Plaut. in Poenuli Prol. v. 110.

Quo genere gnata, qui Parentes fuverint.


Idem in Asinariâ Act. 4. Sc. 1. v. 62.

Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuverit.

Lucretius Lib. 2. v. 463.

Sed quòd amara vides eadem, quae fluvida constant,

& alibi saepius.



CAPUT V.

DE LITERARUM IN DICTIONIBUS DETRACTIONE.

RURSUS Literae omissae, & abjectae in initiô, vel mediô Dictionum, & maximè Consonantes, quas Veteres non geminasse, Grammatici monuerunt, ut *Anus*, *Fesus*, *Oli*, *Tera*, pro Annus, Fessus, Illi, Terra.

A, ut *Clado*, *Clusus*, non modò Antiquiores, sed etjam Seneca in Epistolis frequenter usurpat. *Defrudo*, praeter Plautum in Asinaria, & Terentium in Adelphis, ac Phor-

Phormione, etiam Paulus JC. Lib.4.Quaestionum.Leg. 46. in fin. D. Sol. Matr. *Ne commodo dotis* defrudetur. *Quod*, pro Quoad, Terent.in Eunuchô. Act.2.Sc.1.v.8.

Munus nostrum ornato verbis; quòd *poteris*.

Id. ibidem: *Istum aemulum*, quòd *poteris*, *ab ea pellito*. Cicero Lib.12.ad Atticum: *Aut ego ad te totus, aut tu ad me*, quòd *licebit*. Gellius Lib.17.cap.9. *Hominem postea*, quòd *Capillus adolesceret, domo continuit*.

E, ut *Am*, pro Eam. Lucret.Lib.3.v.445.

Corpore qui nostro rarus magis am *cohibessit?*

Vlpianus Lib.18. ad Legem Juliam, & Papiam leg. 82. D.de Acq.Haered. *Si totam* am *partem, ex qua quis Heres institutus est*. Quo tamen loco suspicor illud *Am* negligentia Librarii repetitum ex postrema Syllaba praecedentis Dictionis. *Audibam*, *Custodibam*, *Lenibam*, & similia, de quibus infra.

H in principiô Dictionum, ut *Allex* pro Hallex, Festus. *Ei*, pro Hei, in Libris antiquis Plauti in Casina, Ei, *foetet tuus mihi sermo*. *Em* pro Hem, Terentii in Eunuchô, Act.2.Sc.3.v.15. *Am* em! Et Act. 3.Sc.2.v.19. Em *Eunuchum tibi*. In Adelphis Act. 5. Sc. 3. v.4. seq. Em *tibi, rescivit rem omnem*. Varron.Lib.2.de Re Rusticâ: Em, *quin adsum*. Ciceronis Lib.13.Epistolar. Em, *hic ille est de illis maximè*. Aut post Consonantes, ut Cicero, & Quintilianus, itemque veteres Grammatici testantur. Vnde etiam nunc *Broccus*, *Graccus*, *Pilippus*, *Triumpus*, *Tropaeum* retinent Nummi, & Marmora, atque etiam plerique antiqui Libri.

I, ut *Caldus* usurpant Veteres omnes, *Frigdus*, *Ardus*. Attius in Annalibus: - - - *ut quam frigdissimus alvus*. Lucillius Lib.8.Satyrar.

Sallere muraenas, *mercem in* frigdaria *ferre*.

Idem Lib.27.

Ardùm, *miserrimum, atque infelix lignum* Sambucum *vocant*.

Cante, pro Canite, fuit in Carmine Saliari:

Di-

Divom exta cante, *divom Deo supplice* cante.

Lamna, Lamina, Horatius Lib.2.Carmin.Od.2.v.2.

Abditae terris inimice lamnae. Vlpianus ad Sabinum 44. leg.29.§.Argentum. D.de Aur. Arg. Leg. *Quod neque in massa, neque in* lamna. *Mna* Mina, Plautus in Asinar. Act. 3. Sc.3. v. 135. *Viginti argenti commodas* mnas. Idem in Curcul. Act. 2. Sc.3. vers.65. *Triginta* mnis *vestem, aurum*. Poenulo, Act. 5. Sc. 5. v. 1. *Si ego* mnam *non ultus fuero*. *Subus* pro Suibus, Varro Lib. 1. de Re Rustica. *Ita Bubus, ac* Subus, *ut fiant pingues*. Idem Lib.2. *De* Subus *nemini ignotum*. Lucretius Lib.6.v.974. *Setigeris* subus *acre venenum est*. & mox v. 977. Subus *haec jucunda videtur*. *Depostus*, *Repostus*, Poetae crebrô usurpant, in quibus Grammatici volunt esse Syncopen.

M, ut *Tympanum*, *Typanum*, Glossae.

N, ut *Pago*, *Tago*, *Attigo*, *Contigo*. Pacuv. in Teucro: *Ut ego, si quisquam me* tagit. Plautus in Bacchidib. Act. 3. Sc.3.v.41. *Ne* attigas *Puerum ista caussa*. Apulejus Lib. 9. Metamorphos. *Inchoatum gustum extremis labiis* contigebat *Adolescens*. Sic *Piso*, Varro Lib.1. de Re Rustica. Vt *in pistrinô* pisetur, *ac torreatur*. Idem Lib. 4. de Lingua Lat. *Pilum*, *quod eo far* pisunt. *Fros* Idem Lib. 15. Antiquitat. humanar. *Fros*, *Foenum*, *Messis*. Et Lib. 1. de Re Rustica: *Unde* fros *ovibus*, *&* *bubus fiet*: Virgilius Lib.2.Georgic.v.372.

- - Fros *tenera, imprudensque laborum*.

Columa pro Columna, teste Quintiliano: Vnde *Columen*, & *Columella* fortè dicta sunt. *Tondes*, *Prasus*, *Praegnas*, *Mesis*, & similia retinent veteres Libri Varronis, & aliorum Scriptorum, abjecta N inter Vocalem, & S Literam, eaque Veteres promiscuè sic pronunciasse testantur Grammatici, & manet vestigium in eo, quod scribitur *Cos*, id est Consul.

R, ut *Susum*, *Deosum*, *Rusum*, *Prosum*. Cato de Re Rustica: *Ita subducito* susum *animam*. Varro Lib. 1. de Re Rustica: *Qui colunt* deosum, *magis Aestate laborant*;

qui

qui susum, *magis Hieme.* Idem Lib.4.de Lingua Latina *Clivus proximus ad* FLORAE susus *versus*. Catullus Carm.63.v.47.

Animo aestuante rusum *reditum ad vada tetulit.*

Afranius in Emancipato:

Vetuit me sine mercede prosum *pauciens remeare in ludum.*

Paulus Lib.2.de Adulteriis Leg.9.D.de Divort. *A Patre, Avo, Proavo, & ceteris* susum *versus.*

T, ut *Pacio* Pactio, *Dubio* Dubito, Festus.

V, ut *Sis, Sos,* & *Sas*, pro Suis, Suos, & Suas. *Em*, vel *Im*, pro *Eum*, ut infrà de *Pronominibus* dicemus. *Alis, Alid*, pro Alius, Aliud, à quo *Aliter* Adverbium formari censet Priscianus, & *Alimodi* pro Aliusmodi, Festus. Sallust.in Catilina: Alis *alibi stantes*. Catullus de Coma *Berenices* Carm.66.v.28.

Conjugium, quo non fortius ausit alis.

Lucretius Lib.1.v.264.

Quando alid *ex alio reficit Natura.*

Et Lib.3.v.983.

Sic alid *ex alio nunquam desistet oriri.*

Idem Lib. 5. v. 1304.

Sic alid *ex alio peperit discordia tristis.*

Savior, & Savium, pro Suavior, & Suavium constanter retinent Libri veteres Plauti, Terentii, aliorumque, & *Savillum* genus operis pistorii à Suavitate apud Catonem. *Dissavior*, M.T.Cicero ad Tironem: *Etiamsi te veniens in medio foro videro*, Dissaviabor. *Circlus, Oraclum, Periclum, Seclum, Hercle, Singlariter*; & id genus alia exstant apud *Poëtas*, quae metri caussâ ita contracta volunt *Grammatici*; cùm tamen in soluta quoque Oratione inveniantur pleraque, ut *Tablinum, Figlinae, Triblae* apud Catonem. *Surcli*, Varro Lib. 1. de Re Rustica: *Quod ex arbore per* surclos *defertur in terram*. *Seclum*; Cicero ad Atticum. *Promiscus*, à quo Adverbium *Promisce*, & *Promiscam*, de quo infrà. Gellius Lib.11. cap.

26. Va-

16. *Varia*, Promiscaque, *&* *non necessaria*. Idem Lib.6. cap.14. *Ut promiscè dici solet*. Et alibi saepiùs.

In fine dictionum Litterae abjectae, ut C, *Isti'* pro *Istic*. Afranius in Consobrinis:

Hem Isti' *parentum est vita vilis, liberis*
Ubi malunt metui, quàm vereri se à suis.

Illi' pro illic saepè apud Plautum. Turpilius in Canephoro: *Haud facile est venire* illi', *ubi ipsa est Sapientia*. Terentius in Hecira Act.2.Sc.1. v.20. Illi' *ubi sum adsiduè*. Idem in Phormione Act.1. Sc.2.v.41. *Interea dum sedemus illi'*. Varro Lib. 1. Hebdomadon: *Quod* illi' *Jotae mortuo faciunt sacra*. Lucretius Lib. 1. vers.1064. Illi' *cùm videant Solem*. Coelius ad Ciceronem: *Domitium quendam nobilem* illi'.

E, in Adverbiis hâc Literâ desinentibus, ut *Volup*, *Facul*, *Difficul*, pro Volupè, Facilè, Difficilè.

H, ut *Pro*, loco Proh. Sallust. in Catilinâ: *Pro Deum, atque Hominum fidem*! Cicero in Oeconomico: *Pro Deûm immortalium*.

I, in Dativis quartae Declinationis, *Luxu*, *Victu*, *Sumtu*; & in Genitivis quintae Declinationis, ut *Die*, *Facie*; Item in Genitivis Nominum secundi Ordinis, quae geminatam Literam I habent, ut *Oti*, *Peculi*, *Pecuari*, *Tuguri*: de quibus omnibus infrà suo loco dicemus.

M, in Verbis, quae ipso M finiuntur, sequente Vocali, ut *Secundò* pro Secundùm. Varro Lib.2. de Re Rusticâ: Secundò *ea cum jam pasci possint*. *Visu iri*, Cicero Lib.1. Officior. *Se beneficos in suos amicos* visu iri. *Datu iri*, *Creditu iri*, *Debitu iri*, *Traditu iri*, in Libris *Jurisconsultorum*.

N, abjiciunt Latini in *Graecis* Dictionibus, ut *Antipho*, *Dorco*, *Meto*, *Xeno*; ad eundemque modum plurima, quae Priscianus observavit. *Laco*, Horatius in Epod. Od.6.v.5. *aut fulvus* Laco. S, ut *Qui*, *Aliqui*, *Siqui*, *Nequi*, Terentius in Pormione. Act.5. Sc.8.v.1. Qui *nominat*

nat me. Cicero: *Nisi* qui, *ut scis*, Parthicus *casus accesse-rit.* Idem Lib.3.Officior. *Nisi* aliqui *casus consilium ejus praevenisset.*
Varro Lib.2. de Re Rusticâ : *Ne* qui *porcellus à matre opprimatur.* Idem in Lege Maenia ; *Si qui patriam majorem parentem exstinguit.* Item Nominativi Graeci in As, *Aenea*, *Pausania* ; & Genitivi in Is, ut *Ogygi*, *Persi*, de quibus infrà. *Mehercule* maluit *Cicero* dicere, quàm Mehercules, ut ipse testatur in Orat.n.157.his verbis: *Pomeridianas quadrigas, quàm postmeridianas, libentiùs dixerim; &* Mehercule, *quàm Mehercules.* Et ita ad Caelium : *Mihi* Mehercule *magnae curae est.* Quamvis in Verr. *Mehercules* bis dixit, & in Catil. & pro Plancio: Pro Amerino autem, & in Bruto, *Hercules Ambo*, *Duo*, Accusativo Casu. Terent. in Andr. Act.2.Sc.2.v.8.

Ambo, opportunè vos volo.

Idem in Adelphis. Act.5. Sc.3. v.23.

Tu illos duo *olim pro re tollebas tua.*

Plaut. in Amphitr. Act.5.Sc.1.v.67.

Puer ambo *angues enicat.* Et in Epid. Act.3.Sc.3.v.37.

Quae Senes duo *docto ludificetur.*

Idem in Pseudolo Act.1.Sc. 3. v.98.

Lanios inde accersam duo. Lucilius.

Hunc pontes TIBERINOS duo *intercaptus catillo.*

Cato de Re Rusticâ: *Eo calcē cribro secretum indito altè digitos* duo. Varro Lib.1.de Re Rusticâ : Duo *Villicos, & duas Villicas.* Idem Lib. 2. *Satis esse* duo, *& id Marem, & Foeminam.* Cicero Gallo : *Praeter nos* duo *loquitur istô modô nemo.* Id. ad Q. Fratrem : Duo *Mysos insuisses in culeum.* Virg. Ecl.5.v.68.

Caterasque duo *statuam.*

Idem. Ecl.6.v.18.seq.

- - - - *Nam saepe senex spe carminis* ambo
Luserat. - - - - -

Et Lib.4.Georgicor.v.88.

Verum ubi ductores acie revocaveris ambo.

CA-

CAPUT VI.

DE SYLLABARUM IN DICTIONIBUS ADJECTIONE.

EADEM varietas, & mutatio in Syllabis, quibus adjectis, vel detractis, plerasque Dictiones producebant, alias contrahebant; idque interdum in principiô, ut cùm *Du* ponebant loco *B*, ut *Duis* Bis, à quo *Duicensus* Bis Census, *Duidens* Bidens Hostia, *Duonus Cerus* id est Creator bonus, *Duellum* Bellum, *Duellicus* Bellicus, *Duellator* Bellator, Plautus in Captivis, & Epidicô, & Lucretius Lib.2.v.660. *Equorum duellica proles. Duillii*, Billii in Historiâ *Romanâ* nobiles, de quibus Cicero in Orat.n.53.his verbis: *Quid verò licentius, quàm quod* Hominum *etiam* Nomina *contrahebant, quò essent aptiora? Nam ut* Duellum *Bellum*, Duis *Bis: sic* Duillium, *eum, qui* Poenos *classe devicit*, Bilium *nominaverunt, cùm superiores appellati essent semper Duillii.* Aliquando Syllabas interponebant in mediô Dictionum, ut *Aeviternus* Aeternus, Varro in Pseudoneô: *Per aeviternam Hominum domum Tellurem. Aucipes, Praecipes, Principes*, de quibus Priscianus. *Antidea*, Antea, Liv.Lib.32. *Si antidea Senatus, Populusque jusserit fieri. Interidea*, Interea, Glossae. *Indoteridea ἐν τῷ μεταξὺ. Postidea* Postea, Plautus in Aulularia Act.1.Sc.2.v.4. *Nunc, quo profectus sum, ibo*, postidea *domum*. Idem in Casinae Prol. v.33. Postidea *rursum denuò*. & alibi non raro. Terent. in Hecyrâ Act.4.Sc.3.v.3.

Quid faciundum fortassè sit postidea. *Boverum, Suerum*, pro Boum, Suum. Cato de Re Rust. *Quot juga Boverum. Calim* Clam, Festus, *Coquino, Natino, Negino*, pro Coquo, Nato, Nego, Plaut.in Aulular.Act.3.Sc.1.v.3.*Veni in* Bacchinal coquinatum. Cn. Marcius: *Quamvis noventium duonum* neginate. *Divitior, Divitissimus*, pro

Ditior

Ditior Ditissimus. Plautus in Aulularià Act.5.Sc.1.v.2. *Qui me est divitior?* Idem in Pseudolo Act.5. Sc.2.v.24.

- - *Nam hinc nunquam eris nummô* divitior.

Terentius in Phormione Act.1.Sc.1.v.8. *Semper aliquid addunt* divitioribus. Cicero Lib.2.de Officiis; *Nam Mamerco homini* divitissimo. Idem in Paradox.6. *Ita divitissimus habendus sit*. Lucretius Lib.5.v.1114.

Divitioris *enim sectam plerumque sequuntur.*

Cornelius Nepos in Vita Phocionis: *Fuit enim perpetuò pauper, cùm* divitissimus *esse posset. Dubiennus, Sociennus*, pro Dubius, Socius, Festus; & Plautus in Amphitruone Act. 1. scen. 1. vers.228. & Aulularià Act. 5. Sc.4.v.32. *Illi* socienno *tuo. Fruinor* Fruor, à quô *Fruniscor*, & *Frunitum*, Catonem dixisse notat Festus. *Gnaruris* Gnarus, Plaut. in Mostellarià Act. 1. Sc. 2. v. 17. *Simul gnarures vos volo esse*. Arnobius Lib.2. *Cur esse dicatis in aliis praeceptionibus* gnarures. Ausonius Epist. 22.v.19. *Non cultor instans, non arator gnaruris. Itiner* Iter, frequens apud veteres Poëtas, quorum testimonia recitant Priscianus, & Nonius. *Mavolo* Malo, Plautus saepè, & Terentius in Hecyrâ. *Potissum, ex potis, & sum*, & inde *potesse*, quod nos contractè *Possum*, & *Posse*, Ennius:

Spero si speres, quidquam prodesse potissunt.

Lucilius Lib.1.Satyrarum p.152.

Quo pactô Populum, atque Vrbem servare potissit
Amplius Romanam.

Plaut.in Aulularia Act.2.Sc.4.v.30.

Censen' talentum magnum exorari potesse.

Ter.in Eunuchô Act.4.Sc.3.v.24. *Sed nihil* potesse.

Lucret.Lib.1.v.666.

Quod si fortasse ulla credunt ratione potesse.

Idem lib.2.v.1009.

Neve putes aeterna penes residere potesse.

Praehibeo, Praebeo, Plaut.in Menaech. Act. 5. Sc.6. v.16. *Molitum praehibeo*. Id.ib.Sc.2.v.50. seq. *Ancillas, penum*

rectè praehibet. Et in Mercatore Act.5.Sc.4.v.63. *Si praehibuerit palàm. Speres* Spes, Ennius, Varro, & alii. *Tamenetsi* Tametsi, Ennius Lib.4.Annalium.

At Romanus homo tamenetsi *res bene gesta est.*

Plautus in Milite Act.4.Sc.5.v.10.seq. Tamenetsi *istuc mihi acerbum est.* Terent.in Andr. Act.5.Sc.2.v.23. Tamenetsi *hoc verum est.* Catullus Carm. 68. v. 135.

Quae tamenetsi *unô non est contenta* Catullô.

Cic.lib.5.ad Attic. *Nos*, tamenetsi *hoc te ex aliis audire malo.* & lib.12. Tamenetsi *continuò congressuri sumus.* Et ad Plãc. *Sed* tamenetsi *antea scripsi, quae existimavi scribi oportere.* Idem in Verrem: Tamenetsi *animô aequô provincia tulisset*. Caesar Lib. 7. de Bellô Galliç. cap. 43. *Quae* tamenetsi *Caesar intelligebat.* Idem Ibid.cap.50. *Ac* tamenetsi *dextris humeris exertis animadvertebantur.* Ulpian.ad Edictum 29. Leg.9. §. interdum, D. ad S. C. Maced. *Interdum* tamenetsi *Senatusconsulto locus sit; tamen in alium datur actio.* Idem Lib.12.Leg.5.D.Quod falso tut.auctor. *Interdum* tamenetsi *scientia noceat; tamen restitutio facienda est. Totondi, Sciscidi, Concucurri, Praecucurri*; Item *Posivi, Reposivi*, & similia Praeterita, de quibus Priscianus. Varro in Satyra κενοδοξία:

Huc aucupatum concucurristis domo.

Cato de Re Rust. *Ita in Legibus* posiverunt. Plaut.in Asin. A.3.S.1.v.16. *Quin pol si* reposivi *remũ, sola ego in casteriâ.*

Quin etiam in fine Dictionum Syllabas adjiciebant, sicuti cùm Monosyllabas Voces geminabant, vel cùm Particulas quasdam Monosyllabas apponebant. Geminatae Voces reperiuntur minus tritae, *Quiqui, Quaeque, Quodquod*, pro Qui, Quae, Quod; Afranius: Quodquod *quibo boni*. Plautus in Persa Act. 1. Sc. 1. vers.18. *Si eveniunt, quaeque expto.* Idem in Casina Act.3. Sc.1. v.10. *Quiqui facito uti veniant.* Cicero Lib.2.de Finibus: *Omnes quiqui sine dolore sunt*. Varro Lib.2. de Re Rustica: *Is ita appellatur, quiqui admittit. Quidquid* pro Quidque, ut *Quisquis* pro Quisque; Cice-

ro

ro in Torquato: *Quocunque in loco* quisquis *est*. Idem lib. 1. Tusculan. Quaest. *Ut* quidquid *objectum est*, & Orat.4.in Verrem; *Ita odorabantur omnia, ut, ubi* quidquid *esset, aliquâ ratione inveniret.* Plautus in Trinummô Act.4. Sc.2.v.39. *Sin unum* quidquid *singillatim, & placidè percunctabere.* Lucretius Lib.2.v.956.

Inque suos quidquid *rursus revocare meatûs*.

& alibi frequenter. *Quotquot* pro Quot. Varro Lib.4.de Ling. Lat. *Fundat* quotquot *annis*. Idem ibidem; *Sacra quotquot mensibus feruntur in arcem*. Et Lib.8. *Quotquot annis eôdem modô exoritur*. Et Lib.3.de Re Rustica. *Pastorem columbaria quotquot mēsibus crebro oportet everrere.* Gellius Lib.6.cap.5. *Ut* Carthaginienses *quotquot annis darent Populo* Romano *certum pondus Argenti puri puti.*

Particulae Monosyllabae Dictionibus appositae reperiuntur, AN, ut *Fortassean*. Attius in Antenoridis;

Fortassean *sint, quos hic non mertat metus.*

Sisenna Lib.3. *Quod* fortassean *ex voluntate suâ, summâ cum claritudine, celeriter confecissent*. Varro Lib. 4. de Linguâ Lat. Fortassean *ab eô quatuor*. Idem Lib. 3. de Re Rustica; Fortassean *tecum duceret serram*. Idem ibidem; *Hoc dico, quod* fortassean *tibi satis sit*. Gellius Lib.11. cap. 9. Fortassean *auxilii petendi caussa*. Et lib. 17. cap.5. *Processisset autem argutatori isti* fortassean *reprehensio*. Id. Lib. 19. cap. 8. *Ac* fortassean *de quadrigis veterum auctoritati concessero*. Apulejus Lib. 1. Apolog. *Et* fortassean *praeacutè reperiisse vobis videbamini*. Idem de Deo Socratis: Fortassean *inter Graecos praeliô cognitos*. Tertull.de Animâ: Fortassean *& de corpore, & valetudine aliquid accedat*. Idem de Pallio; *Quingenariam promulsidem supra scriptis* fortassean *mensis necessariam.*

CUM, ut *Donicum*, pro Donec, Cato, Plautus, & alii. *Mecum, Tecum*, pro Me, Te. Plautus in Asinaria; Act. 3.Sc.3.v.72.

Hoc jube petere, atque orare mecum.

Id.in Casinâ Act.2.Sc.5.v.16. *Si is* mecum *oraret*. Id.ibid. Act.2.Sc.6.v.12.

Atque ego censui abs te posse hoc mecum *impetrare.* Et in Curculione Act. 3. Sc. 1. v. 62. Tecum *oro, & quaeso*. Terent. in Hecyrâ Act. 3. Sc. 5. v.48. *Quamobrem* tecum *orabam*. Id.ibid.Act.4.Sc.4.v.64. *Egi,atque ravi* tecum, *uxorem ut duceres*. Gellius Lib. 20.cap.1. *Sed, quaeso* tecum *tamen,digrediare paulisper è curriculis istis*.

DE,ut *Quamde*,pro Quàm, Ennius apud Festum, & Lucretius Lib.1.v.641.

Quamde *graves inter* GRAJOS, *qui vera requirunt.*

ENDE, vel *ENDO*, aut *INDV*, pro In, quorum usus frequens Vetustissimis fuit, & seorsum,ut Ennius Lib.7. Annal.

Consilio INDV foro lato, sanctoque Senatu.

Et lib. 17. *ENDÓ mari magno*. Et in Compositione,ut *Endogredi,Indopediri, Induperator*, & similia, quae apud Lucretium, & alios ita frequenter leguntur, ut nemini ignota esse possint.

DVM, ut *Sedum*, pro Sed, auctore Charisiô. *Agedum, Etiamdum, Nequedum, Primumdum, Hicdum Quidum*, apud Plautum, & Comicos.

NAM,ut *Quianam*, Ennius, & Naevius apud Festum, è quibus sumsit Virgilius Lib.5. v.13.& lib.10.v.6.Aen. *Numnam* apud Plautum in Amphitruone, & alibi. Varro in Agathone.

Numnam caelatus in manu dextra scyphus?

NE, & NI, ut *Quippini* pro Quippe,Plautus frequenter. *Quiàne*,Virgilius lib.4.Aeneidos v.538.

- - *Quiane auxilio juvat ante levatos.*

CA-

CAPUT VII.

DE SYLLABARUM IN DICTIONIBUS DETRACTIONE.

VICE versâ Syllabas Antiqui abjiciebant, vel in *Principio* Dictionum, ut *Rabo*, pro Arrabo, Plautus in Mostellaria. *Fructus*, pro Ususfructus, Idem in Casina Act.4. scen. 4. v. 16. *Sed meus* fructus *est prior*. *Jurandum*, pro Jusjurandum, idem in Cistellaria Act. 2. sc.1.v.26.

Abi quaerere ubi tuo Jurando *satis sit subsidii*.

Terentius in Andria Act.4.sc 4.v.7.

Quia si fortè opus sit ad herum Jurandum mihi.

Vel in *Mediô* Dictionum, *ut Apiscor* pro Adipiscor, Plautus in Epidicô Act.5. sc.2. v.3. *Sine me hominem* apisci. Sisenna lib.3. Historiar. *Itaque postero die Legatos* Iguvium *redeuntes apiscitur*. Lucretius lib.1. v.449.

Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.

Tacitus Lib.3. Annal.31. *Praebuit Juveni materiam* apiscendi *favoris*. & Lib.6.45. *Dum dominationis apisceretur*. Idem lib.4. Annal.1. *Intus flamma* apiscendi *libido*. *Cuimodi*, *Cujusquemodi*, *Cujusque*, pro Cujusmodi, Cujusmodicunque, Cujuscunque. Gellius lib. 12. cap.2. *Ea res cuimodi sit*. Id. Lib.9. cap. 2. *Demus*, inquit, *huic aliquid aeris, cuiquemodi est*. Et lib.11. cap.16. *Non necessaria rerum cujusquemodi plurimarum, & cogitationé, & petitione*. Cicero pro Flaccô: *Tabulae illae ipsae, cujusquemodi sint, proferuntur*. Lucretius lib.4. v.131.

Et cujusquemodi formarum vertere in ora.

Ulpianus leg.7.§.2.D.de liberali Causa: *Cujusque sit aetatis, qui emptus est*. *Damnas*, pro Damnatus, Vox propria in Formulis Legatorum: ut Haeres dare *damnas* esto. & in Legibus, atque Senatusconsultis, ut in Lege Manilia: COLONIS, MUNICIPIBUSQVE, IN-

IN QVORUM AGRO ID FACTVM ERIT, DARE DAMNAS ESTO. Et in Senatusconsultô de Aquae ductibus apud *Frontinum*: SI QVIS ADVERSVS EA COMMISISSET IN SINGULAS RES IN DENA MILLIA DAMNAS ESSET. *Dis* Dives, & *Ditiae* Divitiae. Terentius in Adelphis Act. 5. Sc. 1. vers. 8. Dis *quidem esses*. Idem in Andria Act.4. sc.6. vers.2.

Quae se inhonestè optavit parare hic ditias.

Idem in Heavtontimor. Act.1. sc.2. v.20. *Amicos, Genus, Cognatos, Ditias*. *Dortium* Divortium, Turpilius in Leucadia: *Tristities ante* dortium. *Aepoll*, Aedepoll, Terent. in Eunuchô Act. 5. Sc. 3. v. 7. *Bene Aepol narras*. *Nancitor*, pro Nancifcitor, in XII. Tabulis, Festus. *Porgo*, Porrigo, Ennius, teste Serviô, & Plautus in Epidicô. Grex. v. 2. - - - *Lumbos* porgite, *atque extollite*. A' quô *Exporgere*, porrò agere, *Exporrigere* interpretatur Festus. *Postulio*, Postulatio, Varro Lib.4. de Lingua Lat. - - *Deûm Manium* postulionem *postulare*. *Praequam*, praeterquam, Cato Lib. 1. Originum: *Fand in eô locô compluria fuerunt; ea exauguravit*, praequam, *quod Termino Fanum fuit, id nequitum exaugurari*. *Prendo* Prehendo, *Proebeo* Prohibeo: Unde *Probi* dicti, quò se à delinquendô prohibent; & *Proebia* remedia, quae fascinum putabantur arcere, quorum meminit Varro lib.6. & Festus. Lucret. lib.1. v.976.

Nam sive est aliquid, quod proebeat, *officiatque*.

Quandoque pro Quandocunque. Cicero lib. 6. de Republicâ: *Quandoque ab eâdem parte Sol, eôdemque tempore iterum defecerit*. Horatius lib.4. Carmin. Od.2. v.34.

- - *Quandoque trahet feroces*.

Idem in Arte Poëtica v.359.

Indignor, quandoque *bonus dormitat* Homerus.

Vlpianus leg.2. §. Quod si. D. Solutô Matrimoniô: *Dotis actio filiae non erit ademta*, quandoque *sui juris filia fuerit facta*. Idem ibidem: *Hi restituendi sunt*, quando-

que

que *divortio facto*. Et alibi in Libris Jurisconsultorum. leg. 2. D. de Condic. & Demon. Quandoque *venerit*. leg. 18. D. quand. dies legator. Quandoque *Liberos habuerit*. leg. 30. D. eod. Quandoque *nupserit*. leg. 28. D. ad SC. Trebel. Quandoque *conditio exstiterit*. & similia. *Quemque*, *quaeque*, pro Quemcunque, & Quaecunque. Terent. in Hecyrâ Act. 1. Sc. 1. v. 8.

Quin Spolies, mutiles, laceres, queinque *nacta sis*.

Id. ibidem Act. 3. Sc. 3. v. 26. Quaeque *fors fortuna est*: Plautus in Amphitr. Act. 4. sc. 5. v. 14. seq.

Quemque *hominem adspexero, obtruncabo in aedibus*.

Id. ibidem Act. 1. sc. 1. v. 254. seq.

Quaeque edixti modo omnia ementitus.

Satias, Satietas; Terentius, Varro, Lucretius, & alii Poëtae; Itemque Sallustius, & Tacitus lib. 3. Annal. 30. *An* satias *capit*. & ibid. 54. Satias *in melius mutet*. *Surpio* Surripio, Plaut. in Captiv. Prol. v. 8.

Alterum quadrimum Puerum servus surpuit.

Id. In Capt. Act. 3. sc. 5. v. 102. *Quem mihi servus surpuit*. Lucretius lib. 1. v. 314.

- - - - *Motus ibi surpere debent*.

Horatius Carm. lib. 4. Od. 13. v. 20.

Quae me surpuerat *mihi*. & lib. 2. Serm. Satyr. 3. v. 283. *Unum me* surpite *morti*. Cicero lib. 2. ad Atticum: - - *Velim me* surpi *eâ conditione, sed facile patior*. Ita enim nos locum illum restituimus ex vestigiis veteris scripturae: *Sirpiae*, vel *Surpine*, quam varii variè interpolarunt. *Ubique*, pro Ubicunque, Javolenus leg. 77. D. de contrah. Emt. *In Lege Fundi vendundi; Lapidicinae in eo Fundo*, ubique *essent, exceptae erant*: *Deûm*, *Nummûm*; *Meûm*, & similes Genitivi Plurales. Item Praeterita *Sensti*, *Dixti*, *Accesti*; & Infinitivi *Cesse*, *Consumse*, & alia, quae post suô locô referemus.

Similiter Antiqui adjiciebant Syllabas in fine Dictionum, atque adeò extremas partes praecidebant more *Oscorum*, qui dicebant *Facul*, *Famul*; vel etiam *Grae-*

corum, apud quos inveniuntur δῶ pro δῶμα, ῥᾶ pro ῥᾴδιον, & similia, quae *Strabo* lib.8. *Geographiae* refert, prolatis veterum *Poëtarum* testimoniis. Sic in Carmine Salari fuit *Pa*, pro Parte; *Po*, pro Populô. Ennius dixit: *Endo suam Do*, & *Laetificum Gau*, & *Altisonum Coel*, pro Domum, Gaudium, Coelum. Idem lib. 8. Annal. Debil'*homo*. Et

Reddit ut ex summô Regnô famul'infimus *esset*.

Guberna Gubernacula, Lucilius, & ab illo Lucretius. *Simil*, & *Consimil*, pro Similis, & Consimilis, Plautus in Amphitr. Act.1. sc. 1. v. 286. seq. *Nimis* simil' *est mei. Itidem habet petasum, ac vestitum, tam* consimil' est, *atque ego*.

Quibus adnumerari possunt particulae in extremâ parte decurtatae, ut *Forsit* pro Forsitan. Horat. Lib.1. Sermon. Satyr.6.v.49.

Dissimile hoc illi est. quia non ut forsit *honorem*
Jure mihi invideat quivis.

Simul pro Simulac, Cicero Leptae: Simul *accepi à* Seleucô *tuô Literas*. Idem ad Atticum: Simul *aliquid audiero, scribam ad te*. Et Lib.2. Qu.Academicar. Simul *tibicen inflavit, Carmen agnoscitur*. Id.Lib.3.de Finibus: Simul *autem cepit intelligentiam*. Lucretius Lib.1. v.88.

Cui simul *Infula virgineos circumdata comptûs*
Ex utraque pari Malarum parte profusa est.

Virgil. Lib.4. Georg.v.232.

Taygete simul *os terris ostendit honestum*.

Horat.Lib.1 Sermon.Satyr.1.v.36.

Quae, simul *inversum contristat Aquarius annum*.

Idem Lib.1.Epistolar.10.v.8.

- - *Vivo, &* *regno* simul, *ista reliqui*.

Paulus ad Legem *Juliam*, & *Papiam* Lib.3.leg.35.§.Sed & si.D.ex quib.caus.Major.*Cùm in eadem Provincia degit, Reipublicae administrandae caussa;* simul *agere Rempublicam caepit, ad similitudinem absentis habetur*. *Dein*, *Exin*, *Proin* non Poëtae solùm usurpant metri

causâ

causâ, ut Festus putat, sed etiam Sallustius, & Tacitus ferè semper. Varro Lib.1. de Re Rustic. Exin *mutatis Literis*, Svetonius in Tiberio: *Prandium* dein *Populo mille mensis*. *Augmen*, *Momen*, *Regimen*, pro Augmentum, Momentum, Regimentum, de quibus mox infrà. *Praeter*, pro Praeterquam, ut *Greaci* πλὴν usurpant cum Nominativô jungentes. Sallust. in Catilina: Praeter *rerum capitalium condemnatis*. Cicero Lib.5. ad Atticum: *Nullas enim adhuc acceperam*, praeter *quae mihi binae semel in* Trebellano *sunt redditae*. Idem Lib. 1. ad Q. Fratrem; *Cavendae sunt quaedam Familiaritates*, praeter *Honestorum*, *& Paucorum*. Varro Lib.1. de Re Rust. - - - - Praeter *si aliter nequeas*. Tertullianus Lib. 4. adversus Marcionem: Praeter *oneribus conspersionum*. Id. ibid. *Caeterùm* praeter *ex caussa Adulterii nec Creator disjungit*. Et adversus Valentinianos: *Omnium*, praeter *Haereticorum Patrem*. Et alibi non raro. *Plerus*, & *Plerum*, pro Plerusque, & Plerumque: Cato Lib.1. Originum: *Agrum*, *quem* Volsci *habuerunt*, *campestris* plerus ABORIGINUM *fuit*. Cicero in Laelio: *Tamen haec duo levitatis*, *& infirmitatis* pleros *convincunt*. *Quaecum* pro Quaecumque, Lucret. lib.6. v.955.

Morbida vis quaecunque extrinsecus insinuatur.

Vbi, pro Vbique, Plautus in Bacchidibus Act.5. sc.1. v.1.

Quicunque ubi sunt, *qui fuère*, *quique futuri sunt posthac.*

Vter pro Vtervis, Cicer. Lib. 3. de Offic. *Sibinè uter rapiat*, *an alter cedat alteri*. Idem Paradoxis: *Quae quandò utro accessit*. Et pro Sestio: *Horum utro uti voluerit altero est carendum*.

CAPUT VIII.

DE EXTREMITATIBUS NOMINUM.

DE Literis, & Syllabis hactenus. Nunc de Dictionibus; & primum quidem de Nominibus, eorumq; extremitatibus; quibus Veteres promiscuè, atque indifferenter usos animadvertimus; veluti A literâ finità Nomina *Latina* primi Ordinis proferebant etiam in *Es* tertiô Ordine; ut *Amicities*; *Avarities*; *Desidies*, *Notities*; Lucretius: *Luxuries*, Cicero aliquoties: *Proficies*; Varro lib. 11. Rerum humanar. Proficiem *exterum*, *vel in mensam porricere*. *Tristities*; Turpilius in Leucadiâ: Tristities *ante dortium*: *Pigrities*; Livius lib. 44. *Romanis* pigritiem *ad sequendum locis ignotis fecit*. *Delicies*; *Fallacies*; *Sevities*; Apulejus; *Furcilles*; Festus.

Graeca autem Nomina efferebant in *E* tertiô Ordine, ut *Grammatice*; *Logice*; *Physice*; *Delphice*, *Menippe*. Varro in Modiô: *Quod Delphice canat columna*. Idem in Thaphemenippô: *Natis quos Menippe haeresis nutricata est*: Similiter *Libye*, *Phoenice*, *Thrace*, *Samotrhace*; *Graeco* more, Λιβύη, Φοινίκη, Θράκη, Σαμοθράκη. Caesar Belli Civil. lib. 3. cap. 3. *Magnam ex Asiâ*, *Cycladibusq*; *Insulis*; Corcyrâ, Athenis, Pontô, Bithyniâ; Syriâ, Ciliciâ; *Phoenice*, & Aegyptô *classem coëgerat*. Varro lib. 2. de Re Rustic. & lib. 4. de Linguâ Lat. EUROPA *ab* Europâ; Agenoris *Filia*, *quam ex* PHOENICE Manlius *scribit Taurum exportasse*. Idem ibidem: *Sunt pro illis*; *qui in* Samothrace Θεοὶ δυνατοί. Lucretius lib. 5. v. 30. Thracen,

Bistonidasque plagas: - - - -

E Literâ desinentia Nomina *Graeca* tertii Ordinis proferebant in *A* primô Ordine; ut Circe *Circa*, Plautus in Epidicô Act. 4. S. 2. v. 34. *Hanc adserva* Circam *Solis filiam*. Horat. Lib. 1. Epistolar. 2. v. 23. SIRENUM *voces*, *&* Circae *pocula nosti*. Idem Epod. Od. 17. v. 17.

Vo-

Volente Circâ. *Glycera*, Plautus in Milite Act. 3. Sc. 1. v. 212. *Quam nominem?* Glyceram. *Dirca*, *Penelopa*, Idem, & Horatius lib. 1. Epist. 2. v. 28. *Sponsi* Penelopae. Papinianus Lib. 7. Responsor. leg. 9. D. de Supel. legat. *Quem* Penelopa *recognoscendi Viri signum accepit*. Mycena, Virgil. lib. 5. Aeneid. v. 52. *Urbe Mycenae*. Semela, Horat. Lib. 1. Carmin. Od. 19. v. 2.

Thebanaeque Jubet me Semelae Puer.

In I indeclinabilia Generis Neutri desinebant in *IS*; ut Foeminina tertii Ordinis; ut *Gummis*, *Sinapis*. Cato de Re Rustica: Gummim *pridie in aquam infundito*. Columella lib. 12. *Nova dolia liquida* gummi *perluere*. Plautus in Pseudolô Act. 3. sc. 2. v. 28.

Teritur sinapis *scelerata cum illis, qui terunt*.

O Littera finita pleraque desinebant in Us, ut Pavo & *Pavus*, Capo & *Capus*. Ennius Lib. 1. Annal. *Memini me fieri* pavum. Varro περὶ ἰδιωμάτων: Pavus è *Samo*. Idem de Lingua Lat. *Ex Gallô Gallinaceô castratô fit* Capus. Quaedam etiam Nominativum habebant similem Genitivo; ut *Apollo*, & *Caro*. Plaut. in Menaech. Act. 5. sc. 2. v. 118. Vocandi Casu:

Imperium tuum demutat, atque Edictum Apollinis.

Livius lib. 37. *Quod* LAURENTIBUS carnis, *quae dari debet, data non fuerat*.

U desinentia in UM quoque proferebant, vel in US Masculinô genere, & quarta Declinatione, ut *Cornu*, *Cornum*, & *Cornus*; *Gelu*, *Gelum*, & *Gelus*; *Tonitru*, *Tonitrum*, & *Tonitrus*: quorum Exempla exstant apud Nonium, & Priscianum.

AL apponebant E, ut *Animale*, *Tribunale*, *Bidentale*; teste Charisiô. *Sale*, Ennius, & Poëtae. *Torale*, Varro lib. 5. de Lingua Latina.

AN finita Nomina *Graeca* augebant syllaba US; ut *Titan*, *Titanus*. Plautus in Menaechm. Act. 5. sc. 2. v. 101.

Barbatum, tremulum, Titanum, qui cluet Cignô patre.

AR

AR etiam in ARE, ut *Pugillare, Torculare, Exemplare*. Lucretius lib.2. v.123. *Exemplare dare, & vestigia notitiai.* Vel in Arium, ut *Torcularium*, Cato de Re Rustica. *Exemplarium, Lupanarium, Miliarium* Jurisconsulti in Libris Pandectarum.

AS finita Nomina *Graeca* sine S, ut *Geta*; *Byrrhia, Chaerea, Clinia, Sosia*, Terentius. *Pterila*, Plaut. in Amphitruone. *Aenea*, Varro in Satyris. *Pausania*, Cicero ad Appium: *Illud idem* Pausania dicebat. *Marsia*, Juvenalis Satyr.9.v.2.

Occurris fronte obductâ, ceu Marsya *victus*.

Quaedam verò in A primô Ordine, ut *Hebdomas* Hebdomada; *Lampas* Lampada. Plautus in Casinâ Act.4.Sc. 4.v.16. *Tene hanc* lampadam. Lucret.lib.6.v.1196.

Aut etiam nonâ reddebant lampada *vitam*.

Cicero Tironi: *Ne in quartam* hebdomadam *incideres*. Gellius lib.3. cap.10. *Duodecimam annorum* hebdomadam *ingressum esse, & ad eum diem septuaginta* hebdomadas *librorum conscripsisse*.

AX, OX, ABS, & OPS peregrina etiam in US more *Latinorum*, ut Thrax & *Thracus*, Cappadox *Cappadocus*, Arabs *Arabus*, Aethiops *Aethiopus*. Gellius lib. 19. cap. 12. *Cuipiam* Thraco *insipienti*, *& rudi*. Apulejus lib.8.de Asinô: *At ille* Cappadocum *me, & satis forticulum denuntiat*. Lucilius lib. 4. *Rhinoceros velut* Aethiopus. Idem lib. 25. Arabus *artemo*. Plautus in Bacchidibus, & in Poenulô, *Mirrhinus odor* Arabus. Virgilius lib.7.Aeneid.v.605.

Hyrcanisvè, Arabisvè *parant seu tendere ad* INDOS.

ER, & IS terminationes in multis Nominibus promiscuè erant, ut *Acer, acris*; *Alacer, alacris*; *Celeber, celebris*; *Equester, & equestris*; *Vomis, & vomer*; aliaque similia, quae Priscianus observavit. Similiter ER, & US, ut Puer, & *Puerus*; Prosper, & *Prosperus*; Pulcer, & *Pulcrus*; Exter & *Externus*; Socer & *Socerus*; Veter & *Vetus*; Itemque Graeca, Teucer & *Teucrus*, Evander & *Evan-*

& *Evandrus*, de quibus idem Priscianus. Menander, *Menandrus*, Cicero Tironi: Menandrus *postridie ad me venit*. Ovidius lib.1.Amor.eleg.15.v.18.

Vivent; *&* *meretrix blanda*, Menandrus *erit*.

Super,& *Superus*, Cato de Re Rustica· *Ubi* super, *inferque vicinus permittit*. Lucret. lib. 1. de Rer. Natur. v.650.

Naturam, quam totus habet super *ignis,haberent*.

Es finita Nomina *Latina*, & *Graeca* tertii Ordinis etiam definiebant in A primô Ordine, ut *Effigia*, Plautus in Rudente Act.2.Sc.4.v.7. *Veneris* Effigia *haec quidem est*. Lucretius lib.4. v.46.

Dico igitur rerum Effigias, *tenuesque Figuras*.

Idem ibidem.v.83.

Effigias *quoque debent mittere tenueis*.

Mollitia, Cic. aliquotiens, & Varro lib.1. de Re Rustic. *Propter foemineam* Mollitiã.Liv.lib.39.Mollitia *hostium, regiisque opibus ditiores*. *Planitia*, Caesar lib.1.de Bello civil. cap.43. *Erat inter Oppidum* Ilerdam,*&* *proximum collem* planitia. Idem lib.4.de Bellô Alexandrinô. cap. 28. Planitia *ex omnibus partibus subjecta*. *Prosapia*, Plautus in Mercatore Act.3.Sc.4.v.49.

Rogitares, quis esset, aut unde esset, quâ prosapiâ.

Cato lib. 1. Originum: *Veteres* Prosapias. Quod imitatus Sallustius in Jugurthâ: *Hominem veteris* Prosapiae. & Apulejus Apologiâ 1. *Omnes illae veteres* Prosapiae. *Anchisa*, *Acesta*, *Chrysa*, *Atrida*. Naevius lib.3.Belli Punici: *At postquam avim de Templô* Anchisa *spexit*. Virgilius Aeneid. 4.v.351. & 427. *Patris* Anchisae. Idem lib5. v. 106. *&* *clari nomen* Acestae. Propertius lib.2.eleg.14.v.1.

Non ita Dardaniô gavisus Atrida *Triumpho est*.

IS tertii Ordinis etiam exibant in EN neutrô Genere, ut *Sanguis*, *Sanguen*; vel in US, aut Jus secundô Ordine, ut *Gracilus*, cujus Foemininum protulit Lucilius lib.8.Satyr.

Quòd

Quòd gracila *est, pernix, quod pectore purô,*
Quòd Puero *similis*.

Ter. in Evnuch. Act.2. sc.5.v.22. *Vincto pectore, ut* gracilae *fiunt. Hilarus*, idem in Adelphis Act.4.sc.7.v.38.

Hilarum, *ac lubentem te fac in Gnati nuptiis*.

Plaut.in Milite Act.4.sc.4.v.62.Hilarus *exit*, Et alibi saepè. *Imberbus*, Varro lib.5. de Action. scaenicis: Imberbi *Juvenes. Inermus*, Caecilius in Hymnide: *Nihil agit in amore* inermus. Sallust.in Jugurthâ: *Ab* inermis *pedibus auxilium petere*. Idem lib.1.Historiar. *Vos* inermos *retinet. Proclivus*, Plaut.in Milite Act.4.sc.2.v.27.

Fecisti modò mihi ex proclivô *palàm rem*,

Lucretius lib.6. v.728.

Et proclivus *item fiat minus impetus undis*,

Sterilus. Id.lib.2.v.844.

Et sonitu sterila, *&* *succô jejuna feruntur*,

Sublimus, Sallust.lib.3.Histor. Sublima *nebula caelum obscurabat. Articularius, Seculiarius*, Cato de Re Rust. *Verum morbum* articularium *nulla res tantum purgat*. Vlpianus ad Edictum 77. *Parenti licere deteriorem conditionem Liberorum in rebus* peculiariis *facere*, Pomponius ad Sabinum lib.7.leg.4.D.de Pecul. *Res tamen in caussa* peculiaria *manet. Vulgarius*: Afranius in Privigno: *Temeritatem repudio* vulgariam. Gellius lib.1.cap. 22. *Non in compitis tantum, neque in plebe* vulgariâ.

OR, & OS Terminationes indifferentes erant in multis, ut Color, *Colos*; Labor, *Labos*; Timor, *Timos*; Vapor, *&* *Vapos*, de quibus suprà diximus. Item OR, & US, ut Algor, *&* *Algus*. Plaut.in Rudente Act.2. sc.7.v.24. *Tu vel suda, vel peri* algu: Lucret.lib.3.v.732. *Morbis, alguque, fameque. Tripector*, & *Tripectores*, Idem lib.5.v.28.

Quidve tripectora *tergemini vis Geryonai*.

Versicolor, & *Versicolorius*. Vlpian.lib.22.ad Sabin. l.68. D.de leg.3. *Lanae appellatione* versicoloria *non* contineri.

US finita Nomina Graeca etiam in ON exibant

Grae-

Graecorum more, ut Architectus, & *Architecton*, Varro in Manio, & Plaut. in Amphitr. Prol. v. 45.

Deûm regnator architecton *omnibus.*

US, & UM finita secundi Ordinis plerumque etiam in Ens Tertio Ordine desinebant, ut Benevolus, *Benevolens.* Cicero Lib. 2. Rhetoricor. *Pietas, per quam sanguine Conjunctis, Patriaeque* benevolens *officium, & diligens tribuitur cultus.* Opulentum, Validum, *Opulens, Valens.* Sallust. in Jugurtha: *Erat inter ingentes solitudines Oppidum magnum, atque* valens. Id. ibidem: *Civitas magna, &* opulens. Cornelius Nepos de Viris illustribus: *Neque animo aequo Pauperes alienam* Opulentium *intuentur fortunam.* Svaviloquus, *Svaviloquens.* Lucretius Lib. 4. v. 20. seq. *Volui tibi* Svaviloquenti *Carmine* Nonnulla in EN finiebantur, abjecta ultima Syllaba, ut Fundamentum *Fundamen. Regimen*, Ennius; *Augmen*, *Momen*, Lucretius; *Munimen*, Virgilius Lib. 2. Georgicor. v. 352. *Effusos munimen ad imbres.*

Praetereà erant Veteribus in frequenti usu extremitates Nominum hodie quidem minùs usitatae, veluti in BILIS multa desinebant, ut *Aerumnabilis*, *Aversabilis*, *Naturabilis*, *Spirabilis*, Lucretius, & alii. *Genitabilis* Lucret. *) (mallem heîc legere, *Lucilius*) Lib. 1. Satyrar.

Aetheris, & Terrae genitabile *quaerere tempus.*

Disciplinabilis, *Opinabilis*, *Penetrabilis*, Cicero. *Sociabilis*, *Impetrabilis*, *Inexsuperabilis*, Livius.

Plurima exibant in NTIA, ut *Decentia*, *Audientia*, *Despicientia*, *Discrepantia*, *Cohaerentia*, *Curantia*, *Negantia*, *Profluentia*, *Repugnantia*, Cicero; Sallustius, *Properantia*; Attius, *Faventia*; Plautus *Incogitantia*, *Servientia*; Lucretius, *Repetentia*, *Pertinentia*, *Variantia*; Gellius, *Exsuperantia*, *Ignoscentia*, *Imparientia*. Lib. 1. cap. 13. *Culpa* Imparientiae, *& Poena indeprecabilis subeunda esset.*

OR, ut *Aegror*, *Amaror*, *Canor*, *Sonor*, Lucretius, & Vir-

Virgilius lib. 2. Georgic. vers. 247.

- - - *Sensu torquibit* amaror.

Nec pauciora efferebantur in TAS, ut *Famulitas, Solitas; Vicissitas, Squalitas, Dulcitas, Ponderitas,* Attius; *Luculentitas, Pulchritas Opulentitas, Indulcitas,* Caecilius; *Differitas, Maximitas,* Lucretius; *Faustitas,* Horatius; *Infortunitas,* Gellius lib. 6. cap. 1. *Felicitas, & Infortunitas, Sceleritas,* Martianus I.C. leg. 3. D. de Bonis eor. qui ante sent. *Non enim Facti* sceleritatem *esse obnoxiam*. *Malitas* Vlpianus lib. 2. ad Edictum leg. 5. D. de eo, quod met. caus. *Metum accipiendum,* Labeo *dicit, non quemlibet Timorem, sed Majoris* Malitatis. Item pleraque in Udo, quae nunc in *AS* desinunt, ut *Necessitudo, Claritudo, Sanctitudo, Celeritudo.*



CAPUT IX.

DE MUTATIS DECLINATIONIBUS, CASIBUS, ET GENERIBUS,

ORDINES quoque DECLINATIONUM Veteres mutabant, & maximè secundum, & quartum. Hinc *Adspectus, Exercitus, Fluctus, Fructus, Gemitus, Luctus, Ornatus, Partus, Senatus, Strepitus, Sumptus, Tumultus, Victus,* & pleraque alia, quae nunc quartâ tantùm Declinatione efferimus, Veteres etiam secundâ extulisse, *Nonius* multis testimoniis ostendit: Contra quarto Ordine, *Cibus, Lectus,* Plaut. in Captivis Act. 4. Sc. 2. v. 46.

Tantus ventri commeatus meo adest in portu Cibûs.

Idem in Amphitr. Act. 1. Sc. 3. v. 15

Prius abis, quàm Lectûs, *ubi cubuisti, concaluit locus.*

Domus, Humus, Plaut. in Milite Act. 2. Sc. 1. v. 48. *Ait se se Athenas fugere cupere ex hac* domu. Livius lib. 1. Domu *profugum*. Vlpianus: *Insula Injuncta* domui.

Varro

Varro in Taphemenippo: *In* humu *calceos facit elixos.* Virgil. Aeneid. 2. v. 380. *Pressit* humu *nitens*: quod Servius perperam censet esse Adverbium. *Somnus, Sonus.* Varro lib. 1. de Re Rustic. *Si non diffiderem meo insititio Somnu.* Sisenna lib. 3. Historiar. *Postquam in* sonu *Signorum proelium magno cum clamore virorum commissum est.* Sic *Succus* quoque, & *Susurrus.* Apulejus Lib. 9. *In amaram coenosi* succus *cariem exolescunt.* Idem Apolog. 2. *Tibia questu delectabilior, & fistula* susurru *jucundior.*

Similiter CASUS Nominum variabant, ut Genitivum singularem primae Declinationis efferebant per AS, Nominativo S Literam adjicientes, ut *Familiae, Familias*: Unde adhuc manet *Paterfamilias, & Materfamilias.* Sic *Escas, Monetas, Latonas*, Livius in Odyssea. *Terras, Fortunas*, Naevius in Bello Punico. *Curas*, Attius. *Tristitias, Vias*, Ennius, & Lucret. lib. 4. v. 973.

At reliquas tamen esse vias *in mente patentes.*

Auras, Virgil. lib. 11. Aeneid. v. 801. seq.

- - - - - *Nihil ipsa nec* aurâs,

Nec sonitûs memor. - - - - - -

Genitivus singularis secundi Ordinis eorum Nominium, quae ante US, vel UM, Syllabam habent I, per eandem Vocalem simplicem, non autem geminam, efferebatur, nec id in Versu tantùm metri caussa, ut Priscianus censet, sed etiam in soluta Oratione, ut *Annî, Arcadî, Statilî, Pecuarî*, apud Varronem de Re Rustica. *Septimî, Aurelî, Aelî, Cassî* in antiquis Inscriptionibus. *Tugurî, Peculî, Patavî, Otî*, Virgilius. *Appî, Claudî, Numici, Terentî*, Horatius.

Genitivum pluralem secundi Ordinis per Contractionem mediae Syllabae proferebant non modò Poëtae, sed etiam Oratores, & Historici, ut *Nummûm, Denariûm, Sestertiûm, Jugerûm, Modiûm, Medimnûm, Senûm, Septenûm, Denûm, Tricenûm, Deûm, Fabrûm, Librûm*, Cicero. *Studiûm, Thesaurûm*, Sallustius. *Cadûm*,

 Varr.

Varro de Vita Pop. Rom. lib. 4. *Hortensius supra decem millia* cadûm *haeredi reliquit*. *Amphorûm*, *Duûm*, Lentulus in Epistolâ ad Senatum: *Quarum minor nulla erat duûm millium* amphorûm: de quô admonet Charisius, Amphorûm *dici cùm additur Numerus*, Amphorarum *per se*.

Dativum, & Ablativum pluralem *Diis*, *Equis*, *Filiis*, *Natis*, pro Deabus, Equabus, Filiabus, Natabus. Varro lib. 2. de Re Rusticâ: *Ut his Diis* Helicona, *atque* Olympum *attribuerunt homines*, Idem lib. 3. *Sed ex his* equis. Plautus in Sticho Act. 4. Sc. 1. v. 61.

Ego ibo intrò, atq; gratulabor vostrum adventum filiis.

Idem in Poenulô Act. 5. Sc. 3. v. 8. seq;

O mi here salve! Hanno, *insperatissime*

Mihi, tuisq; Filiis. Id. - - *Qui talis est de Natis suis*.

Genitivus singularis tertii Ordinis, in Nominibus *Graecis* praesertim propriis, IS mutabat in EI, ut *Achillei*, *Herculei*, Horat. lib. 1. Carmin. Od. 15. v. 34.

Matronisque Phrygum classis Achillei.

Catull. Carm. 55. v. 13. *Sed te quaerere jam* Herculei *labos est*. *Themistoclei*, *Theophanei*, Cic. ad Atticum. *Simonidei*, Ausonius in Commemor. Profess. Burdigal. 13. v. 6. *Concedit Cei Musa* Simonidei.

Vel etiam desinebat in I abjectâ S ultimâ Literâ, ut *Ogygi*, Varr. lib. 3. de Re Rust. *Quae ante cataclysmon* Ogygi *condita dicuntur*. *Herculi*, Idem lib. 7. de Lingua Lat. Herculi, *an Herculis clavam dici oporteret*. *Persi*, Sallust. lib. 1. Historiar. *Ad Bellum* Persi *Macedonicum*. Tacitus lib. 4. Annal. 55. *Per Bella* Persi. *Chremi*, Terent. in Andria Act. 2. Sc. 2. v. 31.

Puerum inde abiens conveni Chremi.

Agathocli, *Achilli*, *Herculi*, *Euripidi*, *Periphani*, *Sphingi*, Plautus. *Timarchidi*, Cic. in Verr. *In* Timarchidi *potestate*. *Aristoteli*, *Themistocli*, *Isocrati*, Idem. Virgilius lib. 1. Aeneid. v. 120. - - *Fortis Achati*. & v. 220. - - Acris Oronti. & v. 30. - - *Immitis Achilli*. & lib.

2.Aeneid.v.90. - - *Pellacis Ulyssi.* quod idem usurpat Gellius lib.5.cap.1.*Auditores illos* Vlyssi *labores suos illustrissimè narrantis.*

Item Genitivus Nominum Graecorum in O exibat in VS, ut *Didûs*, *Eratûs*, *Manthûs*, *Sapphûs*. Varro in Cosinotoryne:

Didûs, atque Aeneae misceri sanguine sanguen.

Virgilius lib.11.Aeneid.v.199.*Fatidicae Mantûs.* - -

Dativus singularis tertii Ordinis mutabat I in E, ut *Minore*, *Sene*. Varro lib. 1. de Re Rustic. *Facilius enim eis, quàm* minore *natu, sunt dicto audientes*. Idem in Admirandis: *Infria* sene *papaverem*. *Pede*, Virgilius lib. 10.Aeneid.v.361.

- - *Haeret* pede *pes, densusque viro vir.*

Funere, Morte, Propertius lib.1.eleg.17.v.21.

Illa meo caros donâsset funere *crines*.

Idem lib.3. eleg.6. v.24.

Si placet, insultet, LYGDAME, morte *meae*.

In Epitaphio Plauti; *Postquam est* morte *datus Plautus*. *Discrimine, Professione*, Vellejus Paterculus: Discrimine *vestro me subtraham*. Idem: *Quàm* professione *ejus, quâ semper usus erat, congruebat*. *Defensione, Exceptione*, Julianus Digestor.9.leg.39.§.1.D.de Nox.act. *Non enim offert se* defensione *alieni servi*. Id.ibidem §.2.*Cùm satisdatione doli mali* exceptione *locus erit*.

Accusativus in IM exibat, ut *Avim*, Naevius lib.3. Belli Punici: *At postquam* avim *de templô Anchisa spexit*. *Clavim*, Tibullus lib.2.eleg.4.v.31. - - *Hinc* clavim *janua sensit*. *Febrim*, Cicero ad Gallum: *Quòd* febrim *non haberem*. *Lentim*, Varro lib.2.de Poëmatis. *Strigilim*, Lucilius; *Praefractam strigilim*. *Turrim*, *Puppim*, *Restim*, *Securim*, Virgilius, & alii, quorum testimonia adfert Priscianus lib.7.

Ablativus in I, ut *Avi*, *Ovi*. Varro lib.7. de Lingu. Lat. *Vulgò alii dicunt in singulari hac* Ovi, *&* Avi, *alii ab hac Ove, & Ave*. *Absenti*, Plautus in Menaechmis

Act. 3. Scen. 2. vers.27.

Fecisti funus, absenti *me, prandio*.

Adfinitati, Venulejus : *Nisi ita conjunctus est* adfinitati. *Amni*, Virgil.lib.9.Aeneid.v.469.

Nam dextera cingitur amni.

Assi, Lucil. Assi *duas ficos*. *Civi*, Cicer. Orat.4.in Verrem:*Quod Siculis Civibus à* Givi *Romano Civis Romanus datur*.Id.ibid. *Quod Civis cum* Civi *ageret*. *Colli*, Lucretius lib.2.v.317.

Nam saepe in Colli *tondentes pabula laeta*.

Idem ibid.v.322.

Et veluti in viridi candor consistere colli.

Fusti, Plaut. in Captivis Act.4. Sc.2.v.116. Fusti *pectito*. Sallust.*Sorte ductos* fusti *necat*. Valer.Maxim.lib.6.cap.3. *Metellus Vxorem, quòd Vinum bibisset*, fusti *percussam interemit*. *Labi*,Lucret.lib.5.v.928.

Nec novitate cibi, nec labi *corporis ulla*.

Orbi, Id.ibid.v.75.

Pectora, terrarum qui in orbi *sancta tuetur*.

Cic. lib. 7. de Republicâ : Orbi *terrarum comprehensos*. Varro lib. 3. de Re Rusticâ: *Ex* orbi *ligneô*. *Parti*, *Posti*, Plaut.in Menaechmis Act.3.Sc.2.v.14.

Satur nunc loquitur de me, & de parti *mea*.

Ovidius lib.5.Metamorphos.v.120.

Raptaque de dextro robusta repagula posti.

Sordi, Lucretius lib.6.v.1269.

Visceribus coecis prope jam sordi*que sepultis*.

Sorti, Lucil. *Graecia Sulpicio* sorti *datur*. Plaut. in Casinâ Act.2.sc.4.v.27.

Specula in sorti *restat*.

Id.ibid. Act.2.sc.7.v.5.Sorti *sum victus*.

Contrà Ablativus in E, ut Mare, Plaut. in Cistellaria Act. 1. sc.1. v.16. - - *Tranquillô* mare.Id. in Milite Act.4.sc.7. v.26. *Nam si à* mare *abstinuissem*. *Familiare*, *Constante*, *Forte*, & similia, quae Charisius adnotavit.

Nominativus,& Accusativus Pluralis in IS,ut *Omnis*, Terent.

Terent.in Andria Act.5. sc.4. v.44. Omnis *nos gaudere*. Sallust.in Catil. Omnis *homines, qui student sese praestare*. *Fontis, Litis, Montis, Puppis, Restis, Navis, Vrbis*. Virg.lib.1.Georgic.v.25. - - - Vrbisnè *invisere, Caesar*. Et lib.5.Aeneid.v.29.

Quòque magis fessas optem dimittere navis.

Varro lib.7.de Ling.Lat.*In* Multitudinis *hae Puppis, Restis*; *& hae Puppes, Restes*. Id. ibid. *In* Accusandi *hos Montis, Fontis*; *hos Montes, Fontes*.

Genitivus Pluralis vel in UM, vel IUM, de quo ita Varro lib.7. de Ling. Lat. *Quòd in patriô Casu hoc genus dispariliter dicitur Civitatum, Parentum, Civitatium, Parentium*. *Cohortum*, Caesar lib.6.de Bell.Gallic. cap.2. *Duplicatôque earum* cohortum *numero*. *Mensum*, Ovidius lib.8.Metamorphos.v.500.

Et, quos sustinui, bis mensum *quinque labores*?

Paulus lib.30.ad Edictum leg.3. D. Quand. de pecul. act.*Sex* mensum *erit post mortem filii*. Vlpianus lib.31. ad Sabinum: *Pro modo temporis omnium* mensum. *Partum*, Ennius: *Jamque ferè quatuor* partum. Contrà *Fraudium, Laudium*, Cic. lib.3. de Officiis: *Qui fons est* fraudium, *maleficiorum*. Idem in 2. Philippica: *Mearum* laudium. *Locupletium*, Sallust.in Catilina: *Polliceri Tabulas novas, Proscriptionem* locupletium. Cicero lib.7. ad Atticum: *Nec moderatiorem, quàm Sulla, in pecuniis* locupletium. Id.in Paradox.6.*Proscriptiones* locupletium. *Voluntatium*, Id.in Laelio: *In quo est omnis vis Amicitiae*, Voluntatium, *Studiorum*. *Aestatium, Apium, Civitatium, Facultatium, Haereditatium, Parentium, Paludium, Principium, Quantitatium, Servitutium*, Jurisconsulti plurimis in locis.

Genitivum singularem quarti Ordinis producebant, Literâ I interjectâ, ut *Anuis*, Terent.in Heavtontimor. Act.2.sc.3. v.46. *Ejus* anuis *caussâ opinor*. *Domuis*, Varr. in Taphemenippô: *Perrexit in interiores partes* domuis. Etsi DOMVI quoque scriptum exstat generandi Casu,

pro *Domi* in veteribus Libris Ciceronis lib.3. de Officiis: *Esse* domui *suae cum Vxore*. Idem in Philippicis: Domui *suae*. Et in Tusculanis: Domui *alienae*. *Fructuis*, Varro lib. 1. de Re Rust. *Ejus enim salivam esse* fructuis *venenum*. *Senatuis*, *Sumtuis*, *Victuis*, *Rituis*, *Graduis*, *Partuis*, idem in Fragmentis dicit.

Rursus Dativum contrahebant, abjectâ ultimâ Literâ I, atque ita *Caesarem* in Analogicis Libris scribendum tradidisse auctor est Gellius lib.4. cap. 16. ut valde erraverit Priscianus, qui ait, *Poëtas hoc metri caussa facere*. *Casu*, *Consensu*, Caesar lib. 6. de Bello Gallic. 41. *Ne minimo quidem* casu. & lib.7.29. *Cujus* consensu *ne orbis quidem terrarum possit obsistere*. *Receptu*, *Magistratu*, Idem lib.3. de Bello Civil. 69. Receptu *suo timens*. Idem ibid. *Eodem*, *quo venerant*, receptu *sibi consulebant*. Et lib.1. de Bello Gallicô: *Qui summo* Magistratu *praeerat*. *Exercitu*, Id. ibid. 23. *Cùm* Exercitu *frumentum metiri oporteret*. *Impetu*, Plancus ad Ciceronem: *Quibus subito* impetu, *ac latrocinio Parricidarum resistat*. *Luxu*, Sallust. in Jugurtha: *Nec se* luxu, *neq; inertiae corrumpendum dedit*. Tacit. lib.3. Annal.30. *Copiaque*, *&* *affluentia* luxu *propior*. Id. ibid. 34. *Exponi suo* luxu, *cupidinibus alienis*. *Cruciatu*, idem lib.15. Annal.59. Cruciatu, *aut praemio cuncta pervia esse*. *Metu*, Virgil. lib.1. Aeneid. v.257. *Parce* metu *Cytherea*. *Concubitu*, *Victu*, Idem lib. 4. Georgic. v.198. Concubitu *indulgent*. *&* ibid. v.158. *Namque aliae* victu *invigilant*. *Nisu*, Sallust. in Jugurtha: *Quae dubia* nisu *videbantur*. *Vestitu*, Ter. in Adelph. Act.1. Sc.1. v.38. Vestitu *nimium indulges*. *Visu*, Lucr. lib.5. v.102.

Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu.

Genitivum singularem quinti Ordinis similem Nominativo, aut per II geminum efferebant, ut hujus *Dies*, vel Dii; hujus *Luxuries*, vel Luxurii; hujus *Facies*, vel Facii; hujus *Pernicii*, *Progenii*: Quae multis veterum auctorum testimoniis *Gellius* lib.9. cap. 14. probat. Quibus addi potest illud Pacuvii in Armorum judicio:

cio: Fides *sacratae jus perpetuò falleret.* Et Lucret. lib.4. v.1076.

- - - Rabies *unde illae haec germina surgunt.*

Interdum extremâ Literâ abjectâ similem Ablativo faciebant, ut *Acie*, *Die*, pro Aciei, Diei, Sallust.lib.1. Historiar. *Dubitavit* acie *pars*. Idem in Jugurtha: *Vix decima parte* die *reliqua*. Id.ibid. *Et jam* Die *Vesper aderat. Fide*, Plaut.in Aulularia Act.4.Sc.6.v.1.

Fide *censebam fidem multò maximam.*

Lucretius lib.1.v.401.seq.

Multaque praeterea tibi possum commemoranda
Argumenta Fide *dictis contendere nostris.*

Plancus ad Ciceronem: *Quo obside* Fide *illius, & Societatis in Republica administranda uterer.* Horat. lib. 3. Carmin.Od.7.v.4.*Constantis juvenem* Fide.Id.lib.2.Serm. Sat.3. v.95. *Commissa* Fide. Ovid. lib. 3. Metamorphos. v.341.

Prima Fide,*vocisquae ratae tentamina sumsit.*

Dativum singularem similiter absque I Literâ extremâ efferebant, ut huic *facie*, Lucil.lib.6.

Qui te diligit, aetati, facie*que tuae se*
Fautorem ostendat.

GENERA quoque Nominum pleraque erant ambigua, & duplicia, quae unus omnium diligentissimè persecutus est *Nonius*, à quo, qui volet, petat. Nos eadem repetere non putamus operae pretium, sed alia quaedam Veteribus usurpata referemus. *Deus* utroque Genere enunciabatur, ut apud *Graecos*, ὁ Θεὸς, καὶ ἡ Θεός. Ennius lib.1. Annal.

Respondit JUNO *Saturnia sancta* Deorum.

Virg.2. Aen.v.632.*Descendo,ac ducente* Deo; cùm VENEREM intelligeret.Calvus: *Pollentemque* Deum VENEREM. Similiter *Agnus*, *Lupus*, *Porcus*, & similia quibus sexui discernendo addebatur Mas, aut Foemina. Ennius lib.1. Annal.

Endo tuetur ibi Lupus Foemina.

Cato de Re Rustic. *Priusquam Porcum* Foeminam *immolabis*. In Lege Numae : ACNON FOEMINAM CAIDITO. *Quis, Quisquis, Quisquam* foeminino Genere usurpant Terentius, Plautus, & alii, ut: Quis *tu es Mulier*? Varro περὶ ἐξαγωγῆς: Quemnam *te esse dicam Feram*? Item *Amnis*, Plautus in Mercatore Act.5.sc.2. v.18. *Neque mihi ulla obsistet* amnis. Varro lib.3.de Re Rustica : *Ubi confluit altera* amnis. Idem lib. 1. Peripl. *Propter hos fluit* amnis, *quam olim* Albulam *dicunt vocitatam*. *Ales*, Id.lib.3.de Re Rustica : *Omnium* Alitum, quae *intra parietes villae solent pasci*. Catullus Carm. 61. v.19. seq. - - - *Bona cum* bonâ *Nubit* alite *Virgo*. *Canalis*, Varro lib.6. Rerum Divinar. Canales eas *dispescit*. Virgil.in Aetna.v.126.

Quod si diversas *emittat terra* canaleis.

Idem ibid.v.148.

Nec tamen in rigidas *exit contenta* canaleis.

Masculina *Alvus*, Plautus in Pseudolo Act.3.sc.2.v.34.

Cùm hasce herbas hujusmodi in suum alvum *congerunt*.

Columella de cultu Hortorum:

Florida cùm suboles materno *pullulat* alvo.

Rete, Plaut.in Rudente Act.4.sc.3.v.5.*Non vides proferre me* uvidum retem. Idem ibid.v.45. *Ubi demisi* retem, *atque hamum*. Varro lib. 3. de Re Rust. *Quibus cibus ministratur per* retem. &, *Tecta porticus fit* rete cannabinô.

Praeterea multa duûm Generum, & duplicis formae fuerunt, ut *Masculina*, & *Foeminina*, quae in US, & IO similiter Veteres dixerunt, *Accubitus Accubitio*, *Apparatus Apparatio*, *Abusus Abusio*, *Concessus Concessio*, *Consensus Consensio*, *Convictus Convictio*, *Discessus Discessio*, *Interitus Interitio*, *Invitatus Invitatio*, *Permissus Permissio*, apud Ciceronem. *Partus Partio*, *Tactus Tactio*, Plautus. *Raptus Raptio*, Terentius. *Adhaesus Adhaesio*, *Commutatus Commutatio*, *Conjectus Conjectio*, Lucretius. *Occasio Occasus*, Ennius apud Festum. *Conjunctio Conjunctus*

junctus, Papinianus lib. 7. Responsor. *Instructa* conjunctu *fuissent*.

Masculina, & Neutra, ut: *Denarius Denarium*, *Eventus Successus*, *Eventum Successum*. Cic. de Amicitia: *Moerere* hoc *ejus* Eventum. Idem ad Herennium: *Facilè ex aliorum* eventis possunt *suis rationibus consulere*. Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 788. seq.

Murmura pauca dedit, Successorumque *Minervae*
Indoluit.

Galerus Galerum, *Gladius Gladium*, *Lituus Lituum*: Varr. lib. 1. de Re Rust. *Latet* conditum *gladium*. Idem lib. 9. de Lingua Lat. *Quod dicitur à multis duobus modis*, hic Dupondius, *&* hoc Dupondium, *ut* hoc Gladium, *&* hic Gladius. Apulejus Apolog. 1. *Quod Pontificibus* galerum, *quod* lituum *Auguribus*. *Lectus Lectum*, Ulpian. lib. 20. ad Sabin. leg. Etsi 21. §. Lectum. D. de aur. & arg. legat. Lectum *planè* argenteum, *vel si quae alia supellex argentea fuit*, *Argenti appellatione non continetur*. *Nasus Nasum*, *Stimulus Stimulum*, Plautus. Rursus *Aevum Aevus*, Lucretius lib. 3. v. 604.

Non modò non omnem possit durare per Aevum.

Fretum Fretus, *Peccatum Peccatus*. Varro in Fundanio: *Qui est* Fretus *inter Rhegium*, *&* *Messanam*. Cic. Orat. 5. in Verrem: *Perangusto* fretu *divisa*. Id. *Nemo ita in* manifesto peccatu *tenebatur*. *Castellum Castellus*, *Mandatum Mandatus*, Jurisconsulti. Scaevola Digestor. 7. *Non* mandatu *mulieris dotem marito ejus dedit*.

Foeminina, & Neutra, *Alimonia*, *Alimonium*. Varr. lib. 1. de Re Rustic. cap. 8. *In partu*, *&* alimonio. Id. lib. 3. cap. 16. *E' Mellis* alimonio. Paul. lib. 2. Sententiarum. leg. Mutus 76. §. 1. D. de Jur. Dot. *Parenti praestet* alimonia. Et lib. 3. leg. 4. D. de Liber. agnosc. *Qui* alimonia *denegat*. *Obsidio Oblivio*, *Obsidium Oblivium*. Tacit. lib. 3. Historiar. 69. *Subierunt* obsidium *etiam foeminae*. Id. lib. 4. 28. Obsidium *Legionum urgebat*. Id. ibid. 9. *Eam sententiam modestissimus quisque silentio*, *deinde*

de oblivio,*trasmisit*. Horatius lib.2.Sermon.Sat.3.v.62.

Ducere sollicitae jucunda oblivia *vitae*.

Papyrus, & *Papyrum*. Plinius lib.13. Papyrum *ergo nascitur in paludibus* Aegypti. Ulpian.lib.24.ad Sabinum leg. 50. §. Chartis, D. de legat.3. *Chartis legatis*, *neque* papyrum *ad chartas paratum*, *neque chartae nondum perfectae continebuntur*. *Sutrina*, *Sutrinum*, Seneca ad Lucilium: *Non multum abfuit*, *quin* Sutrinum *quoque inventum à Sapientibus diceret*. *Testa*,*Testum*, & *Testu*. Cato de Re Rustic. *Focum*, *ubi coquas calfacito benè*, & testum. Id. ibid. *In focô caldô sub* testu *coquito leniter*. Ovid. lib.2.Fastor. v.645.

Ara fit: *huc ignem curto fert rustica* testu.

Idem lib.5.Fastor.v.510.

Et fumat testu *pressus uterque suo*.

Consortium, *Consortio*, Cic. lib.3. de Offic. *Dissolvatur necesse est omnis humana consortio*. Vellejus lib.2. *Ut &* Tribunitiae *potestatis* consortionem NERONI *constitueret*. Papinian.lib.11. Respons. l.96.§.Cum eodem.D. de solut. *Cum Debitor pretium Pignoris* consortioni *subjecerit*. *Crocum*, *Crocus*, Apulejus lib.10. Metamorphos. *Vino* crocus *diluta*. *Sertum*, *Serta*, Propert.lib.2. Eleg. 33.v.37.

Cum tua propendent demissae ad pocula sertae.

Symbolum, *Symbola*. Plautus in Epidico Act. 1. sc.2. v. 22.

Paratae jam sunt scapulis Symbolae.

Apulejus de Philosophia: *Eorum*, *quae pacta sunt* Symbola Tertullian. adversus Valentinianos: *Vt nautae ad* Symbolam *saepe exultant*.



CA-

CAPUT X.

DE PRONOMINIBUS.

PRONOMINA longè aliter protulerunt Vetustissimi, quàm Nos hodieque efferimus, ut *Ipsus* pro Ipse in Comoediis passim legitur. *Ips*, *Quips*, pro Is, Quis in Lege XII. Tabular. NEI JOVDICIVM FAXIT AVT QVIPS ENDO EO IM JOURE VINDICIT. Et *Ipsiptus*, & *Ipsipte*, vel *Ipsipti*, pro Ilipsus, & Illiipsi, Plaut.in Cistellaria Act.2.sc.3.v.58. Ipsipsus *est*: *Eho tu! quam vos igitur filiam*. Festus, *Ipsipti* Ipsi, neque alii. Glossarium, *Ipsipti*, *αὐτοί*. *Ollus*, pro Ille, apud Comicos, atque etiam Virgilium. *Em*, & *Im*, pro eum notant Festus, & Macrobius, Legumque Fragmenta retinent. Ennius:

Omnes corde Patrem praebent animoq; Parentum
Circumfusi im.

Terent. in Phormione Act.5. sc.ult. v.39.

Im *faxo tali immistum, ut hic nunc est infortunio*.

Cato in M.Coelium: *Si* em *percussi*. Ulpianus lib.29.ad Edictum: *Nulla ratione id* em *consequi posse*. *Hisce* Nominativus pluralis, pro *Hi*, Terent. in Eunucho Act. 2. sc.2.v.38. Hisce *hoc munere arbitrantur*. Plaut.in Milite Act.2.sc.4.v.21.

Non possunt mihi minaciis tuis hisce *oculi fodiri*.

Id. ibid. Act.2.sc.6.v.6. *Non hercle* hisce *homines*. Licinius Macer pro Tuscis: *Quos oportuit amissa constituere*, hisce *etiam relliquias averterunt*. *Hic*, *Haec*, *Istaec*, pro Hi, Hae, Iste, Plaut. in Menaechmis Act.5. sc.5.v.55.

Me hic *homines insanire praedicant!*

Id. in Rudente Act.1. sc.5. v.24.

Sed haec *pauperes sunt, inopesque Puellae*.

Idem in Persa Act. 4. sc. 3. v. 29. *Quid* istaec *narrant*. Terent.in Andria Act. 4. sc.1. v. 32. Haec *Nuptiae non appa-*

apparabantur mihi. Idem in Eunucho Act.3.sc.5. v.34. *Continuò* haec *adornant*: Et in Hecyra Act.4. sc.2. v.17.

- - *Nihil* jam *mi* istaec *res voluptatis ferunt.*

Idem, & *Isdem*, pro Iidem, & Iisdem, Virg. lib.2. Aeneid. v.654. *Et sedibus haeret in* isdem, quam Scripturam vulgò in usu fuisse testatur Charisius lib.1. *Is homo*, inquit, Idem *compositum facit*, *nisi quia* Caesar lib.2. singulariter IDEM, pluraliter IIDEM *dicendum existimat*, *sed consuetudo hoc non servat*. *Hibus*, pro His, Plaut. in Curculione teste Charisiô. *Ibus*, pro Iis, Idem in Milite Act.1. sc.1. v.74. *Latrones*, ibus *dinumerem stipendium*. *Mis*, *Tis*, pro Mei, Tui, Ennius lib.2. Annal.

Ingens cura mis *cum concordibus aequiparare.*

Plaut. in Poenulô Act.5. sc.4. v.16. *Rebus* mis *agundis*. & in Pseudolô Act.1. sc.1. v.4.

Mei te rogandi, *&* tis *respondendi mihi.*

Mi' pro Mihi frequenter usurpant Poëtae, sed & Varro lib.2. de Re Rustic: *Quùm mi' esset dicta*. Idem ibid. *Veni* mi' *advocatus*. *Mehe* prò Me apud antiquos, Tragoediarum praecipuè Scriptores in veteribus Libris, inveniri testatur Quintilianus. *Mepte*, Plaut. in Menaech. Act.5. sc.8. v.10.

Mepte *potius fieri servum*, *quàm te unquam emittam manu.*

Eae, *Illae*, *Istae*, Genitivi, & Dativi foeminini, ut Nominum *Aliae*, *Alterae*, *Neutrae*, *Unae*, *Ullae*. Terent. in Heauton. Act. 2. sc. 3. v. 30. *Hoc ipsa in itinere* alterae *Dum narrat*. Cato de Re Rustic. *Simillimum genus terrae* eae. Idem ibid. Illae *rei habeto*. & alibi: *Qui tantisper*, nullae *rei sies*, *dum nil agis*. Plaut. in Milite Act.3. sc.1. vers.207.

Studiosus rei nullae aliae *est*, *improbus*.

Sis, *Sos*, & *Sas*, pro Suis, Suos, & Suas, Ennius apud Festum, & ab illô mutuatus Lucretius lib.3. v.1038.

Lumina sis *oculis etiam bonus Ancus reliquit*.

CA-

CAPUT XI.

DE VERBIS.

VERBORUM extremitates variae, atque ancipites in veterum Auctorum Libris occurrunt. Et alia quidem Patiendi habent TERMINATIONEM locô *Agendi*, ut inter alia à Grammaticis notata, *Comperior*. Sallust. in Jugurthâ: *Sed ego* comperior BOCCHUM *magis Punicâ fide*. Tacitus lib. 4. Historiar. *Gravem, & sapientem Virum fuisse comperior*. Apulejus Apolog. 1. *Ibi ego* comperior *omnes Judices tanto Poëtae adsurrexisse*. *Fruticor*, Cicero lib. 15. ad Atticum. *Excisa enim est arbor, non evulsa; Itaque quàm* fruticetur, *vides*. *Praesagior*, Plaut. in Bacchidibus Act. 4. sc. 4. v. 28.

Animus jam istoc dictâ plus praesagitur *mali*.

Rursus alia in *Agendi* pro *Patiendi* extremitatem desinunt, ut *Auspico*, *Aucupo*, *Auguro*, *Assentio*, *Amplexo*, *Commento*, *Commoro*, *Consulo*, *Contemplo*, *Crimino*, *Cuncto*, *Digno*, *Epulo*, *Exsecro*, *Fabulo*, *Imito*, *Indipisco*, *Laeto*, *Luctio*, *Luxurio*, *Medito*, *Miro*, *Molio*, *Opino*, *Opitulo*, *Osculo*, *Perscruto*, *Polliceo*, *Proficisco*, *Rixo*, *Scruto*, *Sortio*, *Suspico*, *Testo*, *Tumultuo*, *Tuto*, *Vocifero*, *Ulcisco*, *Venero*, quorum omnium exempla, atque testimonia recitant Grammatici, & Plautus suppeditat. *Comminisco* utitur Apulejus lib. 4. Metamorphos. *Eô volente comminiscimus*. *Demolio*, Varro de Poëtis: *Et tamen non* demolio *astra*. Alphenus lib. 2. Digestor. leg. 43. §. Cum parietem. D. de Damn. infect. *Priusquam veterem* demoliret, *damni infecti Vicino repromisit*. Ulpianus lib. 6. Opinionum. leg. 51. D. ad leg. Aquil. *Qui domum alienam invito Domino demolit*. *Nasco*, *Uto*; Cato de Re Rusticâ: *Ubi germen* nascere *coeperit*. Id. ibid. *Postea id* utito. *Reverto*, Tacitus lib. 3. Historiar. 56. *Romam* revertit.

SIGNIFICATIONES Verborum itidem mutant, &

quae

quae *Patientia* vulgò sunt, *Agendi* vim pleraque habent, ut *Bellor*, *Nutrior*, & similia, quae Priscianus annotavit. *Multor*, *Punior*, Sveton. in August. cap. 21. *Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes graviore unquam multatus est poena*. Cic. lib. 1. Tusculanar. Quaest. *Multi inimicos etiam mortuos* puniuntur. Id. lib. 1. de Offic. *Neque ad ejus, qui* punitur *aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipubl. utilitatem referri*. Et Orat. Philippicâ 8. *Clarissimorum hominum crudelissimam* puniretur *necem*. *Sacrificor*, Varro lib. 2. de Re Rustic. *Ibi enim solent* sacrificari *lacte pro vinô*. Id. ibid. *Et ipsi pro se* sacrificarentur. Rursus alia, quae *Agendi* duntaxat significationem vulgò habent, *Patiendi* notione accepta inveniuntur, ut praeter, quae Priscianus observavit, *Comitor*, Lucretius lib. 1. v. 98.

- - *Posset claro* comitari *Hymenaeo*.

Conspicor, Plaut. in Epidicô Act. 1. sc. 1. v. 67.

Patrem prius se convenire non vult, neque conspicari. *Fateor*, *Loquor*, *Moror*. Cicer. in Orat. 2. Agraria; *Excipere nominatim agrum, qui publicus esse* fateatur. Coelius ad Ciceronem; *De damnatione frequenter* loqui *est coeptum*. Id. *Nec multum, ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis* moretur. *Interpretor*, Svetonius in Neron. *Verba supplicis* interpretata, *praetoriô Virô multandum pronunciante*. Paulus lib. 3. ad Sabinum. leg. 12. D. de Reg. Jur. *In Testamentis plenius voluntates testantium* interpretantur. *Stipulor*, Livius lib. 33. *Circumagi*, stipularique *irato Consuli*, *Tribuno inde Plebi*. Svetonius lib. 4. Praetoriorum: (relatus à Prisciano lib. 8. p. 793. & 18. p. 1164. Edit. Putsch.) *Laetoria* lex, *quae vetat minorem annis viginti quinque* stipulari. *Tueor*, Varro lib. 3. de Re Rustica: *Et in pace à Rusticis Romanis alebantur*, *& in Bello ab his* tuebantur. Julianus lib. 21. Digestor. leg. 7. pr. D. de Curat. Furios. *Consiliô*, *& operâ Curatoris* tueri *debet non solum Patrimonium*, *sed & corpus*, *& Salus Furiosi*. Vetus Inscriptio: PA-

REANT

REANT ERGO ET NOSCANT OMNES SENATUS ET POPULI ROMANI IMPERIUM DEORUM NUMINE ET MILITUM FORTITUDINE ET *TUERI* ET REGI. Similiter *Admetior*, *Arbitror*, *Complector*, *Demolior*, *Exsequor*, *Funeror*, *Mentior*, *Moderor*, *Moror*, *Populor*, Jurisconsulti in Libris Digestorum *Agendi* significatione utuntur.

GONJUGATIONUM quoque magna varietas, & inconstantia fuit, multaque duplici Conjugatione inflexa leguntur, ut PRIMA, & SECUNDA: ut, *Densare*, *Densêre*. Lucretius lib. 1. v. 396.

Nec tali ratione potest denserier *aër*.

Id. ibidem v. 648.

Nil prodesset enim calidum denserier *ignem*.

Virgil. lib. 1. Georgic. v. 418. seq.

- - *Juppiter humidus austris* Denset.

Idem lib. 12. Aeneid. v. 264.

- - *Vos unanimi* densete *catervas*.

Horat. lib. 1. Carm. Od. 28. v. 19.

Mixta Senum, ac Juvenum densentur *funera*.

PRIMA, & TERTIA, ut: *Lavare*, *Lavere*, Virg. lib. 10. Aeneid. v. 727. seq.

- - Lavit *improba teter Ora cruor*.

Lucretius lib. 5. v. 948.

- - *Proluvie larga* lavere *humida saxa*.

Sonare, *Sonere*. Id. lib. 3. v. 157.

Caligare oculos, sonere *aures*, *concidere artûs*.

Id. ibid. v. 886. *Scire licet non sincerum* sonere. - -

Tonare, *Tonere*: Varr. in Eumenid.

Tibi tympana non inani sonitu Matris Deûm tonimus.

Contrà, *Comere*, *Comare*, Terent. Heaut. Act. 2. sc. 2. v. 11.

Dum moliuntur, dum comantur annus est.

Dicere, *Dicare*, à quô retinemus *Dedicare*. Ennius, *Dico, qui hūc dicare cupit*. Plaut. in Curculione Act. 4. sc. 2. v. 26.

Haud in malè meditantem malè dicassis.

Domere, *Domare*, à quo Domitor, & Domator. Attius;

Olim

Olim quòd Viros domavi,*& segetis armatae manus.*
Tibullus lib.4. v.116.

Te duce, non aliàs conversus terga domator.

Fodere, Fodare, Ennius lib.7. Annal.

Illurici restant sicis , sibynisque fodantes.

Gerere,Gerare, unde manet, *Aggerare.*

PRIMA,& QVARTA, ut:*Artare,Artire,*Cato de Re Ruft.*Inter librum,& stirpem* artito. *Dementare,Dementire,* Lucret. lib.3.v.475.

- - Dementit *enim, deliraque fatur.*

Apulejus Apolog. 2. *Sese mea magia in amorem inductam* dementire. Tertullianus de Anima : *Nam & cùm* dementit *homo,* dementit *anima. Dolare,Dolire,* Varro in Agathone: *Coeloque* dolitus *artem ostentat Mentoris* ; *Impetrare,Impetrire,* Plautus in Asinar.Act.2.Sc.1.v.11. Impetritum, *inauguratum est. Obstare, Obstire,* Id. ibid. sc.4. v.45. *Ita Iracundia* obstit *oculis. Verberare,Verberire*, in Lege *Regia*: SI PARENTES PUER VERBERIT.

SECUNDA, & TERTIA,ut *Caveo,Cavo,*in illo Horatii lib.1.Epist.13. vers.ult. teste Serviô:

Vade,vale, cave,*ne titubes,Mandataque frangas.*

Ferveo, Fervo, Virgil. lib.4. Aeneid. v.567,

- - Jam *littora* fervere *flammis.*

Lucret.lib.2.v.41.

Fervere cùm videas, classem latèque vagari.

Fulgeo,Fulgo, Id.lib.5.v.1094.

Fulgere, *cùm* coeli *donavit plaga vapores.*

Et lib.6.v.213.

Fulgit *item cùm rarescunt quoque nubila* coeli.

Indulgeo, Indulgo, Terent. in Adelph.Act.1.Sc.1.v.38.

Vestitu nimium indulgis.

Oleo,Olo, Plaut.in Mostellaria Act.1.Sc.1.v.41.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Obsideo *Obsido* , Possideo *Possido* . Sallust. in Catilinâ: *Occultè pontem* obsidunt.Lucretius lib.4.v.352.

Obsi-

Obsidit*que vias oculorum.* - - - }

Idem ibidem v.318.

Ater init oculos prior, & possidit *apertos.*

Rideo Irrideo, Rido Irrido. Id.Lib.3.v.22.

- - - *Largè diffuso lumine* ridit.

Brutus ad Cic. Irridunt *horum lacrumas . Scateo , Scato,* Lucret.lib.5.v.41.

Nunc etiam scatit, & *trepido terrore repleta est.*

Id.ib.v.597.

Largifluum fontem scatere, *atque erumpere flumen.*

Plaut. in Aulul. Act.3.Sc. 6. v.22. *Si vinô* scatit. *Teneo, Teno,Tetini,* Attius,& Pacuvius apud Nonium. *Tueor,* & *Contueor, Tuor* & *Contuor.* Terent. in Heavtont. Act. 2. Sc.4.v.23.*Qui intuitur nos.* Lucret.lib.4.v.38. sequ.

- - - - *In somnis , cùm saepe figuras*

Contuimur miras . - - -

Statius lib.1.Achil.v.131.

Namque modò infensos utero mihi contuor *enseis.*

Idem Lib.3.v.533.

Intuor. INACHII *sunt hi tibi, concipe, Reges.*

Id.ib.v.152.*Vestra tuor.Video,Vido,* auctore Priscianô.Rursus *Dico Diceo , Vivo Viveo , Claudo Claudeo* observarunt Grammatici. *Abnuo, Abnueo,* Ennius lib.8.Annal.

Certare abnueo, *metuo legionibus labem.*

Attero , Attereo , Tacitus lib.1.Historiar.10. *Mox* atteritis *opibus lubricô statu.* Tibullus lib.1.eleg.4.v.42.

Aut operi insuetas atteruisse *manus.*

Compono , Componeo , Cato de Re Rusticâ : *In acervom* componeto. *Congruo Congrueo, Fundo Fundeo.* Terent.in Heavtontim.Act.3.Sc.1.v.91.

Ne nos inter nos congruere *sentiant.*

Idem in Adelph.Act.5.Sc.1.v.7.

Eho jam tu verba fundes.

Excello , Excelleo , Cic. de Oratore : *In Oratoribus verò Graecis quidem admirabile est , quantum inter omnes unus* excelleat. Et ibid. *Non quod sola ornent , sed* excel-

leant. Et in Laelio: *Quamvis licet* excelleas. *Strido*, *Strideo*, Lucanus lib.6.v.623.

Auribus incertum feralis strideat *umbra.*

Scabo, *Scabeo*, Lucilius:

Scaberat *ut porcus contritis arbore costis*.

TERTIA, & QUARTA, ut: *Cupere*, *Cupire.* Lucretius lib.1.v.71.seq.


- - - - - - - - *Confringere ut arcta*

Naturae primus portarum claustra cupiret.

Parere, *Parire*. Ennius in Epicharmô:

Ova parire *solet genus pennis condecoratum.*

Manilus Poëta apud Varronem: - - *Latona* parivit *Castô complexu* JOVIS. - - -



CAPUT XII.

DE TEMPORIBUS, ET MODIS.

TEMPORUM in Verbis Mutationes per singulos Conjugationum Ordines *Grammatici* accuratè tradiderunt, in quibus referendis non est operae pretium nos immorari. Illud unum leviter attigerunt, quod est observatione maximè dignum, Veteres aliquando Tempus Praeteritum à Praesenti formare, atque deducere, ut *Accedo*, *Decedo*, *Discedo*; *Accedi*, *Decedi*, *Discedi*. Varr. L.1. de Re Rustic. Discedimus *omnes*. Pompon. lib.1. Senatusconsultor. leg.ult. D. de Acq.Haered. *Quae ad haereditatem Patris* accederat. Paulus lib. 2. Decretor.leg.27.§.1.D.de legat.3. *Si sine liberis* decederit. *Cano*, *Canui*, Sallust.Lib.1. Histor. Jussu *Metilli cornicines* occanuêre. *Callesco*, *Callesci*, Cato in Oratione de Bellô Carthaginiensi: *Aures nobis* callescerunt *ad injurias*. *Clepo*, *Clepi*, Cic. lib.2.de Leg. 22. *Sacrum*, *sacrove commendatum qui* cleperit, *rapseritve*, paricida esto.

Con-

Consisto, Consisti. Ennius:

Consistere *amnes perennes, arbores vento vocant.*

Neglego, Neglegi. Aemil. Macer. lib. 16. Annal. *Omnium nostrum* neglegerit *auctoritatem*. Cic. Philip. 13. ex Epistolâ ANTONII: *Confugere* ALEXANDRIAM neglegistis. *Nexo, Nexi,* Propertius lib. 3. eleg. 8. vers. 37.

At tibi, quae nostro nexisti *retia lecto,*

Premo, Premi, Cato de Re Rust. *Ubi factores vestibus* preinerint. *Sino, Sini,* Terent. in Andriâ Act. 1. Scen. 2. vers. 17.

Dum tempus ad eam rem tulit, sini, *animum ut expleret suum.*

Confundo Confundi, Relinquo Relinqui, Rescindo Rescindi, Rumpo & Corrumpo, Rumpi & Corrumpi, in libris *Pandectarum* Juris aliquotiens scriptum exstat. *Tollo Tolli, Abstulo Abstuli.* Plaut. In frag. Parte 3. v. 60. *Aulas* abstulas. Ulpianus lib. 50. ad Sabinum leg. 13. §. si is. D. de Acceptil. *Acceptilationem aliquid egisse*, tollisseque *totam Obligationem.*

Similiter Tempus Futurũ à praesenti in Verbis Tertii, & Quarti Ordinis, ut *Dormio Dormibo, Largio Largibo,* Cato. *Expedio Expedibo, Reddo Reddibo.* Plaut. in Truculento Act. 1. Scen. 3. v. 60. *Ego* expedibo, *rem perdidi apud vos.* Id. in Menaechmis Act. 5. Sc. 7. v. 49. *Salvum tibi ita, ut mihi dedisti*, reddibo. *Esurio, Esuribo,* Pomponius in Augure: *Non* esuribis *diutiùs. Scio, Scibo,* Terent. in Eunucho. Act. 4. sc. 4. v. 59.

MODOS autem, quos appellant *Grammatici*, in multis Verbis aliter *Veteres* protulerunt, veluti Imperativum monosyllabum, appositâ E litterâ, ut *Dice, Duce, Face,* quae apud *Poëtas* passim leguntur.

Subjunctivum Verborum Tertiae Conjugationis per EM, vel per IM, ut *Attingem, Dicem,* Cato, & alii, teste Festô, & Quintiliano lib. 1. *Remittes,* pro Remittas, Terent. in Andriâ Act. 5. Sc. 1. v. 8. *Nam si cogites,* remittes *jam me onerare. Arcessit, Quaerit*, pro Arcessat, Quaerat.

rat. Plaut. in Menaechmis Act.5.Sc.2. v.13. *Quid velit, quidve* arcessit. Id. in Aulularia Act.1.Scen.2.v.13. *Quòd quispiam ignem* quaerit. *Edim*, pro Edam, Id. Plaut. in Poenulô Act.3.Sc.1.v.34.

Est domi, *quod* edimus; *ne nos tam contemtim conteras*.

Id.in Trinummô Act.2. Sc.4. v.73. - - *At pol ego, etsi votet*, edim. Et alibi frequenter. Cato de Re Rust. *Quod volet sibi*, *postea* edit. Id. ibid. *Sed si poterit solam brassicam esse*, edit. Cic. ad Paetum: *Ne ego*, *te jacente*, *bona tua comedim*.Hor.Epod.Od.3.v.3.

Edit *cicutis allium nocentius*.

Id.lib.2.Serm.Sat.8.v.90.*Quam si cum lumbis quis* edit.

Praeterea Indicativi Modi Imperfecta per contractionem, & diminutionem mediae Syllabae in Verbis, quae in IO desinunt, ut *Custodibam*, *Gestibam*, pro Custodiebam,Gestiebam. Catullus Carm.64.v.319.Custodibant *calathisci*. Plaut.in Asin.Act.2.sc.2.v.49. *Scapulae* gestibant *mihi*.*Lenibam*,*Nutribam*, Virg.*Saevibam*, *Scibam*,Lucr. & Terent.in Prologô Hecyrae v.16.*Quia* scibam *dubiam fortunam esse scenicam*. Id. in Andriâ Act.1. sc.1. v.11. *Propterea quod* servibas *liberaliter*.

Et Perfecta alia, ut *Dixti*, *Sensti*, pro Dixisti, Sensisti, *Revixti*,*Praescripsti*.Ennius lib.1.Annal.*In Roma*,*Troja*, revixti. Terent.in Andriâ Act. 1. sc. 1. v. 124.

Tute ipse iis rebus finem praescripsti.

Item Infinitivi Modi Praeterita, ut *Abstraxe* pro Abstraxisse, Lucret. *Cesse*, *Cresse*, Id.lib.1.v.1104.seq.

Nam quacunque prius de parti corpora cesse.
Constitues. - - - Et lib.3.v.683.
Cum membris videatur in ipso sanguine cresse.

Cic.Lib.15.ad Attic. *Non videmur* cesse *victori*. *Divisse*, Divisisse, Horatius lib.2.Serm.Sat.3.v.169.

Antiquo censu natis divisse duobus.

Indixe, *Produxe*, *Subduxe*. Terent. in Adelphis Act. 4. sc.2.v.21.seq.

Non

Non tu eum rus hinc modò produxè *ajebas?*

Varro in Satyrâ de Mysteriis: *Tum portitores aera* indixe. Id. lib. 2. de Re Rustica: *Quem sibi Thyestem* subduxe *queritur*. Promisse, Sumse, Consumse, pro Promisisse, Sumsisse, Consumsisse. Catull. Carm. 108. v. 5.

Aut facere ingenuae est, aut non promisse *pudicae.*

Naevius in Triphalô: *Argentum amoris caussa* sumse *mutuum*. Lucretius lib. 1. v. 234.

Infinita aetas consumse, *anteacta diesque.*



CAPUT XIII.

DE ADVERBIIS.

ADVERBIA pleraque bifariam, & promiscuè efferuntur à Veteribus, ut *Herè* Heri, *Vesperè* Vesperi, *Peregrè* Peregri, *Praefiscinè* Praefiscini, quô utitur Apulejus lib. 3. Floridorum, & Horat. lib. 2. Serm. Sat. 8. v. 2.

Nam mihi convivam quaerenti dictus herè *illic.*

Terent. in Hecyrâ Act. 2. sc. 1. v. 40. Herè *nemo voluit*. Plaut. in Pseudolô Act. 1. sc. 2. v. 15. *Atque* herè *ante dixeram omnibus*. & aliis multis locis. Idem in Amphitruone Act. 1. sc. 1. v. 205. Peregrè me *advenientem*. Et in Persa Act. 1. sc. 1. v. 30. *Quia herus* peregri *est*. *Commodè*, & Commodô, *Cotidiè* Cotidiò, *Falsè* Falsò, quorum Exempla exstant apud Charisium. *Arcanè* & Arcanò, *Exiguè* Exiguò, *Proximè* Proximò, *Tutissimè* & Tutissimò. Caesar lib. 1. cap. 19. de Bellô Civili: *Domitius* arcanò *cùm paucis Familiaribus suis colloquitur*. Cic. lib. 4. ad Atticum: Proximò a. *d. 6. Cal. Octobris*. Id. ibid. lib. 8. *Ubi* tutissimò *essent*. & lib. 16. *Legi* arcanò *Convivis tuis*. *Amplè* & Ampliter, *Durè* Duriter, *Longè* Longiter, *Probè* Probiter, & alia id genus multa, quae *Grammatici* annotarunt. *Avarè* Avariter, *Avidè* Aviditer. Plaut.

in Curcul.Act.1.scen.2.vers.35.

Ingurgitat impura in se merum avariter.

Arnobius lib.5: *Invasisse* aviditer. *Inprimis*, & Inprimò. Varro lib. 6. de Linguâ Lat. *Hominis* inprimò *in Literis Latinis exercitati*. Gellius lib.16.cap.8. *Tum* inprimò περὶ ἀξιωμάτων *discendum*. *Promiscuè*, & *Protinus*, Promiscam, & Protinam, Ter.in Phormione Act.1. scen.4. v. 13. *Hinc me conjicerem* protinam *in pedes*. Varro in Caprinô Proeliô: *Coetera* promiscam *voluit communia haberi*. *Clarè* & Claritùs, *Communiter* Communitùs, *Publicè* Publicitus, apud Terent.& alios. *Cautè* & Cautim, *Disertè* Disertim, *Exquisite* Exquisitim, *Minutè* Minutim, aliaque talia Adverbia in *Tim* admodum familiaria erant Veteribus. Arctim, Cic. lib. 12. ad Atticum: *Nec* arctim *Pompejum teneri*. *Conjuratim*, *Perplexim*, Plautus. *Blanditim*, *Juxtim*, *Exultim*, Lucretius. *Propritim*, vel *propridtim*, Id. lib.2. v.974.

Quid? genus humanum propritim *de quibus auctum est.*

Arnobius lib. 3. *Usque adeò res exigit* propriatim DEOS *scire*. *Cessim*, *Recessim*, Plaut.in Casinâ Act. 2. sc.8.v.7.

Imitabor nepam, recessim *dabo me ad parietem.*

Varro in Sesquiulysse - - *Cùm domum ab Ilio* cessim *revertero*. Justinus Lib.2. cap.12. *Vos commisso praelio, ite* cessim. Alfenus JC. Lib. 2. Digest.leg.53. D.ad leg. Aquil. *Interim superius plostrum* cessim *ire coepit*. *Illim*, *Istim*, pro Illinc Istinc retinent antiqui Libri Lucretii, & Ciceronis, cùm aliis pluribus locis; tùm epistola ad Valerium: *Qui* istim *nunc veniunt*. & ad Atticum lib.9. Illim *equidem Cn. profectum puto*. *Magis*, Mage, quô praeter *Lucretium*, & *Virgilium* etiam Cic.in Verrem utitur: Mage *condemnatum hominem in judicium adducere non posse*. *Nenu*, pro Non, Lucilius, & Varro apud Nonium, & Lucret.Lib.3.v.200.& lib.4.v.716.

Nenu *queunt rapidi contra constare leones.*

Postea, & Postilla, Terentius, & Plautus crebrò usurpant.

Cato

Cato in Originibus, *Saepequae* postilla *operam Reipublicae fortem, atque strenuam perhibuit. Primò*, & Primùm, *Postremò* Postremùm, *Tertiò* Tertiùm, *Quartò*, Quartùm, Veteres promiscuè, & indifferenter dixisse ostendimus lib.4. de Differentiis Verborum.

Praeter haec fuerunt in usu ADVERBIA, quae fiunt ab *Auferendi* Casu in utrôque Numerô, ut *Anniversario, Cotidiano*. Cic. lib.5. ad Atticum: *Cum Anatociis* anniversariò, id est, annuatim, annô vertente. Id. lib.6. de Republicâ: Cotidianò *in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent.* Plautus in Captivis Act.3. sc.5. v.67.

Nisi cotidianò sesquiopus *confeceris.*

Annò pro Pridem, & *Hornò*, id est, Hôc annô. Lucilius lib. 27. Satyrar. *Utrum* annò, *an* hornò *te abstulerit à viro.* Plaut. in Amphitr. prol. v.91. seq.

Etiam Histriones annò *cùm in proscenio hìc* JOVEM *invocarunt, venit. Hesterno, Posterò, Hibernò, Matutinò.* Tacitus lib.4. Annal.45. *Idemque cùm* posterò *ad Quaestionem traheretur.* Et lib.15.57. Posterò *cùm ad eosdem cruciatus retraheretur.* Venulejus JC. *Eum, qui* hibernò *habuerit fundum.* Apulejus lib.9. Metamorphos. Matutinò *me multis oleribus onustam proximam civitatem decere consueverat Dominus. Numerò*, id est, Citò, Celeriter, apud *Comicos* passim legitur. *Compactò*, Afranius in Emancipatô: *Te facere* compactò *omnia*: quod Plautus in Captivis Act. 3. sc. 1. v. 24. *Rem* de compacto *geri. Fortuitu*, Idem in Aulularia Act.2. sc.1. v.41.

Si eam senex anum praegnantem fortuitu *fecerit.*

Noctu, Diu, Lucu, vel *Luci*, propter affinitatem Literarum I, & U, Plautus in Fragm. part.3. v.17.

Nec noctu, *nec*diu *quietus unquam eam.*

Sallust. lib.1. Hist. Noctu, diu*que stationes, & vigilias tentare.* Terentius in Adelphis Act.5. Sc.3. v.55. *Cum primo* luci. Plaut. in Amphitr. Act.1. sc.1. v.11.

Nonne idem hoc lucu *me mittere potuit?*


Idem in Mercatore. Act.2.sc.1.v.31.

Ad portum hinc abii manè cum luci *simul.*

Alternis, *Multimodis*, *Omnimodis*, Lucretius. *Gratis*, *Ingratis*, vel *Gratiis*,& *Ingratiis*, ut *Invitis* Adverbium, observat Charisius. Plautus in Asinar.prol.v.5. *Cave modò ne* gratiis, &c. Et in Casinâ Act.2.sc.5.v.7.

Vobis invitis, atque amborum ingratiis.

Terent. in Eunuch. Act.2. sc.1. v. 14. *Ingratiis ut dormiam.* Id. in Phormione Act.3. sc.2. v.15. *Meam ductes* gratiis. Cicero Orat.6. in Verrem: *Reticebunt*, *quae poterunt libenter*, *dicent*, *quae necesse erit* ingratiis. Idem pro Quintio: *Extorquendum est invito, atque* ingratiis; id est, illibenter, gravatè, & contra voluntatem.



CAPUT XIV.

DE PRAEPOSITIONIBUS.

FUERUNT Veteribus in usu *Praepositiones*, quae jam exsoleverunt *Am*, & *Vls*, cujus vicem *Pomponius* leg. 2. §. Constituti. D. de Orig. Jur. usurpat *Vltis*: *Quinque Viri* (inquiens) *constituti sunt cis Tiberim*, & ultis *Tiberim*. *Am* vero servit Loquelis, sive Verbis, non Casibus, ut *Amplector*, *Amputo*, *Anquiro*. Unde inter eas Praepositiones, quas *Probus*, *Diomedes*, aliique veteres Grammatici *Loquelares* appellant, refertur à *Charisio*, & *Festo* his verbis: AM, *Praepositio loquelaris*, *significat* Circum.

Praeterea solent Veteres interdum *Praepositiones* geminare, ita ut in unam Dictionem coëant, & coalescant; veluti, *Insuper*, *Desuper*, & quae minus usitata, *Exante*, *Inante*, *Postante*, id est, post alia facta, quomodo *Graeci* dicunt ἐμπροσθεν. Varro lib. 5. de Linguâ Lat. *Postante* conventionem habeat. Propertius lib. 2. eleg.3.v.41.seq.

Si

Si quis vult formâ tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat inante *meam.*

Apulejus lib.1. Matamorphos. *Proxime* exante *Poecilen portieum*. *Exadvorsum*, Cato de Re Rust. & Terent. in Phorm. Act.1. Sc.2. v.38.seq.

- - Exadvorsum *ilico Tonstrina erat quaedam.*

Circumcirca, *Circumsecus*, idest, in ambitum, & in orbem. Plautus in Aulularia Act.3.Sc.4.v.8.seq.

Occoepit ibi scalpturire ungulis circumcirca.

Apulejus lib.5. *Coloni quique* circumsecus *venantur*. & lib. 11. Circumsecus *variegatum*. *Praeterpropter*, pro Praeterquam propter, sive propter aliam causam, quàm propter eam, de qua loquimur. Ennius in Iphigeniâ:

- - Praeterpropter *vitam vivitur.*

id est, propter aliam caussam vivitur, quàm ut vivatur, utputa, propter voluptatem, vel Gloriam.

Aliquando PRAEPOSITIONES *separatae* in Oratione conjunguntur, & nihilominùs *Dictionis vim* servant. In quo sanè errat *Priscianus*, qui tradit, PRAEPOSITIONES, quotiens Casu carentibus apponuntur, *Dictionis vim* semper amittere. Sic *In ante*, *Ex ante*. Varro lib. 3. de Re Rust. Ex ante *diem 7.Id. Febr.* & Ex ante *diem 3. Id.Sextil.* Cicero lib.1. ad Atticum: In ante *diem 15. Cal.Novembr.distulit.* Et lib.3.Ex ante *diem Non. Junii usque ad pridie Cal. Septembr.* Livius lib. 35. *Supplicatio pro concione populi indicta est* ex ante *diem 5. Id. Octobr.* *E circa*, Id.lib.21. *Extemplo* è circa *Praetorem ad Civitatem missi Legati*, id est, ex iis, qui circum Praetorem erant. *In coram*, Apulejus lib.10. *Quae mecum* in coram *publicam populi caveam frequentaret.*

Sed *Versus*, & *Usque* aliis Praepositionibus conjuncta transeunt in Adverbia, ut, *Versus* cum *Ab*, *Ad*, & *In*. Varro lib.1. de Re Rustica: *Ridica vitis ab Septentrione* versus *tegatur*. Caesar lib. 6. de Bellô Gallicô cap. 32. *Cum Legionibus tribus ad Oceanum* versus. Sallust. in Catilinâ: *Modò in* Urbem, *modò in* GALLIAM versus.

Cice-

Cicero de Amicitiâ: *Atque is primum instituit in forum versus agere cum populô*. *Usque* cum *Ab*, *Ad*, Ex, & *Sub*. Virgilius lib. 7. Aeneid. v. 289.

- - - *Siculo prospexit* ab usque *Pachyno*.

Idem Eclog. 5. v. 43.

Hinc usque *ad sidera notus*. & lib. 1. Georg. v. 478.

Usque sub *obscurum noctis*. - - -

Terent. in Eunuch. Act. 3. sc. 2. v. 18.

Ex Aethiopiâ est usque haec.

Cic. pro Flacco: *Non accepit à suis Civibus, sed* ab TMOLO usque *petivit*.



CAPUT XV.

DE COMPOSITIONE VOCUM.

IN *Compositione Vocabulorum* nimiò plus sibi indulserunt Veteres, maximè Poëtae, è quibus nos pauca quaedam Vulgo minus nota referemus. Ex tribus Dictionibus Nomina componere, quamvis Latinae Linguae nō cōcedat *Quintilianus*, tamen fecit Lucilius *Hippocampelephantocamelus*, ex istis tribus Vocibus. *Hippocampus*, *Elephantus*, *Camelus*: *Viticapiferae*, Varro in Satyr. Magnum talentum: *Detotonderat forcipibus viticapiferis*; quasi Vitia capere ferre. *Quassagipenniae*, quae quassis aguntur pennis, Idem *Sexagesi*: *Nec quassagipennas Anates, tremipedas*: *Scytosagittipelliger* cognomen HERCULIS, quòd Scutum, Sagittas, & Pellem gestaret, Tertullianus de Palliô. *Trisaeclisenex*, & *Dulcioriloquus*, de NESTORE Naevius in Alcesti; quae ut nimium Poëtica notat *Gellius* lib. 19. N. A. cap. 7.

Ex Latinô, & Graecô, ut *Antelogium*, Plautus in Maenaechm. Prol. v. 13. *Huic argumento* antelogium *hoc fuit*: *Dentarpagae*, Varro in Cyniciatris: *Hic bipensiles forci-*

forcipes dentarpagae. *Signosiae*, Idem in Eumenidibus: *Imponeret aedilis* signosiae. *Flexibulae*, *Vimarcus*, Idem in *Satyrarum* inscriptionibus. Contra *Epitogium*. *Anticato*, Titulus Librorum Julii Caesaris, quos scripsit contra *Ciceronis* laudationem Catonis. *Archigubernus* apud Javolenum JC. in leg. 46. pr. D. Ad S.C. Trebell. & *Mesonauta*, qui in Navi medium locum tenet, inter Gubernatores, & Remiges, ut inter Servos *Mediastinus*. Vlpianus lib. 14. ad Edictum leg. 1. §. Qui sunt igitur. D. Naut. Caup. Stab. *Non debet Exercitor Navis per Remigem, aut* Mesonautam *obligari*.

Ex Praepositione, & duobus Vocabulis est *Perterrefacio*; & quae Pacuvius durè struxit, *Incurvicervicum*, *Repandirostrum*.

Rursus ex duabus Praepositionibus, & unô Vocabulô multa junguntur, ut *Incompositus*, *Reconditus*, &, quô Cicero utitur; *Subabsurdum*. Sic *Adindo*, Cato de Re Rusticâ. *Coaddo*, *Coaccedo*, *Exobsecro*, Plautus. *Perinungo*; *Prodeambulo*; Terent. in Adelphis Act. 5. sc. 1. v. 4.

Prodeambulare huc libitum est - - - -

Varro lib. 2. de Re Rusticâ: *Eâdem re* perinungunt, & *tegunt rursus*. *Inconcupisco*, *Incognosco*, Apulejus lib. 3. Floridor. *Vt non minùs vobis amicitia mea capessenda sit; quàm mihi vestra* inconcupiscenda. Idem lib. 4. *Vt* incognoscere *more ingenii humani quisnam esset*. *Redadopto*, Modestin. lib. 2. Regular. leg. 41. D. de Adopt. *Filio dato in adoptionem, quem denuo* redadoptavit. *Superanteactus*, Lucretius lib. 3. v. 672.

Cùm superanteactam *aetatem meminisse nequimus*. *Transadigo*, Virgilius lib. 12. Aeneid. vers. 276.

Transadigit *costas*. - - -

Adverbium cum Verbô compositô jungere frequens est apud Comicos, ut *Introadmitto*, *Introhabeo*, *Introadspicio*. Terent. in Andriâ Act. 2. sc. 2. v. 28. *Accessi*, introadspexi. Idem in Hecyrâ Act. 3. Sc. 1. v. 49. *Here nemo voluit Sosiram introadmittere*.

Ex

Ex Praepositione, & Adverbio sunt *Derepente*, *Desubitò*, *Demagis*, quibus utuntur *Terentius*, *Lucretius*, & *Lucilius*, aliique. *Praeterquam*, *Extraquam*, Vox frequens in Legibus, & Edictis. *Adprimo*, *Abhinc*, *Dehinc*, quae sóla *Praepositionem* recipere *Charisius* perperàm censet.

Praeterea nonnulla Composita Verba, quae nunc contracta, vel leviter immutata efferimus, Veteres integra protulerunt, ut: Traduco, *Transducò*, in Libris *Digestorum* Juris. Trado, *Transdo*, Terent. in Prologo Phormionis. Exquiro, *Exquaero*, Plautus in Aulularia Act.4.Sc.10. v.70.

Intrò, exquaere, *sitne ita*, *ut ego praedico*.

Idem in Captivis Act.2. sc.2. v.43.


Eadem ego ex hoc, *quae volo*, exquaesivero.

Iniquius, *Inaequius*, Idem in Poenulo Act.3.sc.1.v.1.

Tardo amico nihil est quicquam inaequius.

Ancisum *Ancaesum*, Concisum *Concaesum*, & contrà *Distisum*, *Pertisum*, pro Distaesum, & Pertaesum, ut testatur Festus, & Cicero in Oratore n. 159. his verbis: *Concisum*, *non Concaesum*; *ex quò quidam* Pertisum *etiam volunt*, *quod eadem consuetudo non probavit*. Et ex contrario, quae nos *plenè* efferimus, illi contrahebant, ut: Transluceo, Transmitto, *Traluceo*, *Tramitto*, Lucretius. Transvolo *Travolo*, Transmeo *Trameo*, Plautus in Epidico Act.1. sc.1.v.33. Travolaverunt *ad hostes*. -- Et ibid. Act.3. sc.4. vers. 27. *Mihi illam ut* tramittas. Varro lib.4.de Lingua Lat. *Trua*, *quòd* travolat *per eam aqua*. Idem ibid. *Trama*, *quòd* trameat *filum*. Transfero, *Trafero*, Cicero ad Lentulum: *Caussam regiam aliò* traferebant. Idem ad Coelium: Traferri *Nomen à* Valerio *non potuisse*. *Escendo*, *Escensio*, pro Exscendo, & Exscensio, quo utitur Livius lib.37. Sallust. in Jugurthâ: *Non temerè uti escenderat*. Idem ibid. *Quibus allevati Milites facilius* escenderent. Et mox: *Pars equos* escendere. Varro lib.1.de Re Rust. *E' vinea in arbores* escendit

dit *vitis*. &, *In carnarium* escendit. Idem lib. 4. de Ling. Lat. *Unde* escendebant *ad infimam novam viam*. Livius lib. 35. *Consuli ad quadrigas mittendas* escendenti.



CAPUT XVI.

DE DISTRACTIONE, ET TRAJECTIONE VOCUM.

Dividuntur Voces Compositae, & quasi in partes secantur non apud *Poëtas* modò, sed etiam *Oratores*, & *Historicos*. Simplices autem Voces non distrahuntur, etsi Ennius τὸ *Cerebrum* distraxit lib. 5. Annal.

Transfigit corpus, saxo cere *comminuit* brum.

Quem nulli idonei Auctores imitari voluerunt. Et interdum quidem, Compositâ Voce divisâ, nihil ejus partibus interponitur, ut *Animum advorto*, Cato de Re Rustica, Terent. in Prologo Andriae, & Dolabella in Epistola ad Ciceronem. *Arefacio*, Lucret. lib. 6. v. 972.

Principiò terram Sol excoquit, & facit are.

Magno opere, Summo opere, Tanto opere. Licinius Macer lib. 1. Annal. *Non* minimo opere *Milites quietos volebant*. Cicero lib. 12. ad Atticum: *Res indicat*, quanto opere *id cupiam*. Svetonius in Caesare: *Quem incolumem* tanto opere *cuperent*. *Satis agere*. Cato de Consulatu suo: *Jam nostri apud vallum* satis agebant. Apulejus lib. 8. *Coloni multitudinem nostram latrones rati*, satis agentes *rerum suarum, eximièque trepidi*. Ulpianus lib. 23. ad Sabin. leg. 10. D. de Condit. & Demonstrat. *Non* satis egerit. Plaut. in Mercatore, per Μετάθεσιν, Act. 2. sc. 1. vers. 4.

Insomnis egi satis, *& fui homo exercitus*.

Pessumdo, pro Pessundo, Terent. in Phormione Act. 1. sc. 4.

sc.4. v. 5. *Me, aut Herum* pessum dabunt. Sallust.in Jugurtha: *Quae res plerumque magnas Civitates* pessum dedit. Tacitus l. 3. Annal. 66. *Quod multos etiam bonos* pessum dedit.

Frequentiùs autem partibus Vocis Compositæ Dictio aliqua, vel Particula interponitur, quod genus Τμήσεως familiare fuisse Lucilio denotat Ausonius Epist. 5. v.35. seq.

Rescissô Verbô, disces componere Versum;
LUCILI *Vatis sic imitator eris.*

Sic distrahuntur *Arefacio*, *Excandefacio*, *Fervefacio*. Varro de Re Rustic. Are *bos* facias. Idem ibidem: Excande *me* fecerunt. Cato de Re Rustic. Ferve *benè* facito. *Circumfundo*, *Circumventus*. Virgilius Aeneid. lib.1. v.412.

Et multum nebulae circum DEA fudit *amictu.*

Ulpianus ad Sabinum 34. leg.13. §.Si Mulier.D.de Jur. Dot. *Siquidem* circum *in hoc* venta *est*. *Depetigo*, *Dedicatus*. Lucil. lib.30.

Illuvies, scabies, oculos huic deque petigo
Conscendere. - - - Idem ibid.
Juratam se uni, cui sit data,deque dicata.

Detondo,Ennius lib.3.Annal.

De*que* totondit *Agros laetos, atque Oppida cepit.*

Lucrifacio, Cajus lib. 19. ad Edictum leg.29. D. de Relig.& Sumt.Funer. *Licet* lucri *dotem* faciat.*Maximopere*, Terentius in Eunucho Act.3.sc.3. v.26. seq.

THAIS maximô *te orabat* opere.

Pergratum, *Permolestum*, *Permagni*. Cicero lib. 1. ad Atticum: Per *mihi* per, *inquam*, gratum *feceris*. Idem lib.5. Per *mihi erit* gratum, *si id curaris ad me peferendum*. Et lib.10. Per *enim* magni *aestimo*. *Plebiscitum*, *Senatusconsultum*, Varro lib.3.de Vita Pop.Rom.Plebis*que* scito *cautum*. Idem Epistolicar. Quaest.4. Senatus*que* consultum *fieri duobus modis*. Quintilianus: *Nam rogationibus*, Plebisvè scitis *cauta sunt ista*. *Quapropter* Plau-

Plautus in Amphitr. Act.2. sc.2. v.183. Qua *istaec* propter *dicta dicantur mihi. Quilibet, Quicunque*, Sallust. in Catilina: Cujus *rei* libet *simulator*. Idem de Rep. ordinandâ: Cujus *rei* libet *periculum facere*. Terentius in Andr. Act.1.sc.5.v.29.

Quae *meo* cun*que animo lubitum est facere.*

Respublica, Plautus in Persa Act.1. sc.2.v.23.

Sed ut ego stultus, qui Rem *curo* publicam.

Cicero ad Atticum: Rem *verò* publicam *penitus amisimus*. *Septentrio*, Virgilius lib.3.Georg.v.381.

- - - - *Septem* subjecta *trioni*.

Supersum, Plautus in Curculione Act.1.sc.1.v.85.

Si quid super *illi* fuerit.

Tamenetsi. Idem in Casinâ Act.4.sc.2.v.16.

Qui amat, tamen *hercle* etsi *esurit, nihum esurit*.

Venundo, Sallust. lib.1. Historiar. *Quasi Cimbricam praedam* venum, *aut dono* datam. Livius: *Ignarus omnium se* venum *à Principibus* datos.

Quin etiam trajiciuntur Dictiones, Clausulaeque, & praeposterô ordine locantur: quod ubi accidit, Ἀναστροφὴν esse volunt *Grammatici*. Accidit autem in *Nominibus*, ut cùm *Cognomen* anteponitur NOMINI, veluti *Balbus Cornelius, Gallus Fabius*, apud Ciceronem ad Atticum. *Gallus Caninius*, in Epistola ad Coelium. *Macer Licinius*, lib.2. ad Q.Fratrem. *Papus Aemilius* in Laelio. *Antias Valerius, Cursor Papirius*, apud Livium.

Vel cùm P*raenomen* cum COGNOMINE conjungitur, ut *M. Cicero, C. Caesar, Cn. Magnus*, Varro lib. 4. de Vita Populi Rom. *Audivi dicentem Cn. Magnum*. Vellejus lib.2. *Filiam C. Caesaris Cn. Magnus duxit uxorem*.

Item trajiciuntur *Pronomina*, ut, *Qui Quae*. Varro Ὄνος λύρας: *Aut ille cervum*, qui *volabile currens*, pro ille, qui cervum. Tibullus lib.1.Eleg.5.v.47.

Vidi ego, qui Juvenem miseros lusisset amores.

pro *Juvenem*, qui. Ovidius lib.1.Amor.Eleg.6.v.58.

Quam face sustineo, tecta superba petam.

id

id est, face, quam sustineo.

Verba, ut *Sis vide*, pro Vide sis. Plautus in Aululariâ Act.1.sc.1.v.7. *Sis vide, ut incedit.*

Adverbia, ut *Nihilominus*. Coecilius in Hypobolimaeo: *Ego illud* minus nihilô *exigor portorium*. *Quoad*, Afranius in Promo: *Vt scire possis*, ad quo *te expediat loqui*. *Cùm*, Caesar lib.4. de Bell. Civil. cap. 35. *Diutius cùm nostrorum impetum ferre non possent*. Id. lib.1. de Bell. Civil. cap.26. *Diu cùm esset pugnatum.*

Praepositiones, ut Lucretius lib.4.v.314. *Ea* propter. Virgilius lib.1. Aeneid.v.13. *Italiam* contra. & ibid.v.29. *His accensa* super. & ibid. v. 32. *Maria omnia circum*. Item lib. 5. v.663. *Transtra* per, *&* *remos*. Horatius de Art.Poët.v.72. *Quem* penes. Sallustius: *Quos* inter. Varro: *Eum* apud. Cicero: *Memoriam* praeter; *Ponit ante*. Livius: *Omnibus ex*. Tacitus: *Eò* coram; *Templum* juxta; *Tiberim* contra; *Vrbem* extra; *Viam* propter.

Conjunctiones, ut *Autem* post alterum, aut tertium Orationis verbum apud *Plautum* frequentissimè. *Enim* initio Orationis pro Etenim, idem in Aululariâ Act. 3. sc.5.v.26. *Enim mihi quidem aequum est*. Et in Casinâ Act.5. sc.2. v.16. *Enim jam magis jam appropero*. Id. in Milite Act.4.sc.2.v.27. *Enim cognovi nunc*. Terentius in Hecyrâ Act.2.sc.1.v.41. *Enim lassam oppidò tum ajebant.* Cic. lib. 4. ad Atticum: *Macroni vix videor praestò esse; Enim auctionem*. Lucretius lib.2.v.524. *Etenim distantia cùm sit*. & lib.6. v.1275. *Enim praesens dolor exsuperabat*. Labeo lib.2. Pithanon. l.29. D. de prob. *Et hoc id est, quod Graeci dicere solent* ἐμπλάτει; *Enim potest hoc memoriâ non teneri*. Aliquando ponitur *Enim* tertio loco. Varro in Andabatis: *Minus aurum enim non praestringit oculos*. Cicero lib.12. ad Atticum: *Prusia cupit enim vendere*. Livius Lib. 36. *Eò quoque enim mittendos fore legatos*. *Ne*, Plautus in Pseudolô Act.1.sc.2.v.71. - - *Ne illi audeant id facere?* pro illinè. Terent. in Andriâ: *Ah ne tu omnia?* pro tune. Cicero ad Atticum: *Ego illud ne quidem*

dem contemnam, pro ne illud quidem. *Quamquam*, Salluſt. in Jugurtha: *Quae gravia quamquam*. Tacitus lib. 6. Annal. 30. *Haec mira quamquam*. *Que*, Copula alienô locô ſolet poni, ſed apud Poëtas tantùm. Plaut. in Captivis Act. 2. ſc. 2. v. 63.

*Eſt profectò Deus, qui, quae nos gerimus, audit*que, *& videt*.

Horat. Carm. lib. 2. Od. 19. verſ. 32.

*Ore pedes, tetigit*que *crura*.

Tibullus lib. 1. Eleg. 3. v. 56.

*Meſſallam terra dum ſequitur*que *mari*.

Sed, *Sed enim*, Virgilius lib. 1. Aeneid. v. 353.

Ipſa ſed *in ſomnis inhumati venit imago*.

& ibid. v. 19.

Progeniem ſed enim *Trojano à ſanguine duci*.

Item lib. 2. Æneid. v. 163. ſeq.

- - - - - - *Impius ex quô*

Tydides ſed enim, *ſcelerumque inventor Ulyſſes*.


Tamen, Plaut. in Amphitr. Act. 1. Sc. 1. v. 83.

Sed fugam in ſe tamen *nemo convertitur*.

Id. ib. Act. 1. Sc. 3. v. 44.

Me ames, me tuam abſentem tamen.

Atque haec quidem hactenus de ſingulis Dictionibus, in quibus antiquae Locutionis uſus cognoſcitur. Nam & exoletas Voces explicare non eſt noſtri inſtituti; & ſi quis eas noſſe deſiderat, à *Gloſſographis* petat licebit.



AUSONII POPMAE DE USU ANTIQUAE LOCUTIONIS LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

DE PARTIUM ORATIONIS INTER SE COMMUTATIONE.



EQUITUR, ut de antiquâ *Orationis* Structurâ, quae à communi loquendi consuetudine multùm dissidet, nunc quoque agamus. Sed quoniam *Grammatici* antiquarum Locutionum genera prolixè tradiderunt, ut ad illorum copiam vix aliquid addi posse videatur, ideo nolumus in hoc loco diu immorari. Partes Orationis saepe confundunt Auctores, atque alias pro aliis usurpant, quam Commutationem *Graeci* vocant Ἀντιμερίαν.

Sic *Nomen* locô ADVERBII, ut *Aliquid*, pro Aliquantulum, Terent. in Andr. Act. 2. Sc. 6. v. 16. *Subtristis visus est esse* aliquid. Cic. pro Dejotarô: *Non enim jam metuo, ne tu illi succenseas; illud vereor, ne illum tibi succensere* aliquid *suspicere. Nullus*, pro Non, Plautus aliquotiens, & Terent. in Eunuchô Act. 2. Sc. 1. v. 10. *Tametsi* nullus *moneas*. Id. in Hecyrâ Act. 1. sc. 2. v. 4. Nullus *dixeris*. Cic. ad Atticum lib. 11. *Philotimus non modo* nullus *venit*. Et lib. 15. *Sextus ab armis* nullus *discedit. Multa*, pro Multùm, ut, Multa *peccare*. Cic. in Topicis: *Cùm mihi, meisque*

que multa *saepe cavisses*. Et ad Appium: *Multa nos quidem questi sumus*. Caecinna Ciceroni; *Multa Deos venerati*. Virgil.lib.4.Georgic.v.300.seq.

- - - - - *Et spiritus oris*
Multa reluctanti obsuitur. - - - -

Item *Adjectivum* in utrôque Numerô, ut Immane *sonat*, Sublime *volans*, Aeternum *latrans*, Virgilius. Id. 3.Georg.v.156.*Sole* recens *orto*, pro recenter, & lib. 12. Æneid,v.398.*Stabat* acerba *fremens*. Id.3. Georg.v.499. seq. - - *Pede terram* Crebra *ferit*. & Eclog.3. v.8. - - Transversa *tuentibus hirquis*.Lucret, lib.2,v,78. *Mortales* mutua *vivunt*. *Insanùm*, *sempiternùm*, pro Insanè, Sempiternò. Plaut. in Curculione Act. 1. sc. 3. vers.21. *Insanùm amare*, Id, in Aulular. Act.2.Sc.1.v,26.

Quod tibi sempiternùm salutare sit.

Similiter *Nomen* pro PARTICIPIO, ut, *Hinc Populum latè* regem; id est, regnaturum. Virg. 1. Æneid. vers.21.

Et pro INTERJECTIONE, ut, *Juppiter*, cùm admirantis est; ut apud Graecos, Ἡράκλεις. Catullus Carm. 1.vers.7.

Doctis, Juppiter, *& laboriosis*,
& Carm. 66. vers. 30.

Juppiter, ut tersti lumina saepe manu.

Malum, *Infandum*. Terent. in Eunuch. Act. 4. Sc.7. v.10.*Qui*,malum,*alii*? Virgil.1.Æneid.v.251,

Navibus (infandum) amissis. - - -

Pronomen pro CONJUNCTIONE, ut, *Id*, pro *Ideò* in illis modis loquendi, *Id venio*, *Id revertor*, *Id quod erat*; in quibus tamen nos potius censemus esse *Ellipsin* Praepositionis *Ob*, vel *Propter*, ut infrà dicemus, *Idem*, pro Item, vel Etiam, Cic.Lib,1.Offic. *Ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi, neque id in Philosophia solùm, sed etiam in dicendi exercitatione feci*, idem *tibi censeo faciundum*. ibid. *Est huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel li-*

beralitatem appellare licet.

Verbum pro NOMINE, Persius Sat. 1. v. 27. *Scire tuum nihil est*. Id. ibid. v. 9. *Et nostrum istud* vivere *triste*. Et Sat. 5. v. 53. Velle *suum cuique est*. - - -

Et pro PARTICIPIO. Virg. l. 5. Æneid. v. 248. - - - *Magnum dat* ferre *talentum*, pro ferendum. Id. 1. Æneid. v. 319. *Dederatque comas* diffundere *ventis*. Et Lib. 9. v. 362. - - - *Ille suo moriens dat* habere *nepoti*. Ulpianus L. 1. D. de inoffic. Test. *Cùm* obtinere *spem non haberent*. Idem leg. 3. §. si Filius, D. de Mun. & Honor. *Jus non habet* intercedere. Et D. Mandati: *Consilium receperit* fraudare.

Participium loco NOMINIS, ut apud *Graecos* crebrò, *Medentes*, *Venantes*, pro Medicis, & Venatoribus, Lucretius. Id. Lib. 5. v. 823.

Aëriasque simul volucres variantibus *formis*;

id est variis. Virgil. Lib. 4. Æneid. v. 61.

Candentis *vaccae media inter cornua fundit*;

pro Candidae. Et Lib. 6. v. 239. seq.

Quam super haud ullae poterunt impune volantes
Tendere iter pennis; - - id est, *Volucres*.

Id. lib. 8. v. 588. *Pictis* conspectus *in armis*, pro *Conspicuus*.

Et pro ADVERBIO. *Horrendum*, pro Horrendè, Id. Æneid. 6. v. 287. seq. - - *Ac bellua Lernae Horrendum stridens*. *Lubens*, pro Lubenter, Plautus in Pseud. Act. 1. Sc. 1. v. 3. *Duorum labori ego hominum parsissem* lubens.

Adverbium pro NOMINE, ut, *Abundè*, *Largè*, *Partim*, quae *Nominum* vim quandoque habere infrà dicemus.

Et pro CONJUNCTIONE, ut, *Quando* pro Quoniam, *Nunc* pro Sed, ut apud Graecos νῦν pro ἀλλά, Terent. in Adelph. Act. 3. sc. 2. v. 50. *Postremo*, quando *ego conscia mî sum, à me culpam hanc procul esse*. Cicer. Lib. 1. de Divinat. n. 60. *Quae quidem multò plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo, & vino confusa & peturbata cernimus*. & alibi saepe.

Item locô PRONOMINIS, ut *Illic*, pro Ille, apud *Comicos* non rarò. Plautus in Asinariâ. Act. 2. sc. 1. v. 18.

Metuo, quod illic *obscaevavit meae falsae fallaciae.*

Terentius in Eunuch. prol. v. 12.

Quàm illic, *qui petit, unde is sit thesaurus sibi.*

Et pro PRAEPOSITIONE ferè apud *Poëtas*, ut *Clanculum*, *Intus*, *Seorsum*, pro Clam, In, Sine. Terent. in Adelph. Act. 1. sc. 1. v. 27. seq. - - *Postremùm, alii clanculum Patres quae faciunt*. Lucret. Lib. 3. v. 563.

- - - *Seorsùm corpore totô.*

Idem ibid. v. 631.

At neque seorsùm oculi, neque nares, nec manus ipsâ Esse potest animâ.

Sed & locô PROVOCABULI *Adverbium* usurpatur, quâ quidem permutatione optimi Auctores crebrò utuntur. Cic. ad Atticum: *Omnia consilia differs in id tempus, cùm scierimus, quid actum sit*. Id. ibid. *Utinam illum diem videam, cùm tibi gratias agam*, pro Quô tempore, Quô die. Varr. lib. 1. de Re Rust. *Quibus teneat id, quà serpit*. Terentius in Eunuch. Act. 1. sc. 2. v. 34. seq. *E Praedonibus, unde eam emerat*. Virgilius lib. 5. Aeneid. vers. 488.

- - - *Volucrem trajectô in fune columbam,*
Quò tendant ferrum; - - id est, in quam.

Praepositio pro ADVERBIO, ut, *Ante*, *Circa*, *Circum*, *Coram*, *Clam*, *Extra*, *Juxta*, *Pone*, *Prope*, *Post*, *Super*, *Secus*, *Ultra*, *Usque*, quae vim *Adverbii* plerumque habere notissimum est.

Conjunctio vice ADVERBII, ut *Atque*, pro Statim, Mox. Plautus in Bacchidibus Act. 2. Sc. 3. v. 45.

Dum circumspecto, atque *ego lembum conspicor.*

Id. in Mercatore Act. 2. sc. 1. v. 32. seq.

Postquam illic, quod volui, transegi; atque *ego conspicor Navim ex Rhodo.*

Virgilius Lib. 1. Georgic. v. 203.

Atque *illum in praeceps prono rapit alveus amni.*

Gellius lib.17. cap. 20. *Haec verba ubi lecta sunt*, atque *ibi Taurus mihi*. *Ergo*, *Igitur*, pro Tum, Inde, Postea. Virgil.lib.6.Aeneid.v.384.

Ergo *iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.*

Plaut.in Casinâ Act.2.sc.2.v.39.*Mox magis, cùm otium mihi, & tibi erit*, igitur *tecum loquar*. Idem in Mostellariâ Act.2.sc.1.v.32.seq.

- - - - - *Miserum est opus* igitur

Demum fodere puteum, ubi, sitis fauces tenet.

Et in Amphitruone Act. 1. sc.1. v.54.

Sin aliter sient animati, neque dent, quae petat;
Sese igitur *summâ vi, virisque, eorum oppidum expugnassere.*

Terent.in Eunuchô Act.1.Sc.1.v.1. *Quid* igitur *faciam?* *Quoniam*, pro Postquam, Quum. Plaut.in Aulul.Prol.v.9.

Is, quoniam *moritur*, (*ita avido ingenio fuit*)

Idem in Asinariâ Act.3.sc.3.v.121.*Quid nunc?* quoniam *ambo, ut est lubitum, nos delusistis, datisne argentum?* *Tamen*, pro Tandem, Sallustius, & Pacuvius apud Nonium. *Proinde*, pro Perinde, Terentius in Phormione Act.2.Sc.2.v.35.

Proinde *expiscare, quasi non nosses.*

Lucret.Lib.3.v.1048.

Ossa dedit terrae proinde *ac famul infimus esset.*

Sallust.in Jugurthâ: Proinde *quasi injuriam facere, demum id esset imperio uti*. Varro lib. 1. de Vita Popul. Rom. *Duabus undulatis togis est opertum*; proinde *ut olim Reges nostri undulatas, & praetextas togas soliti sint habere*. Planc. Cic. *Quod si* proinde, *ut ipse merear, mihi successerit*. Id. *Ut* proinde *ad omnia paratus essem*.

Species quoque Partium Orationis commutantur, & aliam vim, atque potestatem adsumunt. Sic *Nomen primigenium* pro suo DERIVATO, ut *Terra* Graecia, *Terra* Italia, *Terra* Sicilia, apud Gellium lib.1.cap.1. & lib.11.cap.1. Ennius - - *Latè* Saturnia *Terra*. Id. O *Terra* Thracia, *ubi Liberi fanum*. Lucretius Lib.1.v.722.

Ita-

Italiae *Terrai oras à finibus ejus.*
Callistratus JC. Leg. ult. D. de Abig. *Ut extra Terram Italiam decem annis relegentur*. Virgilius 1. Aeneid. v. 119. Troïa *gaza per undas*; pro Trojana. & 2. Aeneid. v. 618. Dardana *suscitat arma*. Id. 1. Aeneid. v. 686. *Laticemque* Lyaeum. Et lib. 4. Georg. v. 283.

Tempus & Arcadii memoranda inventa Magistri; pro Arcadici.

Varro Lib. 2. de Re Rust. Arcadii *Asini*. Id. ibid. *Terna atque quaterna millia* Gallia *succidia habere*; pro Gallicana. Sallust. Lib. 4. Historiar. *Cum interim, lumine etiam tum incerto, duae* Galliae *mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt*. Cato Lib. 4. Originum: *Talione* vindicta *proximus cognatus ulciscitur*: Id. in L. Veturium: *Aquam* Anienem *in sacrarium inferre oportebat*. Gellius Lib. 19. cap. 7. *Molli quadam tempestatis* autumnae *die*; pro Autumnalis. Quibus gemina sunt illa, quae ab aliis usurpantur, *Mare Oceanum*; *Pondo Libram*; *Pondo Unciam*; & *Rete Jaculum*.

Absolutum pro COMPARATIVO, Terent. in Heavton. Act. 1. sc. 2. v. 31. *Paullo qui est homo* tolerabilis; pro tolerabilior. & pro SUPERLATIVO; ut in illo *Virgilii* 8. Aeneid. v. 127. notat Servius, *Optime Grajugenum.* Lucret. lib. 1. v. 120. - - *Hominum quae clara clueret.*

Rursus *Comparativum* pro ABSOLUTO, Virg. Lib. 1. Aeneid. v. 228.

Tristior, *& lacrumis oculos suffusa nitentes.*

Idem lib. 5. v. 301. - *Comites* senioris *Acestae*; pro Senis.

Quae permutationes etiam in *Adverbiis* frequentantur, ut *Cito*, pro Citius. Plaut. in Trinum. Act. 2. sc. 4. v. 7. seq. - - - - - - *Confit* citò,

Quàm si tu objicias formicis papaverem.

Id. in Captivis Act. 3. Sc. 5. v. 42.

Nec quisquam est mihi nunc, aeque melius *cui velim.*

Terent. in Heavtontimor. Act.4. Sc.3.v.7.

Cui aequè audisti commodius *quidquam evenisset*

Distributivum Numeri pro PRINCIPALI, ut *Singulus*, *Binus*, *Ternus*, *Denus*, pro Unus, Duo, Tres, Decem, & sic deinceps in utrôque Numerô apud *Poëtas*; sed apud *Oratores*, & *Historicos* ferè semper in Plurali: cujus rei passim reperiuntur Exempla.

Item *Partitivum* pro Principali, ut *Unus*, *&* *Alter* pro Duobus. Cicer. ad Atticum: *Quid enim est tantum in uno, aut altero die*; id est, uno, aut duobus. Id. pro Cluentiô: *Qui cùm ad unum jam, & alterum diem desideraretur*.

Pronomen *Suus*, pro Ejus, vel Ipsius; quod tamen durum est, & insolens. Terent. in Hecyra Act. 4. sc. 4. v.38. *Mater quod suasit sua*. Virgil. lib.4.Aen.v.632.seq.

Tum breviter Barcen nutricem affata Sichaei;
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat.

Cic.Lib.4.ad Atticum: *Vix tamen sibi de mea voluntate concessum est*; pro Ipsi, vel Illi.

Verba *absoluta* pro AGENTIBUS, & contrà *agentia* pro ABSOLUTIS interdum à Veteribus usurpari solent, ut *Contendo*, Lucret.lib.4.v.807.

- - - - - Contendere *se*, *atque parare*.

Id.ibid.v.1040.

Ejicere id, *quo se* contendit *dira lubido*.

Emergo, Cic. de Aruspicum Responsis: *Tum se* emergit, *& fertur illuc*. Nepos in Vita Attici: *Quibus ex malis ut se* emerserat. *Erumpo*, *Irrumpo*, *Prorumpo*. Attius in Epigonô: *Ita imperitus stupiditate* erumpit *se*. Varro in Marcipore: *Ventique frigido se ab axe* eruperant. Id. in Sexagesi: Irrumpit *se in Curiam*. Caesar lib. 2. de Bello Civili cap. 14. *Portis se foras* erumpunt. Virgil. lib. 1. Georgic.v.445.seq.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi erumpunt *radii*. - - -

Et lib.3.Aeneid.v.572.

Interdumque atram prorumpit *ad aethera nubem.* Lucretius lib. 4. v. 1108. *Tandem ubi se* erupit. *Proruo, Strepo.* Terent. in Eunucho Act. 3. sc. 5. v. 51. *Foras simul omnes* proruunt se. Varro in Octogesi: *Seque opificè non probiter strepere. Resono, Requiesco,* Virgil. lib. 7. Aeneid. v. 11, seq.

Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduô resonat cantu. - - - Et Eclog. 8. v. 4.
Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Rursus *Agentia*, pro ABSOLUTIS per Ellipsin *Pronominis*, vel pro *Verbis* PATIENDI, ut *Accingo, Averto,* Virgil. lib. 2. Aeneid. v. 235. Accingunt *omnes operi*; pro Accingunt se, vel Accinguntur. Id. v. 104. *Tum prora* avertit. *Aequo,* Cic. lib. 1. Offic. *Qui jam illis ferè* aequatunt. *Ingemino,* Virgilius Georg. lib. 1. v. 333.

- - - Ingeminant *austri, & densissimus imber.*

Insinuo, Idem Aeneid. lib. 2. v. 228. seq.

Tum verò tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat *pavor.* - - - -

Cic. lib. 1. de Orat. *Quod ita nati essemus, ut & blandiri, & suppliciter* insinuare *iis possemus, à quibus esset petendum.* Id. ad Nigidium: *Et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit,* insinuabo. *Lenio,* Sallust. lib. 4. Histor. *Tum repente visus* lenire *Tagus. Moveo,* Sveton. in Claudio Cap. 22. *Quotiès terra in urbe* movisset. Gellius lib. 2. cap. 28. Ubi terram movisse *senserant. Muto,* Cic. lib. 13. ad Attic. *De Mamurrâ non* mutavit. Catull. Carm. 22. v. 11.

- - - - *Tantum abhorret, ac* mutat. Livius lib. 39. *Mores quidem populi Romani quantum* mutaverint, *vel hic dies argumento erit. Praecipito, Reciproco,* Id. *Non septies die, sicuti fama fert, temporibus statutis* reciprocat. Et lib. 2. *Secuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora* praecipitavere *in insidias.* Cic. *Loca, ubi Nilus* caput praecipitat *ex altissimis montibus.* Caes. 3. de Bell. Civil. c. 22. Hiems jã praecipitaverat. Virg. 2. Aen. v. 8. seq. *Jam*

nox

nox humida coelo Praecipitat. *Sisto*, Id. Georg. 1. v. 479. Sistunt *amnes*, *terraeque dehiscunt*. *Turbo*, Idem 6. Aeneid. v. 801. Turbant *trepida ostia Nili*. Varro lib. 3. de Re Rustic: *Cum mare* turbaret. Lucret. lib. 5. v. 505.

- - - *Sinit incertis* turbare *procellis*.

Verto, *Converto*. Sallust. in Catilina: *In superbiam*, *dominationemque* convertit. Idem ibidem: *Nae ista vobis mansuetudo*, *& misericordia*, *si illi ar ma ceperint*, *in miseriam* vertet. Et alibi saepius. Caesar lib. 3. Belli Civilis cap. 73. *Detrimentum in bonum* verteret. Virgil. lib. 3. Georg. v. 365.

Et totae solida m in glaciem vertère *lacunae.*

Livius lib. 39. *Haec m perniciem adolescenti verterunt*. Item: Verteratque *Scipionum invidia in Praetorem*.

Item Verba *Frequentativa* pro suis PRIMIGENIIS nō rarò usurpabant Veteres, ut Cato, *Dolito*; *Emitito*; *Redemtito*; *Callesco*. Sallust. *Agito*; *Ducto*. Lucretius, *Coepto*; *Discrepito*; *Fugito*; *Imperito*; *Negito*; *Nominito*; *Renuto*. Gellius, *Solito*, *Mutuito*; lib. 2. cap. 24. *Antiquo ritu* mutuitarent; id est; Mutua inter sese Convivia agitarent. & alii alia, quae unicuique, qui vel mediocriter antiquos Scriptores triverit, obviam occurrunt.

Participia *Agentia* pro PATIENDI; ut; *Vehens* pro Vectus, Gell. lib. 5. cap. 6. *Qui ovantes introire solitos equo* vehentes. Contrà *Patiendi* pro AGENTIBUS; ut quae vulgò sunt notissima: *Cōsideratus*, *Incōsideratus*, *Cōtentus*, *Disertus*, *Discretus*, *Juratus*, *Inveteratus*, *Profusus*; *Tacitus*, aliaque permulta. Similiter *Captatus*; *Fluctuatus*, pro Captavit, Fluctuavit. Livius lib. 44. *Cel tiberi parumper incertis animis* fluctuati *sunt*. Valer. Maxim. *Spreto mortalis habitu divinum* captatus *est*. Idem lib. 9. *Exiguo momento maximae rei* fluctuatus *est*. Id. lib. 8. cap. 1. *Eadem haesitatione P. Dolabellae animus fluctuatus est*. *Communicatus*, *Census*, Ovid. ex Pōto lib. 1. Epist. 2. v. 139. seq.

Hanc probat, *& primo dilectam semper ab aevo*

Est inter comites Marcia censa *suas*.

Li-

Livius lib.4. *Nec adversarum rerum quaerere socios, cum quibus spem integram communicati non sint. Desitus, Meditatus*, Cicer. ad Paetum: *Primus Papisius est vocari desitus.* Et lib.3. Tusc. *Sunt semper omnia homini humana meditata.* Terent. in Phorm. Act.1. Sc.5. v.18. *Meditata mihi sunt omnia. Notus, Ignotus*, pro eo, qui novit, aut ignorat, non qui ignoratur. Plaut. in Pseudolô Act. 4. sc.2. v. 39. *Novi, notis praedicas.* Cicero pro Caelio: Notis, *ac majoribus natu.* Idem ad Lucejum: Ignotis *nota faciebant. Objurgatus, Penetratus.* Coelius ad Ciceronem: *Curionem prorsus non mediocriter* objurgatus. Lucret. Lib.4. v.674.

Quae penetrata *queunt sensum progignere acerbum.*
Vulgatus, Usurpatus. Virgil. lib.1. Aen. v.457.

Bellaque jam fama totum vulgata *per Orbem.*

Vetus Poëta: Usurpata *duplex cubile.*

Adverbia quoque inter sese mutua vertunt, ut: *Ne*, pro Non, de quô ita Terentius Scaurus: *Ne*, pro NON *positum est apud antiquos, ut* Nefrendes *porcos, qui fabam frendere non possunt*, Nesapus; *qui non sapit.* Plautus in Trinummô Act.5. sc.2. v.22.

Filiam meam tibi desponsatam esse audio. Nisi tu ne vis. Terent. in Eunuchô: *Quid ne es alacris?* Varro de Re Rustic. *Genibus rotundis*, ne *magnis. Quasi*, pro Veluti, Quemadmodum. Terent. in Adelphis Act. 4. Sc.7. v.21.

Ita vita est hominum, quasi *cùm ludas tesseris.*

Plaut. in Stichô Act.4. Sc.1. v.33. seq.

Fuit olim, quasi *ego sum, senex; & ei filiae*
Duae erant, quasi *nunc meae sunt.*

Tam, pro Valdè, Plaut. in Mostel. Act.4. sc.2. v.9. *Ferocem facis, quia te herus* tam *amat.* Plin. lib.7. *Oratores quidem ambo, sed* tam *dispari eventu.* Vellejus lib.2. Annal. *Nec minora consequi potuit; sed non* tam *concupivit.* Paulus lib.1 Sentent. Leg.35. §.1. D. de Minor. *Nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut* tam *negligenter in ea caussa sint*

ver-

versati, *Praetor interponere se non debet*. *Vbi*, pro Postquam, Quum, Terentius in Andr. Act.5.sc.1.v.18.

Vbi ea caussa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, desinent.

Virgilius Georg.1.v.441.

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum.

Idem 6. Aeneid. v.271. seq. - - *Vbi Coelum condidit umbrâ Juppiter*. *Vt*, pro Ubi ἵνα; & *Vtcunque*, pro Ubicunque. Catullus Carm. 50. v.3.

Ut convenerat esse delicatos.

Varro lib.1.de Re Rusticâ: *Alio loco ut seras*. Virgil.lib.5. Aeneid.v.229. - - - - *Caesis* ut *fortè juvencis*.
Horat.lib.3. Carmin.Od.4.v.25.

Vtcunque mecum vos eritis.

Praepositionum inter se commutatio frequentissima est, ut: *Ad* & *Apud*, *Penes* & *Apud*, *Super* & *Supra*, & similium, quarum exempla passim extant.

Conjunctiones item mutant, ut: *Neque*, pro Ne quidem. Cicer.lib.1.ad Atticum: Neque *hoc neglexi*. & lib.9. Neque *ego aliter accepi*. *Nisi*, pro Sed, *Graecorum* more, saepe utitur Cato de Re Rustica, ut ibidem annotavimus; sed & Terent. in Andriâ Act.4. Sc.1.vers.40. seq.

- - - - - - *Nescio: nisi mihi Deos satis*
Fuisse iratos scio. - - - -

Et in Eunuc. Act.5.sc.4.v.9.seq.

- - - *Nequeo satis mirari*, neque *conjicere*;
Nisi quidquid est, *procul hinc libet priu'*, *quid sit*, *sciscitari*.

Sallust.in Jugurtha: *Nisi tamen intelligo illum supra*, *quàm ego sum*, *petere*. Cicero lib.5.ad Atticum: Nisi *tamen id erit mihi gratissimum*. & lib.11. Nisi *illud quidem mutari non video posse*. *Quin*, pro Etiam, Terent.in Heavtontimor. Act.3.sc.3.v.21. Quin *mihi molestum est*. Virgil. lib.10.Aeneid.v.24.seq.

Quin *intra portas*, *atque ipsis proelia miscent*
Aggeribus moerorum.

Vel,

Vel, pro Etiam, Terent. in Eunuc. Act. 3. sc. 1. v. 7. seq. Vel *rex semper maxumas (gratias) mihi agebat*. Idem in Andriâ Act. 3. Sc. 2. v. 9. Vel *hoc quis non credat*. Cicero Varroni: Vel *aliae quaepiam rationes honestas nobis & curas, & actiones darent*. Virgilius Eclog. 8. v. 69.

Carmina vel *Coelò possunt deducere Lunam*.

Idem lib. 11. Aeneid. v. 259.

Vel *Priamo miseranda manus*. - -



CAPUT II.

DE PERMUTATIONE CASUUM, NUMERORUM, ET GENERUM.

FREQVENTISSIMA est in Oratione CASVVM, NVMERORVM, & GENERVM inter sese Permutatio, quâ tam *Oratores*, & *Historici*, quàm *Poëtae* utuntur.

NOMINATIVVS pro *Genitivô*. Cicero: Consules *alter ambôve*. Sallust. in Catilinâ: *Igitur initiò* Reges (*nam in terris nomen imperii id primum fuit*) *diversi pars ingenium, alii corpus exercebant*. Livius lib. 41. *Quando duo ordinarii* Consules *ejus anni alter ferrô, alter morbô perisset*; pro Regum, & duorum Consulum. Et pro *Accusativo*, sed ferè post Verbum Dico, Puto, Sentio, aut simile. Terent. in Andria Act. 4. sc. 6. v. 2.

Quae sese optavit inhonestè hic parare ditias
Potius, quàm in patria honestè pauper vivere.

Catullus Carm. 4. v. 1. seq.

Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Virgilius 2. Aeneid. v. 377. lib. 1. Carm. Od. 2. v. 43. seq.

- - *sensit medios* delapsus *in hostes*.

Horatius lib. 1. Carm. Od. 2. v. 43. seq. Patiens *vocari Caesaris* ultor. Ovid. lib. 2. Trist. Eleg. 1. v. 10.

Acce-

Acceptum refero versibus esse nocens.

Item pro *Vocativo* apud Poëtas. Lucret.lib.1.v.45.seq.

Quod superest, vacuas aures mihi, Memmius, *& te*
Semotum à curis adhibe veram ad rationem.

pro Memmi. Virgilius 6.Aeneid.v.836. *Projice tela manu, sanguis* meus; pro Mi. Idem lib.8.v.77.

Corniger Hesperidum fluvius *regnator aquarum*;

pro fluvie. Persius. Sat.1. v. 61. *Vos ô* Patricius *sanguis*; id est, Patricie.

GENITIVVS pro *Nominativô*. Terentius *in Andria* Act.4. sc.5. v. 6. *Quid illic* hominum *litigant?* pro quot homines. Idem in Phormione Act.1. sc.3. v. 2. *Vbi in mentem ejus adventi venit?* Virgilius lib.1.Aeneid.v.78. *Tu mihi, quodcunque hoc* regni; pro hoc regnum. Et pro Accusativo ibidem v. 244. *Fontem superare Timavi*. & v. 247. *Hic tamen ille urbem* Patavi.

DATIVVS pro *Accusativô*, maximè cum Infinito Esse. Terent.Eavtont.Act.2.sc.4.v.8. *Nam vobis expedit esse bonis*. Horat.in Art.v.372.seq.

- - - - - Mediocribus *esse* poëtis
Non Dii, non homines, non concessere columnae.

Brutus ad Ciceronem: *Et quis supplicat, ut optimè meritis liceat esse* salvis. Martialis lib.9.Epigr.12.v.16.

Nobis *non licet esse tam* disertis.

ACCVSATIVVS pro *Nominativô*, more *Graecorum*. Terentius in Andr.Act.1.sc.1.v.142.seq. Observes *filium, quid agat*; pro observes, quid filius agat. Idem in Adelph.Act.5.sc.4.v.20. Illum, *ut vivat, optant*. & in Eunuc. Act.4.sc.3.v.11. Eunuchum, *quem dedisti nobis, quas turbas dedit*. Plautus in Amphitr. Act.4. sc.1.v.1.

Naucratem, *quem convenire volui, in navi non erat*.

Cicero Sulpicio: Rem *vides, quô modô se habeat*. Idem ad Atticum lib. 14. *Nosti* virum *quàm tectus*. Caesar lib.1. Belli Gallici cap. 39. Rem frumentariam, *ut satis commodè supportari posset, timere dicebant*.

Item ACCUSATIVUS pro *Ablativô*. Plautus in

Ru-

Rudente Act.3.sc.5.vers.34.

Vos respondetote istinc istarum vicem.

Bonam, magnam, minimam partem, pro bonâ, magnâ, minimâ ex parte. Lucret.lib.3.v.64.

Non minimam partem *mortis formidine aluntur.* Idem Lib.6.v.1247.

Inde bonam partem *in lectum moerore dabantur.* Caesar Lib. 1. Belli Gall. *Eos impeditos, & inopinantes aggressus*, magnam partem *concidit*, & Lib.4.cap.1. Maximam partem *lacte, atque pecore vivunt*. Cicero Lib. 1. Officior Magnam *autem* partem *clementi castigatione licet uti*. Idem ad Paetum: *Mihi licere has res non omnino quidem, sed* magnam partem *relinquere*,

VOCATIVUS *pro Nominativô* apud Poëtas. Virgilius L b.9. Aeneid.v.641. Macte *nova virtute, puer*; pro mactus. Idem Lib.10. v.327. miserande *jaceres*. Persius Sat.3.v.29.seq.

Stemmate quod Tusco ramum millesime *ducis*;
Censoremne tuum, vel quod trabeate *salutas*?

pro millesimus, & trabeatus.

ABLATIVUS pro *Genitivô*. Virgilius Georg. 1. v. 164. Iniquo pondere *rastri*; pro iniqui ponderis. Et pro Dativo, Idem Aeneid. 4. v. 224. seq. *Tyria* Carthagine *qui nunc Exspectat*. Cicero in Philipp. *Cùm tu* Narbone *mensas hospitum convomeres*, Idem de Naturâ Deorum; *Sepultus esse dicitur* Lacedaemone. Et ad Sulpitium: *Commendo tibi domum ejus, quae est* Sicyone.

Numeri etiam mutantur, ut SINGULARIS pro *Plurali*. Terentius Heavtontim. Act. 2. sc. 4. v. 13. Cujus *maximè mos est consimilis vestrûm, hi se ad vos applicant.* Idem Eunuch. Act. 2. sc. 1. v. 19. seq. *Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas* eundem *esse*, pro eosdem. Cicero ad Coelium: *Totum negotium non esse dignum viribus nostris, qui majora opera in Republicâ sustinere & possum, & soleam.* Salust. in Catilinâ: *Intereà servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnae copiae*

conve-

convenicbant; pro quorum. Varro lib. 1. de Re Rustic. *Facilius enim eis, quàm minore natu, sunt* dicto *obedientes*. Idem: *Eos praeesse oportet, qui periti sunt rerum rusticarum; non solùm enim debere imperare, sed etiam facere, ut* facientem *imitentur*; pro facientes.

Rursus Numerus PLVRALIS pro *Singulari*. Terentius in Eunuchô Act. 1. sc. 2. v. 87. seq.

Eunuchum dixti velle te, quia solae his *utantur Reginae.*

Cicero pro Milone: *Si tempus est ullum jure hominis necandi*, quae multa *sunt*, *certè illud non modo justum, verùm etiam necessarium*. Id. Lib. 3. de Legibus. *Tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate* valeant, & utantur *Bonis*. Virg. Lib. 8. Aeneid. v. 427. seq.

Fulmen erat, toto genitor quae plurima *Coelo*
Dejicit in terras.

Et maximè in illis Particulis, quae Numerum adsignificant, ut *Pars*, *Quisque*, *Vterque*. Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 560. Pars *volucres* factae. Idem lib. 7. Metamorph. v. 574. seq. Fugiuntque *penates Quisque suos*. Livius: *Suas quisque* abirent *domos*. &, *Ad se* quisque *omnia* trahant. Rursus: Vterque transfixus *duabus* haerentes *hastis moribundi ex equis* lapsi sunt. Apulejus Lib. 8. *Sarcinulis* quisque *sumtis sam viam* capessunt.

GENERIS autem Mutatio variis modis fit; Nam interdum Genus aliud pro aliô *ponitur* sine ullo respectu, ut *Foemininum* pro Neutro. Horat. Epod. Od. 8. v. 7. seq.

Et mammae putres, equina quales *ubera*;
pro qualia.

Neutrum pro Masculino: Plautus in Aulularia Act. 2. sc. 4. v. 45. *Coquus ille* nundinale est. Idem in Captivis Act. 2. sc. 3. v. 79. *Fac* fidele *sis fideli*. & in Mercatore Act. 5. sc. 4. v. 45.

Eamus intrò, *non* utibile *hìc locus factis tuis*.

Terentius in Eunuchô Act. 2. sc. 1. v. 5. *Ego quoque unà pereo, quod mi est* charius; pro, qui mihi charior sum, ut inquit Donatus.

Ali-

Aliquando Genus *mutatur*, cùm fit relatio non ad Nomen in Orationis serie collocatum, sed ad aliquam Vocem ejusdem Significationis, at Generis diversi; ut sunt *Animans* Animal, *Arbos* Arbustum, *Foetus* Foetura. Lucret. Lib. 1. v. 352. seq.

Crescunt arbusta, & foetus in tempore fundunt,
Quod cibus in totas usque ab radicibus imis.

Alvus Alvearium, *Fluvius* & Flumen, *Fimus* & Stercus. Varro Lib. 1. de Re Rustic. *Sin cogare secundum flumen aedificare, curandum, ne adversum eum ponas*. Id. ibidem: *Alteram enim in partem ferri oportet è villa novum fimum, ex altera veterem tolli, quòd est, quàm recens, quod confracuit, melius*. Et lib. 3. *Nec si ex alvo in alvum in eodem loco trajicias, negligenter faciendum, sed si transiturae sunt apes, ea apiastro perfricandum*. *Pecora* Pecudes, *Specus* Spelunca. Ovid. lib. 1. Metamorph. v. 821:

Hoc pecus omne meũ est: multae stabulãtur in antro.

Idem lib. 4. Fastor. v. 495. seq.

Est specus excesi structurâ pumicis asper;
Non homini regio, non adeunda ferae.

Nonnunquam mutatur GENUS, cùm duae dissimi-
les Voces in Oratione collocantur, quorum posterior
Genere non respondet, sed ad Rem signifi[illegible]
tur. Terentius in Andria Act. 3. sc. 5. [illegible]catam refer-
scelus, qui me perdidit. Idem in F[illegible] v. 1. *Ubi illic est*
v. 10. *Ut illum Dii Deaeque om*[illegible] [illegible]unucho Act. 2. sc. 3.
me hodie remoratus est. Ide[illegible] [illegible]*nes senium perduint, qui*
Eas se non negat personas [illegible]n ibidem Prolog. v. 31. seq.
Virgilius 5. Aeneid. [illegible] *transtulisse in Eunuchum suam*
nius Lib. 10. An[illegible] v. 122. *Centauro invehitur magna*. En-
Insignita [illegible]al.
Duxit [illegible] *ferè tum millia militum octo*
Sallustius [illegible] *Dilectos Bellum tolerare potentes.*
Lib. 5. Historiarum: *Legiones* Valerianas *com-*
perto lege Gabiniâ Bithyniam, *&* Pontum *Consuli datam*
missos esse. Livius: Samnitium *caesi tria millia trecenti*
Curtius; lib. 4. *Duo millia crucibus affixi.*

Praeterea fit GENERIS mutatio, cum Relativum ad posterius Verbum refertur, ut Sallustius in Catilina: *Est locus in carcere, quod* Tullianum *appellant*. Varro Lib. 1. de Re Rustic. *Videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque Parte aequabiliter praecisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant*. Cicero de Legibus; *Tum domicilia conjuncta, quas Urbes dicimus*. Quintilianus: *Accentus, quas* Graeci *prosodias vocant*.

GENUS, & NUMERUS simul mutantur, ut Virgilius: *Pars mersi tenuêre ratem*. Idem 6. Aeneid. v. 660. *Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi*. Sallustius in Jugurtha; *Magna pars vulnerati, aut occisi*. Livius; *Maxima pars Equitibus in flumen acti*.



CAPUT III.

DE PERMUTATIONE TEMPORUM, ET MODORUM.

NEc minus frequens est optimis Auctoribus TEMPORUM, & MODORUM Commutatio, quae inter Verborum figuras quoque censetur. Ita Tempus *Praesens* pro PRETERITO, Plautus in Mostellaria Act. 3. sc. 1. v. 113.

- - *Eas quanti* destinat? pro destinavit.

Virgilius 3. Aeneid. v. 3.

- - *Et omnis humo* fumat *Neptunia Troja*.

Cicero in Verrem 8. *Timarchides* negat *esse ei periculum*. Lucretius lib. 6. v. 1255.

Corpora nonnunquam posses retroque videre.

pro vidisses.

Et pro FUTURO, maxime in *Infinitivis*. Virgil. 1. Aeneid. v. 19. seq.

Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci

Audie-

Audierat; - - - - pro ducendam esse.

Preteritum Perfectum pro PLUSQUAMPERFECTO, Idem 11.Aeneid.v.112.

Nec veni, *nisi Fata locum sedemque dedissent*; pro venissem. Idem Aeneid.2.v.599.seq.

- - - - - *Et ni mea cura resistat*,
Jam flammae tulerint, *inimicus &* hauserit *ensis*.

pro tulissent, hausissent.

Et pro FUTURO. Idem Aeneid.4.v.590.

- - - - - *Proh Jupiter! ibit*
Hic, ait, & nostris illuserit *advena regnis?*

pro illudet.

Ex Modis *Indicativus* pro QUOVIS ALIO saepe ponitur. Plautus in Aulularia Act.1.sc.1. v.23. *Neu praesentiscat, aurum ubi est absconditum*; *pro sit*. Id. ibid. Act.3.sc.6.v.22. *Quae mi' interbibere, sola si vino* scatet; *pro* sceteat. Cicero Lib. 5. ad Atticum: *Bono animo es*; pro sis. Varro Lib. 2. de Re Rusticâ: *Sed bono animo es*. Idem Lib. 3. *Quatuor deinde* intromisit *in leporarium, brevi explerit*; pro intromiserit.

Imperativus pro INDICATIVO. Virgil. Eclog. 7. vers.35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si foetura gregem suppleverit, aureos esto;

pro eris.

Optativus pro INDICATIVO usurpatur non apud *Latinos* modò, sed etiam *Graecos*, ut ἔλθοι, pro ἦλθεν, λαλήσοι, pro ἐλάλησεν, & similia, quae adnotavit *Eustathius* in Homerum. Varro Lib.2.de Re Rustic. *Tantum enim* fefellerit; pro fefellit.

Infinitivo pro PRAETERITO IMPERFECTO *Indicativi* Modi crebrò utuntur *Poëtae*, & *Historici*, & inprimis *Sallustius*, atque ejus imitator, *Tacitus*; sed & *Oratores*, ut Cicero in Verrem 4. Ridere *convivae*, Machinari *ipse*; pro ridebant, machinabatur. Idem Lib. 1. Officior. Stomachari *Canius*; *sed quid faceret*? Et Lib. 4.

ad Atticum: *Ille vehemens furere; post hunc verò furorem nihil, nisi caedem inimicorum,* cogitare, *vicatim* ambire, *servis apertè spem libertatis* ostendere.



CAPUT IV.

DE CASIBVS CVM NOMINIBVS JVNCTIS PRAETER VULGATVM VSVM.

VETERES interdum *Casus* à communi Sermonis usu alienos NOMINIBVS tribuunt, sicuti *Genitivum* jungunt his, quae vulgò DATIVVM habent, *Communis, Similis, Dissimilis.* Terent. in Hecyrâ Act. 1. Scen. 2. vers. 37. *Et haec, communia* omnium, *quae sunt patrum.* Cicero Lib. 1. Offic. *Commune* animantium omnium *est conjunctionis appetitus.* Idem in Academicis: Eorum *quatuor, quae supra dixi, dissimile.* Plautus in Asinariâ Act. 3. sc. 3. v. 91. *Non similem* furis hujus. Terentius in Eunuch. Act. 3. Sc. 2. v. 43. Domini *similis es.*

Item *Genitivum* habent, non semper ABLATIVUM, *Anxius, Atrox, Firmatus, Promtus,* apud Sallustium. *Alienus,* Cicero Lib. 1. de Finibus: *Quis alienum putet esse* ejus dignitatis, *quam mihi quisque tribuit.* Et de Vniversitate: *Naturam fugientem, &* ejus copulationis *alienam.* Id. Lib. 1. Quaest. Acad. *Et uvò nomine omnia, quae essent aliena* firmae, & constantis orationis. Id. pro Caecinna: *Alienum* caussae. Sallustius in Catilinâ: *Neque aliena* consilii. Lucret. Lib. 6. v. 1063.

Nec tamen haec ita sunt aliarum rerum *aliena.*

& Lib. 3. v. 832.

Aut quia non veniunt omninò aliena salutis.

Quod imitatus Tertullianus de Resurrectione Carnis: *In re ergo aliena* salutis. Et adversus Marcionem Lib. 4.

Aeter-

Aeternitatis *aliena*. *Dignus*, Plautus in Trinummô Act. 5. Sc. 2. v. 29. *Non ego sum dignus* salutis? Virgilius Aeneid. 12. v. 649.

Descendam, magnorum haud quaquam indignus avorum.

Ovidius in Epist. Helen. ad Parid. v. 256.

Militia est operis *altera digna* tui.

Balbus Ciceroni: *Suscipe curam, & cogitationem dignissimam* tuae Virtutis. Martianus JC. Leg. 18. §. penult. D. de Jur. Fisc. *Ne alioquin poenam patiatur dignam* suae personae. *Falsus*, *Lassus*, Terentius in Eunuchô Act. 2. sc. 2. v. 43. *Ut falsus* animi *est*. Plautus in Cistellariâ Act. 2. sc. 1. v. 8. *Ita me amor lassum* animi *ludificat*. *Foecundus*, *Laetus*. Sallustius Lib. 2. Historiar. Frugum, pabulique *laetus ager*. Tacitus Lib. 6. Annal. 27. *Genus foecundum* bonorum. Idem Lib. 1. Histor. 11. Annonae *foecunda*.

Ingens, *Immodicus*, Sallust. Lib. 3. Historiar. *Ingens ipse* virium, *atque* animi. Id. in fragm. incert. libror. *Immodicus* animi. Vellej. Lib. 1. *Ipse modicus* virium. Tacit. lib. 1. Annal. 69. *Sed foemina ingens* animi. *Trepidus*, Id. Lib. 6. Annal. 21. *Trepidus admirationis*, *& metus*, *Refertus*, *Completus*, *Vacuus*. Varro lib. 4. de Vita Populi Rom. *Quae prius fuerunt* hominum *referta*. Cicero pro Plancio: *Audieram refertam esse Graeciam* sceleratissimorum hominum, *ac* nefariorum. Et pro Lege Maniliâ: *Referto* praedonum *mari*. Idem in Verrem: *Completus jam* mercatorum *carcer esset*. Sallust. in Jugurth. *Ager aridus*, *& vacuus* frugum. *Plenus* Veteres *Genitivo* junxisse notavit *Quintilianus*, etsi *Cicero* interdum etiam tribuit *Ablativum*. Terent. in Hecyr. Act. 4. sc. 3. v. 25. Vini *plenum*. Varro in Eumenidibus: *Ego autem, qui essem plenus* vini, *&* Veneris. Cicero in Orat. post Redit. in Senat. Vini, somni, stupri *plenus*. Id. Lib. 2. de Orator. Bonorum virorum *plenum forum*. Sallust. in Jugurtha: *Quae gravia quamquam*, *&* flagitii *plena erant*.

Virgil. Aeneid. 1. v. 460.

Quae regio in terris nostri *non plena* laboris?

Dativum Casum habent *Bonus*, *Foecundus*. Sallust. in Jugurtha: *Bonus* pecori, arbori *infoecundus*. Tacitus de Moribus Germanor. cap. 5. *Frugiferarum arborum impatiens*, pecori *foecunda*.

Accusativum in vicem GENITIVI, *Aemulus*, *Oblitus illud*. Sallustius Lib. 3. Historiar. Facta, Consultaque *ejus quondam aemulus erat*. Attius: Mea fata *in acie obliti*. Vel locô ABLATIVI, ut, *opus illam rem*. Plautus in Truculento Act. 5. v. 10. *Puero opus est* cibum. Varro lib. 1. de Re Rusticâ: *Centum jugeribus vinearum opus esse quindecim* mancipia. Cicero ad Atticum: *Video mihi opus esse* viaticum. Et ad Tironem: *Omnia pollicitus est*, quae *tibi essent opus*. Quod etiam cum *Nominativo* jungitur. Idem Lib. 5. de Republ. *Bono patrifamilias ratiocinandi* quidam usus *opus est*. Et ad Curionem: Dux *nobis*, & auctor *opus est*.

Ablativum Veteres tribuunt plurimis Nominibus, quibus nunc *Genitivus* servit, ut *Cupidus*, *Studiosus*. Plautus in Pseudolô Act. 1. sc. 2. v. 50. Vinô *modò cupidae estis*. Idem in Milite Act. 3. Scen. 1. vers. 207. *Qui*, *nisi* adulteriô, *studiosus*. *Ferax*, Virgilius: *Illa ferax* oleô *est*. *Expers*, Turpilius in Pedio:

Educta, ut par est, expers malitiis, *metuens sui*.

Catullus de Coma Berenices Carm. 66. v. 77.

- - - *Cùm Virgo quondam fuit* omnibus *expers*.

Lucretius Lib. 2. v. 1091.

Ipsa suâ per se sponte omnia Dîs agere expers.

Sallust. in Catilinâ: *Crudelitate foeneratorum plerique patria, sed omnes* famâ, *atque* fortunis *expertes sumus*.

Ablativum sine *Praepositione* habent, *Purus*, Horat. Lib. 2. Sat. 3. v. 213. Et *purum est* vitiô. *Alius*, ut *Alius illo*. Varro Lib. 2. de Re Rusticâ: *Est aliud* melle *propolis*. Brutus, & Cassius in Epistola ad Antonium: *Nos ab initiô spectasse otium, nec quicquam aliud* libertate communi


muni *quaesisse exitus declarat.* Horatius lib.1. Epist.16. vers.20.

Neve putes alium sapiente, bonoque *beatum.*

Idem lib.2.Epist.1.v.240.

- - - *Aut alius* Lysippo *duceret aera.*

Idem lib.2.Sat.3.v.208.*Qui species alias* Verò . - - - Apulejus Lib. 3. Metamorphos. *Nullam aliam* meâ Fotide *malle.* Idem:*Aliam rem* invidiâ *nullam esse.*



CAPUT V.

DE CASIBUS CUM VERBIS JUNCTIS PRAETER VULGATUM USUM.

SIMILITER antiqua consecutionis ratio à vulgata loquendi consuetudine mutat in Verbis, quibus alios, & diversos Casûs Veteres applicant. Sic cùm *Genitivo* jungunt Verba *Abundo, Careo, Egeo, Indigeo.* Lucilius Lib.8.Satyrar.Quarum *abundemus* rerum, & quarum *indigeamus.* Terentius in Andr. Act. 5. Sc.3. v.19. *Quasi tu* hujus *indigeas* patris. Idem in Heavtontim. Act.2. sc.4. v. 20. *Praeterquam* tui *carendum quod erat.* Cicero: *Quid est, quod in hac caussa* defensionis *egeat.* Horatius lib.1. Epist.6. v.39. - - - *Eget* aeris *Cappadocum Rex. Abstineo,* Idem Carm.lib.3.Od.27.v.69.seq. *Abstineto* irarum, calidaeque rixae: quod ad *Graecorum* imitationem est. *Adipiscor,* Tacitus Lib. 6. Annal.45. *Dum* dominationis *adipisceretur. Adficior, Angor,* Plautus in Epidico Act.3. sc.1. v.6. *Absurdè facis, qui angas te* animi. Cicero in Verrem 4. *Angebatur tamen* animi *necessariò.* Martianus JC. *Ejusdem legis* poenae *adficitur. Compleo, Impleo.* Lucretius lib.5.v.1161. *Et* ararum *compleverit Urbes.* Plautus in Mercator. Act.2.sc.3.v.74.

Impleantur meae fores elogiorum *carbonibus*. Idem in Menaech. Act. 5. sc. 5. v. 3. *Parasitus, qui me implevit* flagitii, & formidinis. Virgil. Lib. 1. Æneid. v. 215.

Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinae.

Desipio, Discrucior, Plautus in Epidico Act. 1. sc. 2. v. 35. *Desipiebam* mentis, *cùm illas scriptas mittebam tibi*. Id. in Aululariâ Act. 1. sc. 2. v. 27. *Discrucior* animi. *Fallo, Fallor*, Plaut. in Epidicô. Act. 2. Sc. 2. v. 55. *Nec* sermonis *fallebar tamen*. Lucretius Lib. 1. v. 921. *Nec me* animi *fallit, quàm sint obscura*. *Fastidio*, Plautus in Aululariâ Act. 2. sc. 2. v. 67. *Fastidit* mei. Lucilius Lib. 7. Satyrar. *Tristes, difficiles sumus, fastidimus* Bonorum. *Levo, Liberor*. Livius lib. 21. *Levârunt animum* religionis. Vlpianus: *Puto & de eo sensum casu, quô* curae, & tutelae *liberetur*.

Dativo junguntur à veteribus *Anteeo, Antecedo*. Plautus in Amphitr. Act. 2. sc. 2. v. 18. *Virtus omnibus rebus anteit profectò*. Cicero lib. 1. Officior. *Quantum natura hominis* pecudibus, reliquisque bestiis *antecedat*. Paulus Lib. 7. Quaestion. Leg. 92. D. de Verb. Sign. *Proximus est*, cui *nemo antecedit*. *Contineo, Comprehendo*. Varro lib. 4. de Linguâ Lat. *Capitium ab eo, quod capiat pectus*, id est, ut Antiqui dicebant, indutui comprehendat. Hermogenianus Leg. 93. D. de Condit. & Demonstr. *Pecuniam* conditioni *comprehensam*. Callistratus Leg. 2. D. Ex quib. Caus. major. *Quod ad eos pertinet, qui ei continentur*.

Curo cùm significat Provideo, Observo, Plaut. in Truculentô Act. 1. sc. 2. v. 35.

Quia tuo & vestimento, & cibo alienis rebus *curas*. Attius in Antigonâ - - *Jam jam neque Dii regunt,*

Neque profectò Deûm summus rex omnibus *curat*.

Apulejus Apolog. 1. *Usque adeò* rebus meis *curat*. & alibi saepius. *Dissentio*, Quintilianus: Huic opinioni *neque omninò accedo, neque planè dissentio*. Columella: *Ego plurimorum* opinioni *dissentiens*. *Decet*, ut est apud Grae-

cos

cos Πρέπει. Plautus in Amphitr. Act. 3. Sc. 4. v. 24. *Ornatum capiam, qui* potis *decet*. Idem ibidem Act. 2. Sc. 2. v. 188. Nostro generi *non decet*. Terent. in Adelph. 3. 4. 45. *Vt* vobis *decet*. & 5. 8. 5. *Ita* nobis *decet*. Gel. lib. 9. cap. 15. *Quàm* aetati *ejus decebat*. *Instruo*, Sallust. lib. 2. Historiar. *Antequam regressus Sertorius instrueret* pugnae *suos*.

Invado, Varro lib. 4. de Vitâ Populi Rom. *Tanta porrò invasit cupiditas honorum* plerisque. Cicero ad Tironem: *Sed mirus invaserat furor non solùm Improbis, sed etiam* his, *qui Boni habentur*. Plautus in Epidicô Act. 5. sc. 2. v. 5.

Lassitudine invaserunt misero *in genua flemina*. Caecilius in Syracusis: *Tanta* huic *invasit in corde indulcitas*. *Moderor*, *Praestolor*. Sallust. in Catilina: *Cujus libido* gentibus *moderatur*. Cicer. pro Coelio: *Quod & pudor tuus moderatur* orationi meae. Idem Orat. 1. in Catilinam: *Qui* tibi *ad forum Aurelium praestolarentur*.

Accusativum Casum Veteres addunt his Verbis, *Adversor*, Sallust. lib. 5. Historiar. Regem *adversabatur*. Tacitus lib. 1. Histor. 1. *Ambitionem Scriptoris facilè adverseris*. & lib. 4. 84. *Vulgus adversari* regem. Item lib. 1. Histor. 38. In faustam adoptionem *adversantes*. *Adulor*, quod notavit Quintilianus. Cicer. lib. 1. Officior. *Nec adulari* nos *sinamus*. Tacitus lib. 16. Annal. 19. Tigillinum, *aut* quē alium *Potentium adulatus est*. Valer. Max. lib. 4. cap. 3. *Si* Dionysium *adulare velles, ita non esses*. *Condono*, Plautus in Rudente Act. 5. Sc. 3. v. 11. seq. *Mihi triobolum ob eam rem ne duis, condono* te. Terentius in Phormione Act. 5. Sc. 7. v. 54. *Argentum, quod habes, condonamus* te. Afranius in Fratriis: *Id aurum* me *condonat*.

Egeo, *Indigeo*. Cato: *Vitio vertunt, quia* multa *egeo; at ego illis, quia nequeunt egere*. Sallustius in Jugurthâ: Pauca munimenta *egebat*. Cicero in Laelio: *Nihil unquam omninò indigere* amicos. *Fungor*, Terent. in Heavtontimor. Act. 3. sc. 3. v. 19. *Hominis sum frugi, & temperantis functus* officium. & in Phorm. Act. 1. Sc. 5. v. 51. seq.

Fun-

Functus adolescentuli est officium *liberalis*. Plaut. in Mostellar. Act.1.sc.1. v.45. *Sine me alliatum fungi* fortunas meas. Svetonius in Augusto cap.45. *Qui* suam vicem *praesidendo fungerentur*. Idem ibid. cap.35. Senatoria munera *fungerentur*. *Ignosco*, Plaut. in Amphitr. Act. 1. sc.1. v.101. *Velatis manibus orant*, *ignoscamus* peccatum suum. *Indulgeo*, Terent. in Eunuchô Act.2.sc.1. vers.16. *Nimis* me *indulgeo*. & in Heavtont. Act.5.sc.2.v.35. Te *indulgebant*. *Insulto*, Sallust.lib.1. Histor. Multos *à pueritia* Bonos *insultaverat*. *Inservio*, Plaut. in Mostellar. Act.1.sc.3.v.33. Vnum *inservire* amantem. Et ib. v.59. *Si* illum *inservibis* solum. *Noceo*, Idem in Milite Act.5. v.18. *Jura te non nociturum esse* hominem neminem. Id. ibidem v.21.

Juro per DIANAM, & MARTEM, *me nociturum neminem*.

Obliviscor, Cicero lib.1.ad Atticum: *Suavissimam habui recordationem clarissimi jurisjurandi*, quod *ego non eram oblitus*. Virgil.lib.2. Æneid.v.148. - - *Hinc jam obliviscere* Grajos. *Potior*, Terent. in Adelphis Act.5.Sc.4.v.17. *Patria potitur* commoda. Id. ibid. v.22. *Hic potitur* gaudia. Cic.lib.2. Officior. *Clandestino introitu* urbem *est potitus*. Idem lib. 2. Tusculanar. Qv. *Aliquam gentem nostram* urbem *potituram putem*. Nepos de Viris illustribus: *Qui* summam *Imperii potirentur*. *Propinquo*, Sallustius lib.4. Historiar. *Tum verò Bithyni propinquantes* amnem Tartanium. *Studeo*, Plautus in Milite Act. 5. v. 44. *Minùs* has res *studeant*. *Vtor*, & *Abutor*, Cato de Re Rust. *Postea* id *utor*. Terent. in Adelph. Act.5.sc.3.v.29. Mea, *quae praeter spem evenere, utatur sine*. Id. in Andriae Prolog. v.5. *In Prologis scribūdis* operam *abutitur*. Lucr.lib.6.v.1134.

- - - Aliquid, *quod non consuevimus*, *uti*.

Julianus JC.L.7.§.Procurator. D.Pro emto. *Si adversus petentem dominum uti coeperit* exceptionem *rei voluntate ejus venditae*. Ulpianus Leg.23. §.si autem 7. D. Solut.Matrim. *Sed abutitur* dotem.

Abla-

Ablativum Casum veteres jungunt Verbo *Admisceo.* Cicero lib.2. de Natura Deorum: Multô calore *admixtus.* Caesar lib. 3. Belli Civil. cap.48. *Quod admixtum* lacte *multum inopiam levat.* Lucret. lib.4.v.1240.

Aegrè admiscetur muliebri semine *semen.*

Antefero, Sallustius in Jugurthâ: Famâ, fide, *postremò* omnibus suis rebus *commodum regis anteferret.* *Caveo, Vito.* Plautus in Bacchidibus Act. 1. sc. 2. v. 39.

Omitte, Lyde, ac cave malô.

Idem in Curculione Act.2.sc.3.v.19.

Proinde se domi contineant, vitent infortuniô.

Petronius in Satyrico: *Ponere jussit arma, &* malô *cavere.* *Facio,* Plautus in Milite. Act.4.sc.1. v.26. *Quid* illâ *faciemus* concubinâ, *quae domi est?* Terent.in Eunucho Act. 5. sc. 1. v.21. *Quid illô facias, stulta?* Idem in Heavtontimor. Act. 2. sc.3. v. 75. *Quid illô facias?* Nisi quis hîc malit esse Ellipsin Praepositionis *Cum*, vel *De.*

Praeterea apud Veteres pleraque *Verba* composita habent PRAEPOSITIONEM Nomini *adjunctam*, quam vulgò ferè omittunt, ut *Aspicio,* Varro Lib. 2. de Re Rustica: *Simul adspicit* ad *me.* Id. ibidem: *Fundanius adspicit* ad *Scrofam.*

Adeo, Plautus in Trinum. Act.2.sc.2.v.105. *Tute* ad *eum adeas.* Idem in Menaech. Act.3.Sc.2.v.21. *Adibo* ad *hominem.* Terentius in Andriâ Act.2.Scen.1.v.17. *Adeon'* ad *eum*. Cicero pro Sex. Roscio: Ad *Sullam Legati non adierunt.* Idem in Verrem: *Cùm* ad *Praetorem in jus adissemus.* & alibi frequenter. Caesar de Bello Civil. lib. 3. cap.59. *Vniversi* ad *Caesarem adierunt.* Livius: *Scriba* ad *Tribunos Plebis adit.* *Aggredior*, Cicero pro Flaccô: *Aggrediar jam* ad *singulas Civitates.* Idem de Oratore: *Cùm* ad *caussam sum aggressus.* *Illudo,* Terent.in Eunuchô Act.5. sc.4. vers. 20. *Vlciscar, ut ne impunè* in *nos illuseris.* Idem in Andriâ Act.4.sc.5.v.18.seq. *Adeon' videmur vobis esse idonei*, In *quibus sic illudatis.* *Invado,* Cicero: *Qui* in *fortunas hujus invaserant.* *Viso*, Plautus

in Captivis Act.4.Sc.2.v.14. *Vise* ad *portum*. Terentius in Hecyra Act.1.sc.2.v.113.seq. *Nostra illico it visere* ad *eam*.Id.ibidem Act.2. sc.1. v.40.

Heri nemo voluit visentem ad *eam te intrò admittere.*

Lucret.lib.6.v.1236.

Nam quicunque suos fugitabant visere ad *aegros.*

Id.lib.5.v.635.

- - *Ad hanc quia signa revisunt.*

Gellius lib.2. cap. 26. *Cùm* ad *M. Frontonem consularem pedibus aegrum viseret*. & Lib. 13. cap. 30. *Revise* ad *me.*

Rursus solent Veteres interdum PRAEPOSITIONEM, Nomini *detractam*, VERBO addere, ut *Adigere Arbitrum*, *adigere Jusjurandum*, pro agere ad Arbitrum, ad Jusjurandum, frequentes locutiones apud Ciceronem, & alios. *Impendet me*, pro in me pendet, Terentius in Phormione Act.1. sc.4. v.2. *Tanta* te *impendent mala.* Lucilius:

Nunc ad te redeo, ut, quae res me *impendet, agatur.*

Lucretius lib.1.v.327.

Mare quae impendent *vesco sale saxa per esa.*

Sic Cicer.ad Atticum:*Hic tibi* rostra *Cato advolat*. Caesar lib.6.de Bellô Gallic. cap. 32. *Ad eam regionem, quae* Atuaticos *adjacet.* Tacitus lib.15.Annal.71.*Advolvi* genua.& lib. 4. Annal. 58. *Moenia urbis* adsidens. Lucret. lib.3. v. 556. *Connexus* corpus *adhaeret*. Virgilius lib. 4. Georg.v.261.

Frigidus ut quondam silvis *immurmurat auster.*

Ovidius lib.3.Metamorphos.v.598.

- - - *Dextris adducor* littora *remis.*



CA-

CAPUT VI.

DE PARTICIPIORVM, ET GERVNDIORVM VSV ANTIQVO.

PARTICIPIIS, & GERVNDIIS, ut vocant, nimium licenter contra vulgarem, & tritum morem usi sunt Majores. Nam PARTICIPIA quaedam habuerunt locô *Verborum* infiniti Modi, ut *Dicturum*, *Facturum*, *Futurum*: Quae ita usurpantur, ut apud *Graecos* omnibus Numeris, Generibusque sine discrimine attribuuntur λέξειν, ποιήσειν, ἔσεσθαι, & similia, de quibus Gellius lib. 1. cap. 7. Cato lib. 5. Originum: *Illi polliciti sese facturum omnia*. Cicero in Verr. 5. *Hanc sibi rem praesidio sperant futurum*. Quaedam PARTICIPIA auferendi Casu posuerunt, sed in Neutro Genere tantùm. Sallustius lib. 5. Historiar. *At Lucullus* audito *Q. Marcium Regem proconsule*; id est, cùm audisset. Id. ibidem: *Legiones Valerianas* comperto *lege Gabiniâ Bithyniam, & Pontum Consuli datam*; id est, cùm comperisset. Cicero lib. 2. Officior. Adjuncto *verò, ut iidem etiam prudentes haberentur*. Livius lib. 21. *Satis* comperto *Ordiaeam petituros Romanos*. Tacitus lib. 1. Annal. 66. *Caecina* comperto *vanam esse formidinem*. Paulus Quaest. lib. 2. *Non dissimulato se libertum esse*.

GERVNDIIS in DVM itidem *Graecorum* imitatione, & exemplô usos vidimus Antiquos, non Poëtas modò, sed etiam alios Scriptores. Varro lib. 3. de Re Rusticâ: *Acus* substernendum *gallinis parturientibus*. Id. ibid. *Eas haras* substernendum *paleâ*. Idem: *Canes potius cum dignitate acres, & paucos* habendum. Et alibi: *In Foetura* dandum *potius hordeaceos panes, quàm triticeos*. Cicero ad Atticum: Iterandum *eadem ista mihi*. Idem de Senectute: *Sed* notandum *putavi lubidinem*. Et lib. 3. Tusculanar. *Iphigeniam Aulide duce* immolandum *jubet*.

bet. Caesar de Bellô Gallicô: *Omnes cruciatos esse* perferendum. Virgilius lib. 11. Æneid. v. 230.

- - *Pacem Trojano ab rege* petendum.


Lucret. lib. 1. v. 112.

- - *Poenas in morte* timendum. Idem lib. 2. v. 491. Addendum *partes alias*. Et id genus idem plurima.

Quin etiam frequens usus fuit apud Veteres GERVNDIORVM à *Patiendi* significatione. Sallustius in Jugurtha: *Cùm ad* imperandum *Tisdrum vocaretur, rursus coepit flectere animum suum*; id est, ut ei *imperaretur*, sive ad *parendum*, ut explicat Cicero in Epistolâ ad Paetum. Virgilius Eclog. 8. v. 71.

Frigidus in pratis cantando *rumpitur anguis*.

id est, dum ei *cantatur*. Idem Georg. 3. v. 215. seq. *Uritque* videndo *Foemina*; pro dum *videtur*. & Æneid. 12. v. 46. *Aegrescitque* medendo; id est, dum ei *medetur*.



CAPUT VII.

DE ADVERBIORVM, ET PRAEPOSITIONUM STRVCTVRA.

ADverbia Loci Veteres cum *Genitivô* jungunt, frequentiùs sanè, quàm vulgò notum, aut usitatum. Sic *Inde loci* dixit Ennius Lib. 1. Annal.

Constitit inde loci *propter sos dia dearum*.

Idem Lib. 10.

Inde loci *lituus sonitus effundit acutos*.

Lucilius Lib. 10. Satyrar.

Multis inde loci *sermonibus concelebrarunt*.

Lucret. lib. 5. v. 789.

- - - - Inde loci *mortalia secla creavit*.

Interea loci, Pacuvius in Chryse: *Interea loci fluctiflaccescunt*. Plaut. in Pseudolo Act. 1. sc. 3. v. 32. Interea loci

si lu-

si lucri quid detur. Terent. in Eunuchô Act.1. sc.2. v.47. seq. - - *Te* interea loci *cognovi.* Et alibi.

Quò, Aliquò, Eo, Certò, Postea loci. Sallust. in Jugurthâ: Postea loci *Consul haud dubiè jam victor pervenit in oppidum.* Plautus in Mostellariâ Act.4. sc.2. v.53. *Quò venerim novi* loci. Alpianus leg.1. D. de Servis exportandis: *Si fuerit distractus servus, ne* aliquò loci *moraretur.* Idem Leg.19. §.1. D. de Judiciis; Certò loci *administravit.*

Huc, Longè, Proximè locorum. Terentius in Andriâ Act.1. sc.1. v.43. *Commigravit* huc viciniae. Plautus in Bacchid. Act.2. sc.2. v.27. Proximè viciniae *habitat.* Cicero ad Atticum: *Tu autem* longè gentium.

Ubi loci, Ubi gentium, Ubinam gentium, Nusquam gentium, quae sunt notissima.

Et ADVERBIA, quae *Tempus* significant, *Genitivo* junguntur, ut *Tunc temporis, Pridie, Postridie ejus diei*; quae postrema duo interdum *Accusativo* juncta leguntur. Cicero Lib.2. ad Atticum: *Tu* pridie Compitalia *memento.* Livius: *Etiam* Postridie Idus *rebus divinis supersedere jussum est.* Vlpianus Leg.1. §. Priorem ætatem D. de Aqua quotidiana: *Si* pridie aequinoctium *autumnale.* Idem Leg. 7. D. Soluto Matrim. *Nam si mulier* pridie vindemias *doti dederit.*

Item ADVERBIA, quae vim *Nominum* quandoque habent, cum *Genitivo* sociantur, ut *Abunde, Largè* Virgilius Æneid.7. v.552. *Terrorum, & fraudis* abundè *est.* Plautus in Truculentô Act.5. v.11. Largiter vini. Et in Rudente Act. 4. sc. 4. v. 144. Largiter *argenti.* ibid. Act.5. sc.2. v.28. Largiter *mercedis.* Plancus in Orationibus: Largiter *acerbitatis.*

Partim, pro Quidam, ut Partim *hominum venerunt,* quod significat, *Pars* hominum venit, id est, *Quidam homines,* auctore Gelliô lib.10. cap.13. Enn. lib.23. Annal. *Utrum negligentiâ* partim *Magistratuum, an avaritiâ, an calamitate populi Rom. evenisse dicam, nescio?* Sallustius lib.3. Histor. *Quorum alia toleravi*, partim *repuli*

puli Deorum auxiliis, & virtute mea. De quâ particula illud dignum observatione, eam aliquando citra geminationem usurpari. Cato de Re Rusticâ: *Bubulcis obsequitor* partim, *quo lubentiùs boves curent*. Idem ibidem. *Vlmos serito, &* partim *populos*. Sallustius in Jugurthâ: *Vrbes* partim *vi*, *alias voluntate imperio suo adjungit*. Cicero lib. 1. Officior. *Sunt enim quaedam ita foeda*, partim *ita flagitiosa*. Idem de micitiâ: *Nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis*, partim *fugiendas esse nimias amicitias, neque necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus*. Et de Legib. *Quorum scelere religiones tum prostratae, afflictaeque sunt*, partim *ex illis distracti, ac dissipati jacent: qui verò ex iis*, &c. Id. lib. 2. de Divinatione: *A' nobilissimis civibus*, partim *etiam à se omnibus rebus ornatis trucidatus jaceret*. Lucret. lib. 5. v. 949. seq.

Humida saxa super viridi stillantia musco;
Et partim *plano scatere, atque erumpere campo.*

Et alibi idem.

Tam, & *Quàm* sola ex *Adverbiis* Veteres jungunt cum *Superlativis*, vel *singulatim*, vel *junctim*, ad aequationem, ut Servius ait, posita. Plaut. in Aululariâ Act. 2. sc. 2. v. 59.

Quàm *ad probos propinquitate proximè te adjunxeris*,
Tam *optumum est*.

Terentius in Heavtontimor. Act. 5. Sc. 2. v. 144. seq.

Quàm in minima spe situs erit,
Tam *facillimè patris pacem in leges conficiet suas*.

Cato de Re Rustica: Quàm *acerbissimâ oleâ oleum facies*, tam *oleum optimum erit*. Varro lib. 3. de Re Rusticâ: Quàm *paucissimos reliqueris*, tam *optimi in alendo fiunt*. Sallust. lib. 1. Historiar. Quàm *quisque pessumè facit*, tam *maximè tutus est*. Cicero: *Cum quo semper* quàm *familiarissimè vixerat*.

Est interdum, maximè apud *Comicos*, ut *Adverbia* sint

ſint loco NOMINUM *appoſitorum*: quod idem *Graecis* uſitatum. Sic *Mulier* intus, id eſt domeſtica, & quae intus eſt, Plautus in Mercatore Act.4.ſc.1.v.18. Id. in Amphitr. Act.2.ſc.2.v.138. *Tu Theſſala* intus *pateram proferto foras*. Et in Bacchidibus Act. 1. ſc.2. v. 62. *Ego tibi argentum jubeo jam* intus *efferri foras*. Idem in Menaech. Act.1.ſc.3.v.35.

Evocate intus *mihi cocum Cylindrum actutum foras.*

Varro in Satyris: *Donec foràs nos* intus *evallaverunt*. Quibus gemina, & paria ſunt illa: Parum *fides*, id eſt Parva; Satis *conſilium*, *otium*, pro multo, & abundanti. Terentius in Eunucho, & in Phormione Act. 5. ſc. 3. v.27. *Itanè* parum *mihi fidem eſſe apud te*? Cicero Lib. 12. ad Atticum: *Si* ſatis *conſilium quâdam de re haberem*. & Lib.1. Rhetoric. *Vix* ſatis *otium ſtudio ſuppeditare poſſumus*. Julianus Leg.32.D.de Uſufructu: *Cùm* plus *pretium ſolvit ſervus*.

Praepoſitioni *In*, ſive Motum denotet, ſive etiam ſine ulla Motûs ſignificatione, Veteres Caſum *Accuſandi*, vel *Auferendi* indifferenter tribuunt, cujus rei Exempla in Notis ad Catonem plurima adduximus, quibus cumuli locô addi iſta poterunt. Plautus in Amphitr. Act.2. ſc.2. v. 34. *Qui iſtuc tibi* in *mentem venit*. Id. ibid. Act.1.ſc.1.verſ.25. *Numerò mihi* in *mentem fuit*. & in Milit. Act.2. Sc. 5. v. 50. *Introrumpam* in *aedibus*. Idem: *Pergam* in *aedibus nunc*. Varro Lib. 4. de Ling. Lat. *Quà* in *Coelio monte itur*. Terent. in Eunuch. Act.2. Sc. 2. v. 29. *Videt me eſſe* in *tantum honorem*. Idem in Adelphis. Act.1.ſc.2.v.44. *Te plura* in *hac re peccare*. Cicero de Amicitiâ: *Ut ab amicis* in *magnam rem aliquam peccantibus non diſcedat*. Idem pro Lege Manilia: In *Praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis*. Ulpianus Leg. 3. D. de Jurejurando: *Quaſi ventris nomine fuerit* in *poſſeſſionem*. Idem Leg. 33. §. 3. de Donation. inter Virum, & Uxor. *Finge* in *poſſeſſionem precariam mulierem remanſiſſe*

fisse. Julianus Leg. 12. D. Qui Testamen. fac. *Ac si ii, qui ea fecissent, in hostium potestate non pervenissent.*

Similiter Praepositio, *Sub*, cum utrôque Casu jungitur, aliter ac vulgò solet, ut Sub *jugum*, & Sub *jugo mittere.* Livius Lib. 3. Sub *hoc jugo Dictator Aequos misit.* Caesar Lib. 1. de Bell. Gall. cap. 10. *Et* sub *jugo missum.* Idem Lib. 2. cap. 9. Sub *occasu Solis.* Plinius Lib. 8. *Ideò* sub *ipsa die quàm maximè invia petunt.* Rursus: Sub *conditionem datum legatum*, Sub *conditionem manumissum*, &, Sub *conditionem reddendarum rationum liber esse jussus*, Jurisconsulti in Libris Pandectarum.



CAPUT VIII.

DE COMMUTATIONE SIMPLICIUM, ET JUNCTARUM VOCUM.

SAepe apud veteres Auctores, maximè Poëtas, *Simplicia*, quae vocant, *Verba* pro COMPOSITIS ponuntur, veluti *Mentum*, *Miniscitur*, *Ventabant*, pro Commentum, Comminiscitur, Adventabant, ut observat Festus.

Termentum, id est, Detrimentum dixit Plaut. in Bacchid. Act. 4. sc. 9. v. 5.

Non Pelides termento *fuit.*

Paratus, *Quaesitus*, pro Apparatus, Exquaesitus. Sallustius Lib. 2. Historiar. *Epulae* quaesitissimae. Idem in Fragm. incert. libror. Paratu *militum, & armorum fuit.* Ovidius Lib. 3. Ex Pont. epist. 4. v. 5.

Est opus exiguum, vastisque paratibus *impar.*

Vellejus Lib. 2. Histor. *Adventus deinde in Italiam Antonii*, paratusque *contra eum Caesaris*. Tacitus Lib. 11. Annal. 30. *Ne domū servitia, & caeteros fortunae* paratus *reposceret. Clarare, Clinare,* pro Declarare, Inclinare, Lucre-

cretius, & Cicero in Arato, & in Prognosticis, ut

Juppiter excelsa clarabat *sceptra columna.*

Cedere, pro Accedere, aut Venire. Plaut. in Aulularià Act.3.sc.5.v.52.Cedit *miles, aes petit.* Vel pro Concedere, Propertius Lib.1.Eleg.9.v.27.seq.

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat *Amor.*

Ducere, Fundere, pro Inducere, Perfundere. Tibullus lib.1.eleg.1.v.65.seq.

Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidâ ducere *possit aquâ.*

Idem lib.3.eleg.2.v.20.

Mox etiam niveô fundere lacte parent.

Et lib.5.eleg.8.v.50.

- - - *Multô tempora funde merô.*

Fligo, pro Confligo, Attius, Lucretius, & alii. Unde *Flictus* apud Virgil. 9. Aeneid. v. 667. *Dant sonitum* flictu *galeae.* - - - - *Munero, Pendo*, pro Remunero, Expendo. Plautus in Captivis Act.5.sc.1.v.15.

Ut beneficium benemerenti nostro merito muneres.

Ulpianus leg.52.§.si quis ex sociis.D.pro Sociô: *Eos duntaxat sumtus societati imputabit, qui in eam rem* pensi *sunt. Paret*, pro Apparet, usitatum in Formulis, & frequens in Lib.Jurisconsultorum. Cicero in Verrem.5. *Si* paret *jugera fundi esse plura.*&:*Si* paret *adversus edictum fecisse.*& aliis locis plurimis.*Sistere, Stinguere*,pro Consistere,Exstinguere.Lucretius lib.1. v.667.

Ignes in coetu stingui, *mutareque corpus.*

Id.ibidem:v.1014.seq.

Nec mortale genus, nec Divûm corpora sancta,
Exiguum possent horai sistere tempus.

Cicero in Arato;

- - - Stinguens *praeclara insignia Coeli.*

Id.in Verrem.5. *Qui Rempublicam* sistere *negat posse, nî ad equestrem ordinem judicia referantur. Sector, Testor, Vagor*, pro Insector, Detestor, Pervagor.

Propert.Lib.2.eleg.8.v.19.seq.

Exagitet nostros manes, sectetur *& umbras*,
Insultetque rogis, calcet & ossa mea.

Et ibid.eleg.16.v.25.seq.

Nec quia peccaris, testor *te*, *sed quia vulgò*
Formosis levitas semper amica fuit.

Item lib.2.eleg.28.v.19.

INO etiam primâ terras aetate vagata *est.*

Tribuere, pro Distribuere, crebrò apud Ciceronem.

Rursus Verbis *Compositis* frequenter Antiqui utuntur locô SIMPLICIUM. Sic *Adopinari*, *Adcredere*, Lucretius. *Adoro*, pro Oro, Propertius lib.1.eleg.4.v.27.

- - - - - *Maneat sic semper*, adoro.

Instare, *Incoenare*, *Inservare*, pro Stare, Coenare, Servare, & quidem perseveranter, & continuè. Svetonius in Tiberio cap. 72. Instans *in medio Triclinio*. Idem ibidem cap.39.Incoenante eô, *complura*, *& ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt*. Statius Lib.8.Thebaidos v.193.seq.

An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector, *& Elysias dedit* inservare *volucres?*

Remigrare, *Reddere*, *Redire*, pro Migrare, Dare & Ire, seu Venire, ut, *Redit haereditas*, *quae lege*, *& ab intestato obvenit*. Plautus in Poenul.Prol.v.45.

Ad argumentum nunc vicissatim volo
Remigrare. - - -

Idem in Pseudolô Act.4.sc.7.v.124.

Hercle haud te sinam emoriri, *nisi mî argentum* redditur.

Cato de Re Rustic. *Nunc ut ad rem* adeam. Sallustius in Jugurthâ: *Nunc ad institutum* redeo.

CA-

CAPUT IX.

DE ITERATIS, ET GEMINATIS VOCIBUS IN ORATIONE.

SOlent Veteres in *Oratione* easdem Voces *iterare* sine aliquâ Sensûs necessitate, idque interdum paucis aliis interpositis, ut Terentius in Prologô Eunuchi vers. 17.

Habeo alia multa, quae nunc condonabitur;
Quae proferentur post. - - -

Plaut. in Aululariâ Act. 3. sc. 2. v. 31. seq.

- - - - Te *jam*, *nisi reddi*
Mihi vasa jubes, pipulo hîc differam te *ante aedes*.

Idem in Captivis Act. 2. sc. 2. v. 82.

Hinc *aliô pactô abire* hinc *non potes*.

Virgilius lib. 2. Aeneid. v. 756. seq.

Inde domum, si fortè *pedem, si* fortè *tulisset,*
Me refero. - - -

Varro lib. 4. de Lingua Lat. *Virum fortissimum* Metium CURTIUM Sabinum, *cùm Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset*, CURTIUM *in locum palustrem, qui tum fuit in forô, atequam cloacae sint factae, secessisse*. Ulpianus leg. 1. §. Medicos. D. var. & extraord. Cognition. Si *imprecatus est*, si (*ut vulgari verbô impostorum utar*) si *exorcizavit*. Pomponius leg. 16. D. de Testament. *Nam* etiam *compotibus mentis personales actiones* etiam *ignorantibus acquiruntur*. Celsus leg. 77. §. 1. D. de Legatis 3. *At eos, quos quis repositos habet, (ut quidam Bellis civilibus factitassent) eos legato contineri.*

Interdum in *sermone interruptô*, multis interjectis, eadem Verba resumuntur. Cicero ad Brutum: Cave *enim existimes*, BRUTE, (*quanquam non est necesse, ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere*) cave *putes probitate*,

constantiâ, curâ, studiô Reipubl. quidquam illi esse simile. Virgilius eclog. 8. v. 85. seq.

Talis amor DAPHNIM, *qualis, cùm fessa juvecum*
Per nemora, atque altos quaerendo bucula lucos,
Propter aquae rivum viridi procumbit in herba
Perdita, nec serae meminit decedere nocti:
Talis amor *teneat.* - - -

Ulpianus leg. 40. D. de adquir. Haeredit. *Quaesitum est,* an, *licet quis paternae haereditatis nihil attingat; aliquid tamen propter patris voluntatem habeat, vel faciat,* an *creditoribus paternis cogatur respondere.*

Aliquando non *eadem* Verba, sed *diversa ab his,* quae praecesserunt, & tamen significatione paria, iterantur. Cicero lib. 1. Tuscul. n. 88. Confirmatô illô, *de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur*: hôc *igitur* probè stabilitô, & fixô, *illud excutiendum est.* Scaevola leg. 78, §. Maevia. D. ad SC. Trebellian. *Quaesitum est, an* Septicio *filio defuncto intra vicesimum annum sine liberis, hoc fideicommissum utrum pro portionibus haereditatis ad fratrem, & sororem ejus pertineat.* Paulus leg. 45. §. 2. D. de Jure Fisci: *Ejus bona, qui sibi mortem consciverit, non antè ad Fiscum coguntur, quàm prius constiterit, cujus criminis gratiâ mortem sibi consciverit.*

Huc pertinet repetitio *Antecedentis juncti* cum PRONOMINE, quâ antiqui, & optimi Auctores crebrò utuntur. Terent. in Heavtontimor. Prol. v. 20. seq.

Habet Bonorum exemplum, *quô* exemplô *sibi*
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Idem in Hecyr. Prol. v. 10. seq.

- - - - *Eôdem ut* jure *uti senem*
Liceat, quo jure *sum usus adolescentior.*

Cicero in Verrem: *Advenit* dies, *quô* die *ex instituto.* Caesar. de Bellô Gallic. lib. 1. cap. 49. *Ultra eum* locum, *quô in* locô GERMANI *consederant.* Idem ibid. *Erant*

omni-

omnino itinera duo, *quibus* itineribus *domô exire possent*. Servius Sulpitius ad Ciceronem: *Quae* res *mihi non mediocrem consolationem attulit*, *volo tibi commemorare*, *si fortè eadem* res *tibi minuere dolorem posset*.

Geminantur quoque eaedem Voces rei, de quâ agitur, *intendendae*, & *augendae*, quomodo *Meme* dicimus Meipsum, *Tete* Teipsum. *Vosvos* Vosmet ipsos; Sic *Atque atque* dixit Ennius in Annal.

Atque atque *ascendit muros* Romana *Juventus*.

Age age, *Apage apage*, Plautus, & alii Poëtae frequenter. *Magis*, *Magisque*, ut Graeci Μᾶλλον μᾶλλον, *Minus minusque*, *Plus plusque*. Cicero Filius ad Tironem: *Enitar*, *ut apud Judices* magis magisque *haec nascens de me duplicetur opinio*. Seneca lib. 1. de Beneficiis: *Beneficium demus*, *quod usu* magis magisque *placeat*. Plautus in Aulular. Prol. v. 18.

> *Atque illo verò* minus minusque *impendiô*
> *Curare*, minusque *me impartire honoribus*.

Id. ibidem Act. 3. Sc. 6. v. 10.

> Plus plusque *Isthuc sospitent, quod nunc habes*.

Catullus Carm. 38. v. 3. seq.

> Magisque, & magis *in dies*, *&* *horas*
> *Irascor tibi*. - - -

Nimium, *nimiumque*, Tibullus lib. 3. eleg. 6. v. 21. seq.

> *Jam venit iratus* nimium nimiumque *severis*;
> *Qui timet irati numina magna*, *bibat*.

Ovidius in Epistol. Penelopes Ulyssi v. 41.

> *Ausus es*, *ô* nimium nimiumque *oblite tuorum*.

Properè properè, Plautus in Aulularia Act. 2. sc. 8. v. 23. *Quantus quantus*, Terentius in Adelphis Act. 3. sc. 3. v. 41. *Non non*, *Nihil nihil*, Cicero, & alii alia.

Quin etiam geminantur negationes, & duae locô unius ponuntur, quò magis negent, *Graecorum* more, atque exemplô. Terent. in Andriae Prologô v. 17.

> *Faciunt* ne *intelligendo*, *ut* nihil *intelligant*.

Idem in Heavtontimor. Act. 1. Sc. 1. v. 11. seq.

> - - - *Agrum in his regionibus*
> *Meliorem*, neque *pretii majoris* nemo *habet*.


Plaut.in Epidicô Act.5.sc.1.v.57.

> Neque *ille* haud *objiciet mihi*.

Lucilius Satyrar.17.

> *Proprium verò* nil neminem *habere*.

Varro Lib.2. de Vita Populi Rom. *Quod à Rege munera eorum* noluerit nemo *accipere*. Cicero Lib. 3. de Finibus: *Sed quanquam negent Stoici* nec *Virtutes*, nec *Vitia crescere*: Idem Lib. 4. Quaest. Academic. *Quod Bonum quale sit*, negat *omninò Epicurus sine voluptatibus sensum moventibus nec suspicari*.



CAPUT X.

DE PARELCIS.

INterdum Voces quaedam in *Oratione* abundant, & *Elegantiae* tantùm caussâ, non *necessariò* ponuntur, veluti *Homo*, *Mulier*, ut: Homo *adolescens*, Homo *Romanus*, dicit Cicero. Plautus in Pseudol. Act.1.sc.5.v.19. seq.

> *Quid mirum fecit? quid novum? Adolescens homo*
> *Si amat*. - - - - -

Homo *Italicus*, Varro. Nemo *homo*, Plautus in Amphitr. Act.2.sc.1.v.16. Et Mulier *meretrix*, idem in Mercator. Act.4.Sc.1.vers.19. & Terentius Heavton. Act. 3. Sc.2. v.10. Nemo *quisquam*, *Nemo unus*, Svetonius in Caligula cap. 3. *Quantas* nemini cuiquam *contigisse constat*. Terentius in Eunuchô Act.5.Sc.9.v.2. Nemo *hercle* quisquam. & in Hecyrâ Act. 1. sc.1. v. 10. Nemo quisquam *illorum ad te venit*. Cicero: Nemo *de nobis* unus *excellat*. Caesar lib.3 de Bello Civili cap. 18. *Ad* neminem unum *summa imperii redit*. Livius Lib.1. *Quia* nemo

mò unus *satis dignus Regnô visus est*. *Omne quicquid*, Cicero in Verrem: Omnia quaecunque *Carpinates postulabat facere, & decernere solebat*. Valerius Maximus Lib. 1. *Concitatô impetu omne quicquid obviam fuerat proterentem*. *Omnes universi*, Apulejus Lib. 7. Metamorphos. *Talibus dictis universi omnes assensêre* Res. Varro lib. 1. de Re Rustica: *Ad vasa olearia, ac trapetas, quae* Res *molae oleariae*. Idem lib. 2. *Scillae medium conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem; tum ea* re *naturam aquae tangunt*. Ulpianus leg. 5. D. Qui potiores in Pign. *Veluti si navis fuit obligata, & ad armandam eam* rem, *vel reficiendam ego credidero*.

PRONOMINA *Hic*, *Is*, etiam abundant, vel potiùs magis confirmant. Cicero in Academicis: *Jampridem ad* hunc *eum (ipsum me autem dicebat) quaedam institui*. Id. ad Fabium Gallum: *Lex sumptuaria, quae videtur λιτότητα attulisse*, ea *mihi fraudi fuit*. Sallust. in Catilina: *Sed urbana plebs*, ea *verò praeceps erat*. Similiter *Illud*, *Id*, Plautus in Pseudolô Act. 1. sc. 5. v. 114. seq.

Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Eam *circumducam lepidè*.

Cicero pro Coeliô: *Illud tempus aetatis, quod ipsum sua sponte infirmum aliorum lubidine infestum est*, id *hoc loco defendo*. Id. ad Sulpicium: *Illud, quod supra scripsi*, id *tibi confirmo*. *Ille*, Terentius in Adelphis Act. 5. sc. 4. v. 12. *Ego* ille *agrestis, saevus*. Virgilius Aeneid. 1. v. 3.

Multum ille *& terris jactatus, & alto*.

Idem Aeneid. 5. v. 457.

Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille *sinistrâ*.

Mihi, *Tibi*, *Sibi*. Cicero ad Varronem: *At* tibi *repente paucis post diebus*. Catullus Carm. 24. v. 4. seq.

Mallem divitias mihi *dedisses*
Isti, quoi neque servus est, neque arca.

Plautus in Amphitr. Act. 3. Sc. 2. v. 25. seq. *Cum eô tu sermonem nec* joco, *nec serio* tibi *habeas*. Id. in Captiv. Prol. v. 50. *Suo* sibi *servit patri*. & ibid. Act. 1. Sc. 1. v. 13.

Suo

Suo succo sibi vivunt. Apulejus Lib.7.Metamorph. *Suis sibi gladiis obtruncatos relinquunt.* *Me, Te, Se,* Terentius in Eunuchô Act.5.sc.9.v.5. *Scin'* me, *in quibus sim gaudiis?* Idem in Andriâ Act.4.sc.6.v.2.

Quae sese *inhonestè optavit parare hic ditias.*

Plautus in Asinariâ Act. 1. Sc.1. v. 52. *Atque ego* me *id facere studeo.* Sallustius in Catilinâ: *Omnes homines, qui* sese *student praestare.*

VERBA, ut *Facio.* Cic. L. 5. Tusculanar. *Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostri Philosophi* facere *non potuerunt.*

ADVERBIA, ut *Rursum denuò, Repetentè subitò, Satius potius, Properè ocyus, Post ibi, Ubi quando,* Plautus. *Nunc jam, olim quondam, Herclè certè,* Terentius. *Post inde,* Ennius in Epicharmô. - - - *Sed* post

Inde *venit divinitus pullis insinuans se*
Ipsa anima. - - - - -

Lucret.Lib.3.v.528. - - - Post inde *per artûs.* *Tum porro,* Idem lib.1. v.299. *Perinde quasi,* Cicero pro Milone: Perinde quasi *Appius ille Coecus viam munierit.* Et pro Cluentiô: Perinde quasi *ego non ab initiô hujus defensionis dixerim.*

PRAEPOSITIONES, *Ab, Ad, Ex,* cùm loci proprio nomini adjunguntur, Sallust.in Catilinâ: *Jam tum Brutus ab Roma aberat.* Cicer. in Verrem: *Eo die Verres ad Messanam venit.*

Cum, Ennius in Annal.

Effundit voces proprio cum pectore sancto.

Terent. in Adelphis Act. 3. sc. 4. v. 55. *Haec tu facito, cum animo Cogites.* Sallust. in Jugurthâ: *Anxius trahere cum animo suo.* Catullus Carm.61. v.166. seq.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Idem ibid.v.19.seq.

- - - - - *bona cum bona*
Nubit alite virgo.

Cic.

Cic. L. 2. Offic. *Cum prima luce*. quod Plautus, & Vetustiores, *Cum primo lucu*.

In, Terent. in Adelph. Act. 1. sc. 1. v. 24. *In eo me oblecto*. Lucret. L. 4.

- - - *Longo in spatio pertundere saxa*.

CONJUNCTIONES, *Etiam quoque*, Plautus in Amphitr. Prolog. v. 30. *Quoque &*, Virgilius lib. 1. Aeneid. v. 5. *Multa quoque & bello passus*. *Ergo propterea*, Terentius in Hecyrâ Act. 1. sc. 1. v. 6. seq. *Ergo propterea te sedulo, & moneo, & hortor*. *Ergo igitur*. Apulejus lib. 7. *Ergo igitur evocato statim dementario*. *Quamvis licet*, Cicero de Amicitiâ: *Quamvis licet excelleas*. Lucretius Lib. 6. v. 600. seq.

Proinde licet quamvis coelum, terramque reantur
Incorrupta fore.



CAPUT XI.

DE ECLIPTICIS.

Rursus omittuntur Voces ferè omnis Generis; & est haec *Ellipsis* frequens optimo cuique veterum Scriptorum. Sic deest *Actio* in illis. *Agere ad exhibendum*, *Damni infecti*, *Injuriarum*, quae in libris Jurisconsultorum crebrò occurrunt. *Aedis*, *Templum*, ut, *Ad Dianae*, *Ad Vestae*. Terent. in Adelphis Act. 4. Sc. 2. v. 43. *Ubi ad Dianae veneris*. Plaut. in Poenulo: *In Veneris*. Cicero pro Milone: *Cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt*. Idem ad Terentiam: *Quemadmodum à Vestae ad Tabulam Valeriam ducta esses*. Horatius lib.

1. Sat.

1. Sat. 9. v. 35. *Ventum erat ad Vestae*. *Animus*, *Opinio*, Cicero L. 3. Officior. *Nec eum fefellit*. Idem Lib. 14. ad Atticum: *Sed nos, ni me fallit, jacebimus*. Varro Lib. 2. de Re Rust. *Tantum enim fefellerit*.

Aqua in illis Locutionibus: *Calida*, *Frigida lavari*; *Frigidam*, *Calidam suffundere*. Seneca ad Lucilium: *Calidâ subinde suffusâ paullatim defecit*. *Caussa*, *Gratia*, vel *Nomine*, ut apud Graecos ἕνεκα, frequentissimè leguntur omissa non apud Historicos modò, & Oratores, sed etiam Jurisconsultos, quorum testimonia omnia hîc adscribere esset inutilis diligentiae. Terentius in Adelphis Act. 2. sc. 4. v. 6. *Ne id adsentandi magis, quàm quod gratum habeam facere existumes*. Sallustius in Catilina: *Quod initio conservandae libertatis, atque augendae Reipublicae fuerat*. Idem Lib. 1. Historiar. *Exercitum opprimendae libertatis habet*. Id. Ibidem: *Arma civilia cepit, Legum, ac libertatis subvertendae*. Ulpianus leg. 15. §. 1. D. ad Leg. Jul. de Adult. *Si quis evitandi criminis id egit, ut Reipublicae caussa abesset*. *Caro*, ut in illis, cùm absolutè usurpantur, *Bubula*, *Suilla*, *Ovilla*, *Ferina*. Virgilius Aeneid. 1. v. 215.

Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinae.

Commune, Sallustius in Catilina: *Alia omnia sibi cum collega ratus*. *Divitiae*, Cicero ad Nepotem: *Qui habet, ultrò appetitur; qui est pauper, ultro aspernatur*. *Fabula*, ut Praetextata, Togata. Horatius de Art. Poët. v. 288.

Vel, qui praetextas, *vel qui docuere* togatas.

Plinius Lib. 7. *Qui primus* togatas *saltari instituit*. *Febris*, ut Tertiana, Quartana. Svetonius in Caesare cap. 1. *Quanquam morbo quartanae aggravante*. *Fides*, Terentius in Andria. Act. 1. Sc. 5. v. 2. *Prôh Deûm, atque hominum*! Idem in Phormione Act. 2. sc. 2. v. 4. *Pro Deum immortalium*! *Homines* omittitur in tertiâ plurali Verborum, cùm de universitate loquimur, ut *Dicunt*, *Ferunt*, *Sunt*, & similia. Terentius in Andr. Act. 1. Sc. 2.

v. 21.

v.21. *Ita ajunt.* & ibid. Act.5. sc. 3. v.4. *Ita praedicant.* Varro L.4. de Ling. Lat. *Munitur opis caussa, ubi sint.* Id. ibid. *Speculum à speciendo, quòd ibi spectant.* *Iter*, ut *Abesse bidui*, pro Bidui itinere. Cicero ad Attic. *Cùm in castra proficiscerer, à quibus aberam bidui.* Caesar lib. 6. de Bell. Gallic. cap. 6 *Jamque ab eo non longius bidui aberant.* *Lex*, ut Titulo Librorum Juris ad Municipalem. *Lis*, cùm dicitur *Contra*, vel *Secundum aliquem dare*. Svetonius in Cladio cap. 15. *Absentibus secundum praesentes dabat.* Plinius L.7. Epistolarum: *Finem cognitioni quaestio imposuit, quae secundum reos dedit.* Tacitus Lib.4. Annal.43. *Ita secundum Messenios datum.* Quod integrè dixit Cicero pro Roscio Comoedo: *Quò minus secundum eos lis detur, non recusamus.* *Ludi*, ut *Circensibus*, Svetonius in Caesare cap.39. & *Circensium die*, idem in Domitiano cap. 4. *Ordines*, Idem in Caesare cap. 39. *Sessum in quatuordecim è scena.* *Partes*, ut *primas*, *secundas agere, ferre, tenere*. Svetonius in Caligula cap.57. *Plures secundarum certatim experimentum artis darent.* Terentius in Adelphis Act.5. sc.4. v. 26. *Non posteriores feram.* Cicero ad Atticum: *Tibi primas defero.* Idem in Oratore: *In Republica nostra primas Eloquentia tenuerit semper urbanis, pacatisque rebus, secundas juris scientia.* *Passus*, Caesar lib. 5. de Bell. Gallic. cap. 13. *Hujus est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum millium.* Plinius Lib.8. *Per centena millia, & quinquaginta continuo cursu euntibus.* *Pecunia*, ut *Crimen Repetundarum*, quod est de Pecuniis repetundis, aliisque rebus vi, aut dolo per Romanos Magistratûs à sociis extortis. Svetonius in Caesare cap. 4. *Dolabellam consularem, & triumphalem virum* Repetundarum *postulavit.* *Praedium, Villa*, ut *in Pompejano, in Tusculano. Per Varronis, per Locustae*, apud Ciceronem ad Atticum. *Ex vicini*, Ulpianus Leg.1. §.11. D. de Aquâ Pluvia arcenda. *Res* intelligitur in illa Formula, quâ in primo congressu Veteres utebantur, *Satin' salvae.* Terent. in Eunuch.

Act.5. Sc.6.v.88. *Quid trepidas?* satin' salvae? Sallustius in Historiarum Libris: *Percunctantibus utrinque* Satin' salve? Livius: *Quaerentique viro* Satin' salvae? *Minimè inquit*, &, *Percunctatus* Satin' salvae? Quod alibi integrè dixit: *Cùm pater* Satin' salvae *res interrogaret*. *Sacrum*, Virgilius Eclog.3.v.77.

Cùm faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Servus, deest in talibus, *A manu, à pedibus, ab Epistolis, à Libellis*. *Tabulae* exauditur, cùm dicimus *Duodecim*, pro duodecim Tabulis Legum Roman. Cic.L.2.de Legibus: *Discebamus pueri* Duodecim, *ut carmen necessarium, quas jam nemo discit*. *Tempus*, ut *In praesens*, Sallustius. *In praesenti* Cicero, & Livius. *In hodiernam*, Scaevola D.de Verb.Obligat. *Theatrum*, Plinius Lib.36. *Nationes, quae sunt circa Pompeji*. *Tribus*, Cicero in Verrem: *Qui Verrem Romulia*. Idem in Philippica 9. *Servius Sulpitius Q.F. Lemonia Rufus*, id est, ex Romuliâ, Lemoniâ Tribu. *Verum, Vera* intelliguntur in illa Formula assentiendi, & confirmandi: *Est hoc*, *Sunt ista*, Terentius in Adelphis Act.1. Sc.2. v.61, *Nec nihil, neque omnia haec sunt*. Cicero de Amicitia: *Sed nescio, quomodo hoc est, quod in Andria familiaris meus*, Idem ibidem: *Sunt ista, Laeli*. & in Academicis: *Sunt, inquam, ista, Varro*. *Via*, ut Compendaria, Recta, Terent. in Eunuch. Act.1. sc.2. v.7. *Cur non rectà introibas?* Varro in Sciamachia: *Hoc dico compendiariâ sine ulla sollicitudine, ac molestia dicundi ad eandem voluptatem posse perveniri*. Seneca ad Lucilium: *Hanc, atque compendiariam excogitavit*. &, *Ad maximas te divitias compendiariâ ducam*. *Uxor*, ut Terentia Ciceronis, Marcia Catonis, Marcia Pompeji.

Pronomina quoque omissa saepe animadvertimus, ut *Is, Ejus, Ei*. Plaut.in Amphitr. Prol. v.106.

Quantusque amor siet, quod complacitum est semel;

id est, *Ejus, quod*. Idem in Curculione Act.4.sc.4.v.25.

Ego illum reddidi, qui argentum à te attulit;

pro *Ei, qui*. Varro Lib.4.de Ling. Lat. *Quod ibi domus fue-*

fuerit, cui cognomen fuit Marcellus; pro *Ejus*, *Cui*. *Ille*, *Illud*. Plautus in Sticho Act.2.sc.2.v.38.

Omnes res relictas habeo prae, quod tu velis;

id est, *Prae illo, quod*. Curtius: *Haec vociferantem, quibus erat imperatum, jugulant*; pro Illi, quibus.

Item *Verba* omittuntur, ut praeter alia *Grammaticis* notata, *Decere*, vel *Oportere*. Terent. in Andria. Act.1. sc.5. vers.19.

Tantàmne rem tam negligenter agere?

Idem ibid. Act.4. sc.2. v.6.

Siccine me, atque illam operâ tuâ nunc miseros sollicitarier.

Virgil. 1. Aeneid. v.37.

- - - *Mene incepto desistere victam?*

Evenire, ut in illa Formula, quâ Veteres in Consolatione utebantur: *Velim, quod velles*. Plaut. in Mostell. Act.3. sc.2.v.53. *Velim, ut velles Tranio*; id est, Velim eveniant. *Invocare*, & *Obsecrare*, in Precationibus, ut: *Tuam Fidem, Venus noctuvigila*, Plautus in Curcul. Act.1. sc.3. v.40. *Hercules tuam fidem*, Varro. &, *Dii vostram Fidem*, in Comoediis frequenter. *Valere, vivere*, Plautus in Sticho Act.5. sc.4.v.27. *Bene vos, Bene te, Bene me*; intellige, *Vivere precor*. Tibullus lib.2.Eleg.1.v.31.

Sed benè Messallam sua quisque ad pocula dicat.

Ex *Adverbiis* desunt interdum structurae Orationis *Magis*, *Potius*; idque *Graecorum* more, qui τὸ μᾶλλον aliquando omittunt. Plaut. in Casina Act.2.sc.3.v.34.seq.

- - - - - *Ut quod Vir velit*

Fieri, id facias, quàm adversere contra?

Idem in Menaechmis Act.5. sc.1. v.26.

Quin vidua vivam, quàm tuos mores perferam.

Et in Rudente Act.4. sc.4. v.70.

Tacita mulier est bona, quàm semper loquax.

Terent. in Eunuch. Prol.v.1. seq.

Qui placere se studeat bonis; quàm plurimis.

Gellius lib. 2. cap. 7. *Declinanda sensim, & relinquenda*

esse

esse dicunt, quàm respuenda. Et Livius, Tacitus, Apulejus, atque etiam JCti harum Vocum eclipsi saepe utuntur, quorum testimonia ab aliis adnotata nihil est necesse hîc adferre. *Non*, omittitur post *Non modò*, id est, Nedum. Cicero pro Sestio: *Qui non modò praecipitanti patriae subvenirent, sed etiam nimis tardè concidisse moererent*. Orat. in 2. Rullum: *Si non modo dena jugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in Agrum Campanum intelligetis*. Et lib. 1. de Oratore: *Neque solùm inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit*. Idem lib. 10. ad Atticum: *Regnum non modò* Romano *homini, sed ne* Persae *quidem, tolerabile*. & alibi saepius. *Solùm, Tantùm*, Varro lib. 7. de Ling. Lat. *Neque à dissimilibus similia, sed etiam eadem*. Cajus Leg. 41. D. de Verbor. Significat. *Armorum appellatio non utique Scuta, & Gladios, & Galeas significat, sed & Fustes, & Lapides*. Marcianus Leg. 5. D. de Pignoribus: *Sed & non solvendae omnis pecuniae causa, verùm etiam de parte ejus*.

Praepositiones autem crebrò omittuntur, ut apud Poëtas ante Provinciarum, & Regionum nomina, *Ad*, Virgil. 1. Aeneid. v. 2. seq.

Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora.

E, Ex, in illis, quae *Graecorum* more efferuntur. *Vinum Chio, Lesbo; Hospes Epheso; Vultur silvis*; id est, Vinum Chium, Lesbium; Hospes Ephesius; Vultur silvestris. Ennius in Annal.

Vulturius silvis *miserum mandebat hemonem.*

Plautus in Bacchidibus Act. 2. sc. 2. v. 53.

Epheso *quos hospes debuit nostro seni.*

Idem in Mercatore Act. 5. sc. 2. v. 99.

Video hic hospitem Zacyntho.

In, ut idem in Curculione Act. 2. sc. 3. v. 6. *Rogat quid veniam* Cariam. Et in Persa Act. 2. sc. 5. v. 21. Eretriam *misit*. Papinianus leg. 72. D. de Condit. & Demonstrat. *Cùm*

aliam

asiam *venisset*. Apulej. lib. 1. Metamorph. *Macedoniam profectus*. *Cum*, omittitur, ubi denotat Comitatum. Varro in Sesquiulysse: *Navibus duodecim domo profectum*. Cicero in Philip. ultima: *His viginti cohortibus nullô equitatu conflixit*. Livius libro 1. *Egressus omnibus copiis*. *De*, intelligitur in talibus: *Quid me fiet, Quid me futurum est, Quid illo faciam*, apud Comicos. *Ob*, vel *Propter*, ut: *Id huc revorti, uti me purgarem tibi*, Plautus in Amphitr. Act. 3. sc. 2. vers. 28.

Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem,

Terentius in Eunuch. Act. 5. sc. 7. v. 4. Idem in Hecyrâ Act. 3. sc. 3, v. 8.

Laetae exclamant, Venit, id, quòd me repente adspexerant.

Ubi Donatus; *Deest* Propter, *ut sit* Propter id, *ac* Per hoc, Ideo, &c. Cicero ad Q. Fratrem lib. 3. *Id, quòd judices nullos habemus*. Livius lib. 41. *Id, quòd erat vetusta conjunctio cum Macedonibus*. Varro lib. 5. de Lingua Lat. integrè dixit, *Id, quòd propter centuriata Comitia*.

Conjunctionum ellipsis in Oratione frequentissima est, inprimis copulae, *Et*, ut: *Hac Illac, Sursum deorsum, Velis nolis*, quae vulgò usurpantur, Sic *Praesente absente, Justa injusta, Sex septem*, Terentius, *Terra mari, Factis dictis*, Cicero. *Dextra sinistra*, Sallustius. *Equis viris*, Livius. *Intra extra*, Plinius, *Emtum venditum*, Jurisconsulti. *Etiam*, desideratur interdum post *Sed*, cùm auget. Cicero in Lentulô: *Omnibus negotiis non interfuit solùm, sed praefuit*. Ulpianus leg. 10. D. de Senatoribus: *Liberos Senatorum accipere debemus, non tantùm Senatorum Filios, verùm omnes, qui geniti ex ipsis dicantur*. *Quàm*, omittitur antecedente *Plus, Amplius, Minus*, vel *Melius*. Varro lib. 1. de Re Rust. *Neque enim si minus CCXX. jugera oliveti colas*; id est, minùs, quàm. Idem lib. 2. *Ne minus habeamus in centenas oves hirtas singulos homines*; id est, minùs, quàm singulos homines. Et,

INDEX

Vocum omnium, quarum in quatuor Ausonii Libris, & Hekelianis additamentis, Differentiae traduntur.

INDEX

Alti-

C.

Con-

De-

Fide-

Gene-

Huma-

La-

Moe-

Pa-

Q.

Ro-

Tor-

Vi-

FINIS.

AUCTORES VETERES

In his Libris Laudati, vel Emendati.

Aelius Donatus.
Aelius Gallus.
Afranius Comicus.
Africanus J. C.
Agraetius Grammaticus.
Ammianus Marcellinus.
L. Annaeus Seneca.
Antiſtius Labeo J. C.
L. Apulejus.
Ariſtophanes.
Arnobius Afer.
Arrius Menander J.C.
Aſconius Pedianus.
Atheneus.
Attius Tragicus Poëta.
S. Auguſtinus.
Auſonius Poëta.
Caecilius Comicus.
Caeſar Grammaticus.
C. Julius Caeſar.
Cajus J. C.
Calliſtratus J.C.
Calvus Poëta.
Caper Grammaticus.
Caſſiodorus.
Celſus J. C.
Chriſippus.
Fl. Clarus Grammaticus.
Claudius J.C.
Claudius Claudianus Poëta.
Columella.
Cominius Firmus Poëta.
Cornelius Fronto Grammaticus.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
S. Cyprianus.
Diogenes Laertius.
Diomedes Grammaticus.
Ennius Poëta.
L. Feneſtella Hiſtoricus.
Florentinus J.C.
A. Gellius.
Heſichius.
Horatius Flaccus.
Javolenus J.C.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Julianus J.C.
Julius Modeſtus.
Juſtinus Hiſtoricus.
Juvenalis Satyricus.
Lactantius Firmianus.
Lampridius.
Licinius Macer.
Livius Andronicus Poëta.
T. Livius Hiſtoricus.
Lucanus Poëta.
Lucilius Satyricus.
Lucretius Poëta.
Manilius Poëta.
V. Martialis Poëta.
Martianus J.C.
Maſsurius Sabinus J. C.
Meſsala de Auſpiciis.
Minutius Felix.
Modeſtinus J.C.
Naevius Poëta.
Natalis Comes.
P. Nigidius Figulus.
Nonius Marcellus.

P. Ovi-

P. Ovidius Naso.
Pacuvius Tragicus.
Palladius.
P. Papinius Statius.
Papirianus Grammaticus.
Paulus J.C.
Persius Satyricus.
Pindarus Poëta.
Plato.
Plautus Comicus.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponius J.C.
Priscianus Grammaticus.
Propertius Poëta.
Quintilianus.
Sabinus J.C.
Sallustius Historicus.
Scaevola J.C.
Scribonius Largus.
Seneca Tragicus.
Servius Honoratus Grammaticus.
Sex. Pompejus Festus.
Sextus Rufus.
Sosipater Charisius Grammaticus.
Spartianus.
Strabo.
C. Svetonius Tranquillus.
P. Terentius Comicus.
Q. Terentius Scaurus.
M. Terentius Varro.
Tertullianus.
Theophilus J.C.
Tibullus Poëta.
Trebellius Pollio.
M. Tullius Cicero.
Turpillus Comicus.
Valerius Maximus.
Valerius Probus Grammaticus.
Vegetius.
Velius Longus Grammaticus.
Vellejus Paterculus.
Venulejus J. C.
Verrius Flaccus.
Victorinus Grammaticus.
Vitruvius.
Vivianus J.C.
Ulpianus J.C.

Recentiorum Auctorum Nomina, quorum scriptis adjuti sumus.

Achilles Statius.
Adrianus Turnebus.
Ahasverus Fritschius J. C.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexandro.
Andreas Alciatus.
Andreas Dominicus Floccus.
Antonius del Re.
Antonius Hotmannus.
Antonius Matthaeus.
Arnoldus Corvinus.
Augustinus Gambarella.
Balthasar Meisnerus.
Barnabas Brissonius.
Blondus Flavius.
Budaeus.
Coelius Rhodiginus.
Carolus Paschalius.
Christophorus Landinus.
Claudius Salmasius.
Comoenius.
Cornelius Jansenius.

Eras-

Erasmus Schmidius.
Ezechiel Spanheimius.
Fabius Columna.
Fridericus Lindenbragius.
Fulvius Ursinus.
Gaspar Bahuinus.
Gaspar Barthius.
Gaspar Paucerus.
Gaspar Scoppius.
Georgius Franzkius.
Gerardus Jo: Vossius.
Gothofredus J.C.
Henricus Decimator.
Henricus Hoepffnerus.
Henricus Monantholius.
Hermannus Wesselingius.
Hugo Cardinalis.
Jacobus Cruquius.
Jacobus Cujacius.
Jacobus Pontanus.
Jacobus Thomasius.
Janus Dousa.
Joannes Girardus.
Joannes Kirchmannus.
Joannes Limneus.
Joannes Meursius.
Joannes Rosinus.
Joannes Rudingerus.
Joannes Schildius.
Joannes Seldenus.
Joannes Andreas Quenstedius.
Joannes Conradus Dietericus.
Joannes CuilielmusStukius.
Joa: Ludovicus de la Cerda,
Josephus Scaliger.
Julius Caesar Scaliger.
Justus Lipsius.
Laurembergius.
Laurentius Ramiresius.
Laurentius Valla.
Leonardus Fuchsius.
Lorinus.
Marcus Zuerius Boxborni
Marius Nizolius.
Martianus Capella.
Martinus Gejeri.
Martinus Hayneccius.
Mascardus J. C.
Matthias Dresserus.
Michael Barthius.
Obertus Gifanius.
Oliverius Arzignanensis.
Paulus Hachenbergius.
Paulus Manutius.
Paulus Merula.
Petrus Ciacconius.
Petrus Crinitus.
Petrus Gualt. Chabotius.
Petrus Victorius.
Perotti Cornucopia.
Philippus Decius.
Polydorus Virgilius.
Rudolfus Goclenius.
Rudolfus Godofredus Knichenius.
Scardii Lexicon.
Scipio Gentilis.
Simplicius in Epict. Enchir.
Stephanus Doletus.
Taubmannus.
Theodorus Petrejus.
Thomas Bartholinus.
Thomas Reinesius.
Thamas Dempsterus.
Tortelii Lima Ortogr.
Wilhelmus Ludwellus.
Wolphangus Lazius.
Zasius J. C.

